Nota. De Barbarismis, qui in singulis verbis & in tota sententia fiunt, pluribus tractatum est in Opere secundæ classis. Deinceps etiam copiosiùs dicetur.

§. II. Latina dictio vitiosa fit pluribus modis: Per *Genera*, ùt: Gladia pro *gladii.* Per *Numeros*, ùt: Scopa pro *scopæ.* Tritica pro *triticum.* Per *Declinationem*, ùt: Fames, famei pro *famis.* Vasibus pro *vasis.* Per *Conjugationem*, ùt: Stavi pro *steti.* Legebo pro *legam.* Veneravi pro *veneratus sum.*

1. *Divisione*, cùm dividimus conjuncta, ùt: Sylüæ, dissolüo, quatuor syllabarum, pro *sylvæ*, *dissolvo*, trium.

2. *Complexione*, cùm divisa conjunguntur, ùt: *Phæton* pro *Phaëton.*

3. *Adjectione literæ*, ùt: *Relliquiæ* gemino L pro simplici. Alituum pro *alitum.*

- - - - *syllabæ*, ùt: Dicier pro *dici.* Mavors pro *Mars.*

Aspirationis, ùt: *Hinsidiæ*, cùm scribendum sit sine aspiratione.

Temporis, cùm syllabæ brevi, quæ unum habet tempus, additur alterum, ut fiat longa, ùt: *Italia*, prima longa pro brevi.

Detra-

Detractione literæ, ùt: Pecúli pro *peculii.*
Syllabæ, ùt: Temnere pro *contemnere.*
Aspirationis, ùt: Odie pro *hodie.*
Temporis, cùm syllabæ longæ, quæ duo habet tempora, unum detrahitur, ut fiat brevis, ùt: *Unius*, *affligit*, mediâ brevi pro longa.
Immutatione, cùm litera una, aut syllaba pro alia ponitur, ùt: Olli pro *illi.*
Transmutatione, cùm litera aut syllaba è suo loco in alium transfertur, ùt: Interpetror, pro *intérpretor.*

Fiunt denique Barbarismi tenore, cùm accentu alio pro alio utimur; ut si Præpositiones a suis Casibus separemus, eásque tenore acuto, vel inflexo pronuntiemus, ùt: *ád, éum, áb, illò, á quibùs, circum littora:* cum gravi accentu, dissimulata distinctione, simul cum suis Casibus pronuntiandæ sint, tanquam si una esset vox.

ADMONITIO

Tiro cùm leget apud Virgilium

Nec spes libertatis erat, nec cura peculi.
Aut: *Troas relliquias Danaûm, atque immitis Achillei.*
Aut: *Alituum, pecudúmque genus sopor altus habebat.*
Aut: *Italiam fato profugus, Latináque venit littora - - -*
Aut: *Unius ad noxam, & furias Ajacis Oilei?*

Cùm hæc, inquam, & similia leget, ne putet Principem Poëtarum Barbarismum fecisse; multa enim Poëtis permittuntur, quæ ceteris scriptoribus denegantur. Neque miretur, si apud M. Tullium, Oratorum Principem, *Liberûm, Sestertiûm, cognôram, nôrunt*, aliásque id genus verborum immutationes offenderit: neque enim Barbarismi sunt detractione: siquidem à consuetudine, certissimâ loquendi regulâ, impetratum est, ut etiam Oratoribus sic loqui liceret.

OBSCURAE ORATIONIS VITIA.

1. Verba inusitata, & à consuetudine quotidiani sermonis remota, obscuritatem & tenebras orationi afferunt, ùt: Si quis oppidò didici pro *valdè* dicat; *averruncare* pro *avertere.*

2. Ean-

2. Eandem obſcurat vitium, quod à Græcis *ἄκυρον*, à Latinis *improprium* dicitur, ùt: Sperare pro *timere*. *Virg.*

Hunc ego ſi potui tantum ſperare *dolorem.*

3. Item Ambiguitas, quæ *ἀμφιβολογία* Græcè appellatur, idque vel uno verbo, ùt: Taurus, *animálne ſit, an mons, an ſignum in cœlo, an nomen hominis, an radix arboris*, niſi diſtinctum, non intelligetur. Vel in ſermone, ùt: *Audivi Chremetem percuſſiſſe Demeam.*

4. Obſcuratur præterea oratio, cùm ſermoni deeſt aliquid, quò minùs plenus ſit, per *μείωσιν*, *Meóſin*, *hoc eſt* diminutionem: vel contra, cùm inani verborum turbâ, atque copioſâ loquacitate obruitur oratio, quam *Periſſologiam* vocant.

5. Impeditur denique ſermo, quò minùs dilucidus ſit, ſi longa *Parentheſis* interjiciatur, aut ſi verba confuſa, permiſtáque longiùs trajiciantur. *Horatius.*

Námque pilâ lippis inimicum, & ludere crudis.

Rectus enim ordo eſt: *Námque pilâ ludere inimicum eſt lippis & crudis.* Quod vitium *Synchyſis* vel *Hyperbaton* obſcurum, *hoc eſt*, confuſa, & perturbata verborum transgreſſio vocatur. Si hæc vitia vitabimus, dilucida erit oratio.

ANIMADVERSIO.

Cùm orationis ſtructura decóris gratiâ variatur, neglecto ſimplici ſermonis ordine, non vitium eſt, ſed virtus, quæ *Hyperbaton* appellatur, id eſt, transgreſſio verborum. *Cic. pro Cluent. Animadverti, Judices, omnem accuſatoris orationem in duas diviſam eſſe partes.* In duas partes diviſam eſſe, ſimplex erat ordo, ſed durus & incomptus.

HYPERBATI ALIQUOT SPECIES.

Hyperbati ſive transgreſſionis aliquot ſunt ſpecies:

1. *Anaſtrophe* eſt duorum verborum ordo præpoſterus, ùt: *Mecum, tecum, ſecum, nobiſcum, vobiſcum, quibus de rebus.*

Anáſtrophe illa, *Urbem quam ſtatuo, veſtra eſt: Eunuchum, quem dediſti nobis, quas turbas dedit*, pro *Quam urbem ſtatuo; Quem Eunuchum dediſti nobis*, admodùm dura eſt.

2. *Tmeſis*

2. *Tmesis* est, cùm verbum compositum dividitur aliquâ dictione interpositâ. *Cic. Att. Per mihi gratum erit, si id curâris ad me perferendum. Idem de Senectute: Omnia memoriâ tenebat, non domestica solùm, sed etiam externa bella.*

Ejusdem generis sunt illa: *Rem verò publicam penitus amisimus. Præclarum est pro patria, réque publicâ mortem oppetere.*

Parénthesis est brevis sensus sermoni, antequàm absolvatur, interjectus. *Cic. M. Ant. O præclarum custodem ovium (ùt ajunt) lupum. Liv. Tantùm (proh dolor!) degeneravimus à parentibus nostris.*

INORNATAE ORATIONIS VITIA.

1. *Cacóphaton* est obscœnum dictum, sive id uno verbo, sive pluribus, sive deformi literarum concursu fiat.

2. *Tapinósis* est, quâ rei magnitudo vel dignitas minuitur, ùt: *Si quis parricidam hominem nequam vocet.*

3. *Tautologia* est ejusdem verbi, & sermonis iteratio: Verbi, ùt: *Nam cujus rationis ratio non extat, ei rationi, ratio non est* fidem habere. *Sermonis*, ùt: *Ibant quà poterant, quà non poterant, non ibant.*

Vitanda est nimia ejusdem literæ assiduitas, ùt: *Quidquam quisquam cuiquam, quod convenit, neget.*

Macrologia est longior, quàm oporteat, sermo. *Liv. Legati non impetrata pace retro domum, unde venerant, abierunt.*

Pleonasmus est vitium, cùm supervacuis verbis oneratur oratio, ùt: *Ego meis oculis vidi.* Satìs est enim *vidi.*

Cavendum etiam diligenter est, ne consonantes asperè concurrant, ut s ultima cum x proximâ, ùt: *Exercitus Xerxis.*

Durior etiam fit concursus, si útraque se ipsam sequatur, ùt: *Ars studiorum, Rex Xerxes.*

Vitandi & crebri vocalium concursus, qui vastam & hiantem orationem reddunt, ùt: *Baccæ æneæ amœnissimè impendebant. Viro optimo obtemperâsti olim.*

Illud quoque vitium est, si multæ voces ejusdem exitûs in unum locum congerantur, ùt: *Flentes, plorantes, lacrymantes, obtestantes.*

Et

Et si verbi prioris ultimæ syllabæ sunt primæ sequentis, ut: *O fortunatam natam me Consule Romam.*

Animadversio.

Si quando Tiro apud graves Oratores aliquid invenerit, quod supervacaneum atque otiosum esse videatur, ne id sine causâ factum esse putet. Adduntur etiam interdum quædam affirmationis gratiâ. *Terent. Adelph. Hisce oculis egomet vidi. Virg. Vocémque his auribus hausi.*

Adduntur & alia, quæ aut consuetudine, aut auctoritate, aut vetustate, aut necessitate denique excusantur. Cic. ad Att. *Ubi terrarum esses, ne suspicabar quidem.* Idem ad Eundem. *Longè gentium abes.* Ad Eundem. *A Brundusio nulla adhuc fama venerat.* Idem de Senectute. *Adolescentulus miles profectus sum ad Capuam.* Idem in Verr. *Ceteri hæredes adeunt ad Verrem.* Idem ad Quint. Fratr. *Diem scito esse nullum, quo die non dicam pro reo.* Idem in Verr. *Impetrant, ut ne jurent.* Idem pro Marcello. *Frater tuus, quanti me faciat, sempérque fecerit, esse hominem, qui ignoret, arbitror neminem.*

Appendix I.

De
Puritate, Proprietate, Elegantia & Copia Linguae Latinae.

Membrum I.

De Puritate Linguae Latinae.

Quæ voces, locutionésque à Puritate Linguæ Latinæ deflectant, aut suspectæ videantur, integris libris Auctores bene multi complexi sunt. Et sanè percommodè agunt illi, qui vel Scripto-

res,

res, vel bona Lexica consulunt, ubi dubium de vocis cujusdam probitate occurrit; neque certior pro Tironibus barbara cavendi ratio est, quàm si descriptos barbararum vocum indices oculis frequentiùs obeant. Provectioribus tamen generales quædam regulæ, quæ & memoriam juvare, & suspicionem movere possint, haud ab re suppeditantur. Brevem itaque Barbarismorum collectionem in Secunda pro Tironum usu dedimus; paucas nunc regulas, ad quas vel verba examinare, vel unde dubitare de suspectis discant, provectiorum commodo scribimus.

REGULA I.

*Utendum est verbis ex Aetate aureâ * depromptis.*

* Hæc regula tenenda est veræ Latinitatis candidato, ut aureæ ætatis Auctores unicè sibi sequendos proponat; genuina enim Latinitas aliud nihil est, nisi incorrupta loquendi observatio secundùm Romanam Linguam, quam Ciceronis seculum emendavit, excoluit, expolivit; adeóque posterioris ætatis nullum, nisi ubi vel *usus*, vel *necessitas* postulat, imitetur. Utrique quatenus deferendum aliquid sit, ceteræ regulæ ostendent. Utque eò certiùs de vocabulorum & locutionum probitate judicium ferre quis possit, & quo loco singula habenda sint, intelligat; litterariæ juventutis utilitati consulturum me existimavi, si insigniores Linguæ Latinæ Scriptores in suas Classes dispositos, additâ, si opus est, animadversione referrem. Solet autem diversitatis, quam Latinitas subiit, imago desumi à colosso τετραμετάλλῳ, unde & indoles, seu natura alia dicitur *aurea*, alia *argentea*, alia *ænea*, alia *ferrea*, *fictili* mixta: adeóque Eruditorum consensu distinguimus Latinæ Linguæ *ætatem auream*, *argenteam*, *æneam*, *ferream*.

I. AE-

I. *AETAS AUREA.*

Hæc ætas incepit à bello Punico ſecundo, hoc eſt, A. U. C. 536. deſiit cum Octavio Auguſto, ſive A. U. C. 767. poſt Chriſtum natum 14, & duravit circiter annos 230. Ante hæc tempora lingua Latina in infantia, & adoleſcentiâ ſuâ rudior fuit atque agreſtior; ſuam verò ruſticitatem operâ *Livii Andronici*, *Nævii*, *Ennii*, *Cæcilii*, *Pacuvii*, *Attii*, *Afranii*, *Lucilii*, *Catonis*, *Plauti*, *Terentii*, aliorúmque paulatim exuit, & niteſcere cœpit.

Præcipui aureæ ætatis Scriptores ſunt hi 17. *Plautus*, *Terentius*, *Varro*, *Lucretius*, *Cicero*, *Cæſar*, *Nepos*, *Virgilius*, *Horatius*, *Ovidius*, *Livius*, *Salluſtius*, *Tibullus*, *Propertius*, *Manilius*, *Vitruvius*.

I. M. Accii Plauti, Comici, dictio eſt nativa, ſeu plana, ac incorrupta, item jucunda, ac ſententioſa. Abſtinendum tamen ab ejus Archaiſmis, vocibúsque riſui captando fictis, ac ſcurrilibus jocis, componendíque ac inflectendi licentiâ: cautè legendus propter obſcœnas locutiones.

II. In *P. Terentio* (pauca obſoleta excipias) ſtilus eſt non ſolùm nativus ac ſimplex, ſed etiam Plautino purior ac comptior, ſimul verò nugaciſſimus, ac non rarò obſcœnus.

III. *M. Terentii Varronis* ſermo eſt proprius, planus, nec incultus. Præter fragmenta quædam, libri tres *de re ruſticâ*, & ſex *de lingua Latina* è ſcriptis ejus ſuperſunt.

IV. *F. Lucretii Cari* dictio pura quidem eſt & caſtigata, ſed tamen ob inſperſos Archaiſmos, numeríque aſperitatem pro illorum temporum genio duriúſcula.

V. *M. T. Cicero*, Romanæ eloquentiæ caput ac Princeps, ſtilo uſus eſt optimo, utpote in quo nativa & incorrupta integritas cum ſumma venuſtate ac copia certat. Unde Ciceronis lectione & imitatione terſæ ac emendatiſſimæ Latinitatis ſtudioſis meritò nihil eſt prius ac poſterius. Quò enim ſcriptores alii abfuêre ab hoc propiùs, eò ſunt meliores; eò autem deteriores, quò longiùs.

VI. *C. Julius Cæſar* rerum ſuarum commentarios reliquit, in quibus omnia ſunt plana, nativa, terſa, ac gravia, ipſâque ſuâ nuditate, quæſiti cultûs experte, ornata.

VII. *Cornel. Nepotis* dictione nihil universa antiquitas in stilo historico habet purius, castigatius, ac simplicius. Neque sua nativæ simplicitati elegantia deest.

VIII. *P. Virgilii Maronis* character in *Bucolicis* simplicior, in *Georgicis* floridior cultiórque, in *Aeneide* sublimis, seu magnificus est, ac copiosus. Et quia res verbis æquat, actiones tardas gravésque lento spondéo, incitatas autem celeri dactylo spirantibus quasi coloribus exprimit, & repræsentat.

IX. Ut latinorum Poëtarum Princeps suis meritis in heroïco carminis genere est *Virgilius*; sic eandem sibi in Lyricis laudem vindicat *Q. Horatius Flaccus*; sermones ejus & Epistolæ, uti & ea, quæ de arte Poëtica tradit, non phrasi tantùm meditatâ ac lectissimâ, sed etiam gravissimis sapientiæ præceptis abundant; numero autem, nativóque & suavi flumine non item. Ceterùm fœdissimus fuit Epicuri de grege porcus, ac obscœnus canis, lectione in multis indignissimus.

X. *Ovidius Naso* est Poëta nativo, neque minùs puro ac eleganti metri flumine reliquos omnes vincens, nimirum in Elegíaco carminis genere: in Epico seu Heroico Virgilio est inferior. Sed in libris Heroidum & Amorum est impuri sensûs, ob quem illi flammam potiùs, quàm lectionem merentur.

XI. *Titus Livius* Romanæ historiæ scriptor politissimus, à lactea ubertate, seu ab amœna ac profluente dictionis copia, præcipuâ est commendatione dignus.

XII. *C. Sallustius Crispus* usus est conciso, abrupto, & elaborato dicendi genere, paucis subacto cum judicio multa complexus: sensus in eo sunt graves, generosiore animi impetu concitati; sententiæ autem non raró amputatæ, non inconcinnæ tamen, & verba ante Lectoris exspectationem cadentia; qui character attentionem & postulat, & acuit, animum non injucundè suspensum tenens. In Archaismis autem imitandus non est.

XIII. XIV. XV. *Catullus*, *Tibullus*, *Propertius* Poëtæ sunt tersi ac nitidi; sed dictione, quàm argumento castiores, ideóque auribus atque oculis Christianis indigni.

XVI. *M. Manilius* Poëta dictionem habet satis puram, nativam, facilem, seu sponte profluentem, nec anxiè conquisitam, in argumento Astronómico haud infeliciter tentatam.

XVII.

XVII. *Vitruvius Pollio*, Architecturæ ſcriptor, dicendi genere uſus eſt humili, puro tamen & probè Romano.

II. *AETAS ARGENTEA.*

Argentea Latinitatis ætas ab obitu Auguſti, ſive ab A. C. 14. uſque ad exceſſum Trajani, ſive ad A. C. 117. extenſa, per centum circiter annos viguit. In hac *Latina* lingua nativam integritatis ſuæ laudem ita retinuit, ut tamen cùm ex ingeniorum morúmque vitio, tum è commercio cum peregrinis frequentiori nonnihil peregrinitatis, labentíſque ſenii contraheret.

Nobiliores ætatis hujus ſcriptores ſunt: *Phædrus*, *Curtius*, *Vellejus Paterc.* *Val. Maximus*, *Corn. Celſus*, Mela, *Columella*, *Palladius*, *Seneca*, *Lucanus*, *Perſius*, *Aſconius*, *Plinius uterque*, *Quintilianus*, *Silius*, *Val. Flaccus*, *Martialis*, *Juvenalis*, *Statius*, *Tacitus*, *Frontinus*, *Suetonius*. Huc ob dictionis cultum ex inferiore ætate referendus eſt *Florus*, item *Juſtinus*, *Petronius Arbiter*, *A. Gellius*.

Phædrus, perverſos ſæculi ſui mores notaturus, fabulas Aeſopicas jambico carminis genere expreſſit. Dictio ejus amœna eſt, lecta, & probè latina, ſeu aurea.

Q. Curtii Rufi oratio Auguſteo ævo digniſſima eſt: terſa enim eſt, atque nativa, arguta, inaffectata, lectiſſima. Lactea illi non ſecus ac *Livio* eloquentiæ ubertas, ſententiæ graves, temperatæ, luculentæ; digreſſiones opportunæ, orationes comptiſſimæ; in primis in locorum deſcriptione eſt admirabilis.

Vellejus Paterculus, ſummus laudandi ac vituperandi artifex, dictionem habet ingenioſam, nativam, amœnam, caſtigatam, ſubinde aptis epiphonematibus quaſi condítam.

Valerius Maximus, ſcriptor melioris ævi, quàm ſermonis, nimio ſæpe tumore inſurgit, & ſententias magno verborum ſtrepitu circumloquitur. Orationis nitori & flumini quod deeſt, gravitate, rerúmque varietate aliquo modo compenſat

Cornelius Celſus, Latinorum Hippócrates, ſeu Medicorum Cicero, dictionem habet emendatiſſimam; *Pomponius Mela* puram, concinnam, planam, & argumento de ſitu orbis ido-

neam; *Columella*, rei rusticæ scriptor, nativam, cultam, nec elegantibus sententiis destitutam; *Palladius* satìs puram, pressam, nec indisertam; *Asconius Pedianus* adstrictam, facilem; *Frontinus* non invenustam quidem, sed humilem.

L. Annæi Senecæ, Philosophi Stoici, judicium fuit acerrimum, animus probus; oratio pura, concinna, acuta, incitata, concisa, gravis, sententiarum pondere, & argumentorum vi magnifica; nec non ipsâ brevitate copiosa ac locuples, quæ eundem sensum non sine singulari gratia aliis verbis modísque exprimit. In tragico dicendi genere generosus est ac sublimis. Hujus Parens *M. Annæus Seneca*, Rhetor, sermonem habet nitidum, concisum, gravem, judicii acumine plurimis in locis perpolitum.

Plinii Secundi, senioris, historiæ naturalis scriptoris, stilus est castigatus, lectus, disertus. *Plinius Junior in epistolis* est sine affectatione elegans, tersus, nitidus, concisus, perspicuus; *in Panegyrico Trajani* pressus & simul magnificus.

M. Fabius Quintilianus Rhetor, & Institutionum oratoriarum Auctor est eruditus, præceptis, exemplísque oratori ad Latini sermonis facultatem, rerúmque copiam utilissimis abundans, dictione disertus, ac politissimus. Aureum est Quintiliani monitum, quo declarat, *fugiendum esse vitiosum & corruptum dicendi genus, quod aut verborum licentiâ resultat, aut puerilibus sententiis lascivit, aut tumore immodico turgescit, aut inanibus locis bacchatur, aut casuris, si leviter excutiantur, flosculis nitet, aut specie libertatis insanit.*

C. Cornelii Taciti stilus est generosus, acutus, concisus, incitatus, & ferè nimis elaboratus, non rarò sensu, quàm verbis profundior.

L. Annæus Florus compto quidem & arguto utitur stilo, sed non satìs nativo ac proprio; Poëta, si versus scripsisset, melior, quàm Historicus.

Suetonius Tranquillus in XII. Cæsarum priorum vitis describendis, vitiísque notandis, felix, concisus, acutus, nec inelegans, antiquitatis plenus, adeóque intellectu difficillimus, in excutiendis flagitiorum minutiis nimis sedulus, ideóque castis auribus gravis.

Ju-

Justinus Historicus est tersus, cultus, facilis, adstrictus; interdum æneæ ætatis, quam vivendo attigit, fœcibus inquinatus, ubi potiùs dictionem sæculi sui, quàm *Trogi Pompeii*, qui aureæ ætatis scriptor fuerat, & cujus epitomen exhibet, secutus videtur.

Petronius Arbiter, ingeniosus flagitiorum magister, & impurissimus puræ Latinitatis Auctor; si res respicias, oblivione dignior, quàm lectione.

A. Gellius est scriptor criticus, sagax, vocúmque antiquarum Judex & censor incorruptus; stilo tamen ex Archaismi affectatione non rarò duriusculus, ideóque lectione potiùs Criticis & Gramaticis præcipuè necessariâ, quàm imitatione dignus.

POETAE.

Argenteæ ætatis præter *Phædrum* & *Senecam* Tragicum, antè laudatos præcipui hi fuêre:

Annæus Lucanus, Poëta dictione ardens, & concitatus, sententiis abundans, sed nec tumore vacuus.

A. Persius est Satyricus elegantissimus, ac vitiorum censor acris, & sententiosus.

Valerius Flaccus carmine Epico, docto, gravi, acuto, sed non ubique satìs limato clarus.

Silius Italicus, scriptor belli Punici secundi, gravis & copiosus, industriâ in conquirendo carminis nitore, quàm ingenio melior.

M. Valerius Martialis, Epigrammatum Auctor non minùs obscœnus, quàm ingeniosus, cultúsque.

Junius Juvenalis, satyrarum scriptor acerrimus, acumine plenus; non rarò autem in censendis vitiis turpis.

Statius stilo útitur eleganti, concitato, sublimi, sed non ubique satìs nativo ac puro.

III. *AETAS AENEA ET FERREA.*

Hæc Romanæ linguæ ætas tria circiter sæcula complet, utpote quæ ab obitu Trajani, qui in annum Christi 117. inci-

dit, seu ab Hadriano litterato quidem, sed in litteratos iniquiore usque ad Honorium, quo imperante A. post C. N. 410. Gothi Romam expugnârunt, porrigitur. In hoc neglectis Litterarum studiis, nec non peregrinorum moribus, vocibúsque audaciùs assumptis, priscæ Latinitatis vigor paulatim ita defecit, ut è senio in ætatem decrepitam, imò quasi in exilium abiret.

Non unius autem generis sunt hujus ætatis Auctores: alii enim in flectendis vocibus, totâque sermonis structurâ & phraseologiâ fuêre audaciores; alii pristinæ integritatis servantiores; v. g. *Lactantius*, *Minutius Felix*, *S. Hieronymus*; & è Poëtis *Claudianus* ac *Prudentius* cum nonnullis Grammaticis.

Inter æneos eminent sequentes: *Apicius*, *Apulejus*, historiæ Augustæ Scriptores (*Aelius Spartianus*, *Julius Capitolinus*, *Aelius Lampridius*, *Vulcatius Gallicanus*, *Trebellius Pollio*, *Flavius Vopiscus*) *Tertullianus*, *Arnobius*, *Marcellinus*, *Symmachus*, *Vegetius*, *Lactantius*, *Minutius Felix*, *Macrobius*, *S. Cyprianus*, *Ulpianus cum IC veteribus*, *Censorinus*, *S. Hilarius*, *Prudentius*, *Juvencus*, *Claudianus*, *Ausonius*, *Aurelius Victor*, *Servius*, *S. Ambrosius*, *S. Hieronymus*, *Sulpitius Severus*, *S. Augustinus*, & Grammatici veteres.

Ab initio quinti sæculi Christiani usque ad sæculum XIV. ætas *ferrea fictili mixta* extenditur, atque ita mille propemodùm annos complet, quâ Latina lingua à pristino nitore suo magis magísque degeneravit, barbaro planè habitu assumpto, donec sub initium sæculi XV. in Italia primùm è tenebris emergere, ac sordes operâ potissimùm *Dantis Aligerii*, *Franc. Petrarchæ*, & *Emmanuelis Chrysoloræ* deponere cœpit.

Nobiliores hujus ætatis scriptores præcipuè hi sunt: *Orosius*, *Prosper Aquitanicus*, *Sedulius*, *Sidonius*, *Salvianus*, *Boëtius*, *Fulgentius*, *Cassiodorus*, *Priscianus*, *Justinianus*, *Isidorus*, *Beda*, *Rabanus*, alii. Horum verò quidam adhuc satìs latinè, nec invenustè scripserunt, stilo, quàm sæculo meliores.

REGULA II.

*Ab omnibus diversarum originum vocibus * est abstinendum, nisi urgeat necessitas. ***

* Voces

* Voces ejusmodi vocantur *Hybridæ*, id eſt, ex diverſis linguis conflatæ, veluti ex Græca & Latina, ex Græca & Germanica, ex Latina & Germanica &c. v. g. *monoculus*, ex Græco μόνος & Latino *oculus*; *inanilogus* ex *inanis* & λόγος: hujus generis vocabula reſpuunt Latinæ aures; ac pro iis rectiùs dixeris *unoculus*, *inaniloquus*; niſi quòd nonnunquam Comici joci cauſâ talia fingant.

* * *ARCHIDUX*, *ARCHIPRINCEPS*, *ARCHICANCELLARIUS*, *ARCHIPINCERNA*, *ARCHIDAPIFER*, *ARCHIMARESCHALLUS*, *ARCHICAMERARIUS*, *ARCHITHESAURARIUS &c.* in hybridarum quidem vocum numerum referuntur, ſed vix poſſunt elegantiùs, magíſque latinè reddi, ut non dignitati magnorum Principum quidquam detrahatur: Horum verò majeſtatem malle lædere, quàm Priſcianum læſiſſe videaris, ſtultum eſt.

Regula III.

*Vocabula barbaræ originis * fugienda ſunt, niſi civitate donata eſſe conſtet.* * *

* (a) *Barbara ſunt vocabula origine Germanicâ*, v. g. *Burgus* ein Burg pro caſtello: *camera* Kammer pro conclavi &c. ſexcentáque alia, quæ *Carolus* du *Freſne* in Gloſſario congeſſit.

(b) *Vocabula ex lingua Italica vel Gallicâ in Latinam invecta.* Talia ſunt pleraque Adjectiva in *OSUS*, v. g. *affectuoſus*, *miraculoſus*, *rigoroſus*, *ſerioſus*, *pompoſus*, *virtuoſus.* Aliqua tamen proba ſunt v. g. *vitioſus*, *probroſus &c.*

Ex hoc capite proſcribuntur *vacantia*, *ſuperioritas*, *ſuccurſus*, *ſubalternus*, *ſituari vel ſituatio*, *revolutio*, *ratificare*, *protectio*, *prioritas*, *partialis*, *neutralis*, *modernus*, *maxima* pro regula, *liga*, *lubricitas*, *irregularis*, *irreconciliabilis*, *importantia* pro momento vel pondere, *fortalitium*, *diſtrictus*, *correſpondere*, *confortare*, *condolentia*, *condeſcendere*, *complacentia*, *capitaneus*, *beſtialitas*, *aſſiſtentia*, *approximare.* &c.

* * Civitate donata ſunt: *Gaza*, *paraſanga*, *acinaces*, *eſſedum*,

dum, *satrapa*, *benna* vehiculi genus, *bracca*, &c licèt originem vel Persicam, vel Gallicam, vel Germanicam præ se ferant.

REGULA IV.

Abstinendum est â Græcarum vocum usu crebriori.

* Græca non sunt intermiscenda Latinis, ubi linguæ Latinæ satìs locuples penus est, & ea Græcis vocabulis satìs respondentia suggerit, qualia sunt *abyssus*, *agon*, *blasphemia*, *eremus*, *exotericus*, *hypocrisis*, *neotericus*, *orphanus*, *praxis*, *zelus*, pro quibus meliùs, nisi alio ex capite adhibenda sint, dicas: *profundum* vel *vorago*, *lucta suprema*, *exsecratio*, *loca deserta*, *peregrinus* vel *adventitius*, *simulatio pietatis*, *recentior*, *pupillus*, *usus*, *æmulatio*, vel *studium*.

** Græcorum tamen vocabulorum usus laudabilis est, si sint commodiora, aut veluti civitate donata, ùt sunt: *technæ*, *stropha*, *barathrum*, *epistola*, *machina*, *sophistes* &c.

(a) Aut habeant plus gratiæ, utì fit, quando amici cujusdam eruditi oblectandi causâ adhibentur. Exemplo præit *Cicero* in epistolis ad Atticum.

(b) Aut si Latina dubia sint, ut necessitate coacti divertamur tantisper ad Pelasgos.

REGULA. V.

Nomina colorum in EDO desinentia tantùm non omnia inferioris ætatis sunt. *

* Talia sunt: *albedo*, *flavedo*, *nigredo*, *rubedo*; pro quibus veteres: *albitudo*, sive *albor*, sive *color albus*; *color flavus*; *nigror*, *nigritudo*, *nigrities*; *rubor*.

REGULA VI.

Suspecta sunt pleraque Adjectiva in ALIS vel ABILIS; * *ùt & Adverbia in ALITER & ABILITER desinentia,* ** *& multa Substantiva in UDO.* ***

Ejus-

* Ejusmodi sunt: *abominabilis*, *æternalis*, *bestialis*, *commensalis*, *collateralis*, *curabilis*, *filialis*, *finalis*, *incessabilis*, *incurabilis*, *infernalis*, *irreconciliabilis*, *meridionalis*, *neutralis*, *partialis*, *primordialis*, *proportionalis*, *vernalis* &c.

** Ejusdem notæ sunt: *æternaliter*, *aliqualiter*, *casualiter*, *conditionaliter*, *finaliter*, *incessabiliter*, *inviolabiliter*, *legaliter*, *momentaliter*, *ocularitér*, *perpendiculariter*, *totaliter* &c.

Non desunt tamen hujus generis Adjectiva & Adverbia, quæ bonæ notæ sunt, v. g. *affabilis*, *detestabilis*, *irremeabilis*, *medicabilis*, *medicabiliter*, *æternabilis*, *innumerabilis*, *innumerabiliter* &c.

*** Hujus generis sunt: *aptitudo*, *gratitudo*, *promptitudo*. &c.

Regula VII.

*Vitanda sunt vocabula quædam * Juridica.*

* Elegantissima veterum Jure consultorum tantùm non omnium dictio est, sequiore autem ævo varia in Juris prudentiam invecta sunt vocabula, quæ ab antiqua Romanorum elegantia haud parum discrepant, v. g. *advocare* pro causam agere, adesse reo in periculo; *Apanagiatus* pro privato; *Cambium* pro collybo, commutatione pecuniæ; *Complices* pro sceleris vel amentiæ sociis, audaciæ satellitibus atque administris; *dispensare* pro legibus solvere; *Juramentum* pro jurejurando, sacramento; *Matricula* pro albo, indice; *Meliorare* & *deteriorare*, pro meliorem vel deteriorem reddere, in melius referre; *Notorium*, *notoriè*, pro manifesto, manifestè, aperto, apertè; *Salvus conductus*, pro fidem publicam dare, fide publicâ evocare, interpositâ fide publicâ aliquò ducere; *Tortura* pro tormentis, vel quæstionibus.

Regula VIII.

*Vocabula Philosophica * ab elegantiore stilo absint.*

* Vocabula ejusmodi *suo tempore & in loco* adhibita minimè videntur reiicienda; quin potiùs inepti creduntur ii, qui intempestivè hìc sapiunt, & eleganti Latinitate suâ artium, scien-

ſcientiarúmque luci offundunt tenebras. Itaque *hæcceitas*, *quidditas*, *individuatio*, *immedietas*, & ſimilia Romanis auribus ignota vocabula in diſputando & primâ Philoſophia locum ſuum habent; ſi quis tamen pueris hæc & adoleſcentibus adhibenda in ſtilo ſuadeat; næ ille datâ velut operâ barbariem ſectatur. Melioribus igitur, ubi uſus eſt, commutari debent; præcipua exhibemus:

Abſolutè & hypotheticè, *ſimpliciter*, *& cum conditione*, *ſeu adjunctione*.

Affectus, *commotio animi*.

Anguli oppoſiti, *adverſi*.

Apperceptio, *conſcientia*.

Appetitus ſenſitivus, *animalis*.

Cauſa materialis, *materia*, *quæ efficienti ſe præbet*, *& ejus actione fingitur*.

Cauſa impulſiva, *impellens*, *movens*.

Circulus in demonſtrando, *demonſtratio in orbem*.

Circumferentia, *extremitas rotunda*, *circumductus*, *circumducta*, *circuitus*, *ambitus circuli*.

Concurſus, *cauſæ juvantis acceſſus*, *acceſſio*.

Contingens, *fortuitum*.

Contradictio, *repugnantia*.

Dependere, *pendere ab aliquo*.

Diametrus, *dimetiens*, *media circuli*.

Aequipollentia, *pariatio*.

Anguli continui, *continentes*, *latere communi juncti*.

Apprehenſio ſimplex, *perceptio*, *& notionum informatio*.

Apparens bonum, *opinatum*.

Attributa, conceptus ſecundi, *proprietates*.

Cauſa finalis & formalis, *finis*, *forma*.

Certitudo, *certum*, *& aſſenſionis firmitas*.

Circulus in definiendo, *definitio in orbem*.

Circumſtantiæ, *περιστάσεις*, *loca*, *tempora*.

Conſcientia bona & mala, *rectè maléque factorum*.

Continuum, *continens*, *de re concreta*.

Contradictoria, *contraria*, *repugnantia*.

Definitio nominalis & realis, *rei & nominis vel verbi*.

Differentia, *reſiduus numerus*, *exceſſus*.

Di-

Difpoiitio, *habilitas.*
Enunciatio univerfalis, *generalis.*
Exiftentia, *quæ funt.*
Habituale, *conftans & durabile*, cui opponitur, *prætereiens & temporarium.*
Imaginatio, *vis concipiendarum imaginum, phantafia.*
Immediatæ proprietates, *communes, generales, & proximæ, continentésque.*
Inclinatio, *propenfio, proclivitas.*
Individua, *finguli, fingula.*
Lineæ parallelæ, *æquidiftantes.*
Lineæ divergentes, *divaricantes.*
Mediatæ proprietates, *peculiares, remotiores.*
Motiva, *momenta voluntatis, rationes, caufæ.*
Non ens, *ἀδύνατον*, *fpecies vana vel inanis.*
Numeri heterogenei, *numeri diffimiles, five diverfi generis.*
Operatio, *mentis actio five munus.*
Oppofitio, *disjunctio.*
Polygoniæ figuræ, *multiangulæ.*
Prædicatum, *attributum.*
Productum, *fumma, quod fit, multiplex.*
Pronuntiatio, *enunciatio.*
Proprietates propriæ, *fuæ.*
Quadratura, *dimenfio areæ.*
Refractio radii, *declinatio.*

Divergentia, *divaricatio.*
Etymologia, *notatio.*
Figura, *forma.*
Ideæ completæ, *perfectæ, plenæ, abfolutæ, incompletæ, imperfectæ, mancæ.*
Imaginationes, *vifa, fpectra, fpecies.*
Impoffibile, *ἀδύνατον*, *quod repugnat, fieri nequit.*
Individuum, *res fingularis.*
Intellectus, *intelligentia.*
Lineæ convergentes, *coëuntes.*
Media, *fubfidia, artes, remedia.*
Modi, *affectiones, eventa.*
Noluntas, *declinatio.*
Numeri homogenei, *numeri fimiles, five ejusdem generis.*
Objectum, *quod alicui objectum eft, vel fubjectum, in quo verfatur.*
Oppofita, *disjuncta, contraria.*
Paffio, *perpeffio.*
Prædicamenta, *categoriæ.*
Præmiffæ, *fumptiones, fumpta.*
Proportio continua & difcreta, *continens, feu conjuncta & disjuncta.*
Propofitio major, *propofitio*, minor, *affumptio.*
Punctum, *nota, σημεῖον.*
Reflexio, *confideratio rerum.*
Species generis, *formæ, partes generis, quæ generi fubfunt, fubjecta funt.*

Syl-

Syllogismus affirmativus, & negativus, *ajens & negans.*
Syllogismi disjunctivi, *ex disjunctionibus, disjuncti.*
Unitates, *singula.*
Syllogismi conditionales, *ex antecedentibus, connexi.*
Trapezia, *mensulæ.*
Universalia, *notiones generum & formarum.*

REGULA IX.

In vocabulis Ecclesiasticis adhibenda cautio est.

* Si quid in ejusmodi vocibus inest μυστηριῶδες (inest autem plurimis) rectissimè feceris, si ea adhibeas: universè ità ex multorum sententia statuendum de his videtur: Cùm in docendo, in Latinis concionibus, in explicando quodam capite cœlestis doctrinæ versaris, utere verbis in Ecclesiâ usitatis, vulgatæ, quam vocamus, scripturæ, ac Patrum Latinorum stilo loquere, ne profanus videaris. Gravissimè in hanc rem *EDMUNDUS CAMPIANUS*, Societatis *JESU* illustris in Anglia pro Fide Catholicâ Martyr: *Apud Ciceronem*, inquit, perpessio, *non* passio *invenitur*; *num propterea Christiani non audebimus* Passionem Christi *totidem literis & syllabis pronunciare?* Per me quidem potiùs in Tiberim omnia Ciceronis opera conjiciantur, quàm hujus unius dictiunculæ jactura fiat. *Quare? sic enim increbuit jam significatio rei sanctissimæ & maximæ, ut non sit tutum abolere. Idem existimo* de Pœnitentia, *quæ fortiùs & valentiùs Ecclesiæ Catholicæ sensum loquitur*, quàm Resipiscentia, *quæ mihi videtur non solùm infirmior, sed sono etiam jejunior. Jam verò quis nesciat, Sacramentum apud illos Ethnicos non idem significâsse, quod hodie apud Christianos? aut* vetus novúmque Testamentum, *ex talium Auctorum sententia pro sacris Bibliis accipi non posse? quid ergò? nomen antiquabimus? Confessio fidelium & Religio vetat.* Hactenus vir fortissimus, idémque eloquentissimus.

** Quoties verò obiter in vita enarranda, aut in simili oratione, alioquin pura & polita, incidit sacrarum rerum mentio, non absurdum, sed decens est, periphrasi commoda, quæque intelligi ab omnibus possit, explicare ea, quorum propria vocabula minùs latina sunt, neque μυστηριῶδες aliquid innuunt. Hujus generis pauca de multis accipe:

Abo-

Abominatio, *res deteſtabilis*, *res abominanda.*

Apoſtata, *Religionis veræ deſertor*, *qui veram Religionem ejuravit.*

Canonizare, *in Cœlitum numerum referre.*

Conſcientia bona *vel* mala, *ſalvo officio quid facere*, *conſcientia factorum*, *recti*, *bene actæ vitæ*, *ſceleris*, *religione impediri.*

Creatura, *res creata*, *opificium DEI.* (Lactant.)

Crucifigere, *cruci affigere*, *in crucem agere*, *tollere.*

Crux, *piorum calamitas.*

Damnare, *æternis ſuppliciis mactare*, *addicere &c.*

Excommunicare, *ſacrorum uſu prohibere*, *interdicere ſacrorum commercio*, *ejicere Eccleſiâ*, *diris devovere.*

Exaudire preces, *audire preces*, *annuere precibus*, *vota rata habere.*

Eleemoſyna, *ſtipem conferre in egenos.*

Humilis, humilitas, *modeſtus*, *modeſtia*, *demiſſio animi.*

Jejunare, *cibo ſe abſtinere.*

Impœnitens, *improbus*, *impius*, *qui nullo peccatorum ſenſu tangitur.*

Implere legem, *parére legi*, *ſatisfacere legi*, *officii ſui partes implere.*

Longanimitas, *ira lenta*, *lento gradu ad vindictam procedere*, *in ulciscendo tardior*, *remiſſior.*

Mundus, pro *impiorum colluvie*, pro *rebus humanis*, *vita*, *ſæculum.*

Opera bona, *ſanctæ actiones*, *ſanctimonia*, *pietatis ſtudium.*

Prophetare, *vaticinari*, *prædicere.*

Proximus, latiniùs dicitur, *alius*, *alter homo* &c.

Peccata remittere, *remittere* abſolutè, *ignoſcere*, *veniam dare*, *gratiam delictorum facere.*

Salvifico, *ſervo*, *ſalvo*, *ſalvum reddo*, *ad ſempiternam beatitudinem perduco.*

Scandalum, ſcandalizo, *res mali*, *peſſimi exempli*, *impedimentum pietatis*, *irritamentum malorum*, *corrumpere quem*, *pejorem reddere*, *contagione malorum evertere*, *conſcelerare alicujus aures.*

Sæcularis, Latinis eſt centeſimus vel centeſimus decimus annus; aliàs *profanus.*

REGULA X.

*Verba merè Poëtica * non temerè usurpanda sunt.*

* Talia ferè sunt epitheta decomposita, & dithyrambica: *flammiger*, *auricomus*, *pietaticultrix*, *incurvicervicum pecus* &c. & universè, quæ verba, epitheta, formulæ in bono Lexico non aliam habent auctoritatem, quàm Poëtarum, illis non temerè utendum in soluta oratione.

REGULA XI.

*Vocabula temerè * innovata rejicienda sunt.*

* *Temerè innovata* sunt illa, quæ antiquorum vocibus rectiùs exprimuntur. Longam eorum seriem texit P. Franciscus Wagner in Phraseologia. Hoc tamen nomine non censentur nova vocabula, quæ rebus novis per duodeviginti sæcula inventis communi usu accommodantur, aut disciplinis variis atque opificiis quasi propria hodie tribuuntur. Ejusmodi sunt apud Theologos: *Sacramentum*, *Resurrectio*, *Diaconus*, *Martyr*, *Purgatorium* &c. Apud Jure consultos: *Adoptio*, *præscriptio*, *allodium*, *hypotheca*, &c. Apud Medicos: *Sirupus*, *electuarium* &c. In re bellica: *Mareschallus*, *Peditatûs Magister*, *Equitatûs Magister*, *Pro-Sub-Mareschallus*, *prima forma tormenta*, *media forma tormenta*, *colubrina*, *mortaria*, &c. In vita communi: *ducatus*, *thalerus*, *florenus*, *Thea*, *caffea*, *cannefassum*, &c. vide *Indiculum universalem P. Pomey*. *Apparatum eruditionis P. Pexenfelder*. Solent tamen ex more veterum viri nostrâ, & superiori ætate doctissimi asperiusculas, duriusculas, aut paulò obscuriores locutiones ac verba mollire his ferè formulis: *ùt vulgo loquimur*, *ùt ajunt*, *ut minùs latinè dicam*, *ùt loquuntur Philosophi*, *ùt loqui solemus*, *ùt vocant*, *quod vocant*, *ut locutione utar Mathematicorum*, *ut verbo utar Logicorum*, *sic enim nunc loquuntur*, *si ita dicere licet*, *liceat peregrino verbo uti* &c.

** Cetera, quæ commodè latinè reddi possunt, peregrinis vocabulis exponi non debent. Sanè Theologus multa in usum suum benè latina invenit in *Lactantio* & *Minutio*; Jureconsultus in *Ulpiano*, *Papiniano*, *Lexico Brissoniano*, & *Corpore Juris*; Medicus in *Celso*; Physicus in *Plinio majore*; Philoso-

losophus in *Ciceronis* & *Senecæ* ſcriptis Philoſophicis: *Scriptores de re ruſtica* ſerviunt ad bene loquendum de agricultura; *Cæſar*, *Curtius*, *Livius*, *Vegetius* de re militari; *Pomponius Mela* &c. de Geographiâ: quin & recentiores in omnibus propemodùm ſcientiis præclara optimi ſtili exempla ſuppeditant. Sic ex veterum Auctorum ſcriptis novas ævi noſtri res & conſuetudines appellamus:

Ab ictu telorum tutum eſſe. Schuß-frey ſeyn.

Ab lateribus hoſtem circumvenire, dem Feind in die Flancken fallen.

Acies continetur, die Armée ſtehet en ordre de Bataille ſtill.

Ad arma conclamatur, man giebt ordre ins Gewehr zu ſtehen.

Adductibus ad urbem accedere, approchieren.

Adeò certo ictu deſtinata ferit, ut aves quoque excipere poſſit, er iſt ein Lufft-Schütz.

Aedes mercatorum conventu quotidiano celebratæ, die Börß der Kauff-Leuth.

Aggerem jacere, aggeres ſtruere, Batterien aufwerffen.

Agmen ad dextram retorquetur, die Armée ſchwenckt ſich rechts.

Architectonica civilis inſtructa circulo, amuſſi & decempeda; ſociata cum Architectonica militari, noſcenda ex perpendiculo; die Bau-Kunſt mit einem Circul, Winckel-Maß, und Maß-Stab vergeſellſchafftet mit der Ingenieur-Kunſt, zu erkennen an dem Senck-Bley.

Confertis turmis in hoſtes impetum facere, mit geſchloſſenen Eſcadronen auf den Feind losgehen.

Conſternere paludem ponte, eine Brück über den Moraſt ſchlagen.

Contextæ viminibus vineæ, geflochtene Schänz-Körb.

Copias equitum, peditúmque inſtruere, ſich mit der Cavallerie, und Infanterie in Poſitur ſetzen.

Copias mediocribus circum ſe intervallis collocare, die Trouppen um ſich nicht weit voneinander logiren.

Cuneo facto celeriter perrumpere, ſich eng zuſammen ſchlieſſen, und ſchnell durchſchlagen.

Cunea-

Cuneatim consistere, dicht in Ordnung zusammen stehen.
Cuniculos agere, miniren.
Custodiam urbis agere, in Garnison liegen.
Demagogus, der den gemeinen Pöbel flattiret.
Dedit nomen militiæ, (ad militiam) er hat sich unterhalten lassen.
Dicere diem alicui propter injurias, einen injuriarum belangen.
Dimachæ; Equites desultorii; Milites, qui equis pedibúsque merent; qui ex equis desiliunt, ac pedibus præliantur. Dragoner.
Diminutas copias redintegrare, die geschwächte Armée recroutiren.
Domum ad se hospitio militem recepit, er hat dem Soldaten in seinem Hauß quartier gegeben.
Ephippiati equi, gesattelte Pferd.
Equites frumentandi causâ mittere, die Cavallerie auf das fouragieren commandiren.
Equites ad latera disponere, die Cavallerie auf die Flanquen stellen.
Equites frenatis equis disponere in stationibus, die Reüterey mit aufgezäumten Pferden auf die Posten stellen.
Exercitum lustrare, die Armée durch die Musterung passiren lassen.
Expeditionibus nocturnis hostem adoriri, den Feind nächtlicher Weil attaquiren.
Falsum peditum numerum deferre, viele blinde unter der Infanterie führen, oder, nicht so viel Soldaten zu Fuß haben, als man angiebt.
Impedimenta diripere, die Bagage-Wägen plünderen.
Imperatæ pecuniæ acerbissimè exactæ sunt, das angesetzte Geld ist mit der grösten Schärfe erpresset worden.
In acta publica retulit, er hat es protocolliret.
In capita singula tributum imponere, einen Kopf-Steuer ansetzen.
In hibernis exercitum collocare, die Trouppen ins Winter-Quartier verlegen.

In statione ad portam esse, agere vigilias ad portam, beym Thor Schild-Wacht stehen.
Inter bina castra palus interjicitur, es liegt zwischen beyden Lägern ein Morast.
Locum alicujus in subsidiis obtinere, das Corps de Reserve formiren.
Longè latéque hic locus restagnat, dieser Ort stehet weit und breit unter Wasser.
Manipulos laxare, mit denen Gliedern auseinander rucken.
Maturiùs ex hibernis copias educere, frühzeitig aus dem Winter-Quartier rucken.
Mercedes habitationum annuæ, jährlicher Hauß-Zinß.
Illi nudo inter intentatas in se lancearum cuspides est currendum, er muß durch die Spieß-Ruthen lauffen.
Miles rudiarius, ein alter abgedanckter Soldat.
Milites in insidiis disponere, Trouppen in Embuscade legen.
Milites, qui glandes pulvere nitrato repletas manu ejaculantur, Grenadiers.
Milites in statione ponere, Soldaten zur Schild-Wacht beorderen.
Militiæ vacationem habere, keine Kriegs-Diensten thuen dörffen.
Munitiones proruere, das Retranchement rasiren.
Navis ad incendium præparata, ein Brand-Schiff, Brander.
Navis prætoriana, ein Admiral-Schiff.
Novissimum agmen, die Ariere-Garde.
Objicere ericium portæ, ein Spanischen Reuter vor das Thor setzen.
Omnia agere ad præscriptum, sich nach seiner Ordre richten.
Omnia itinera interclusa sunt, der Feind hat alle Päß und Strassen besetzt.
Parvulis præliis cum hoste contendere, mit dem Feind Scharmützel halten.
Pecuniam in stipendium dare, Geld hergeben, die Soldaten damit zu bezahlen.
Prætoria cohors, das Leib-Regiment des commandirenden Generals.

Primum agmen, die Avant-Garde.
Primam aciem tenere, vorn an der Spitz stehen.
Pyrobolicis globis obruere, Bombardiren,
Receptui canere, zum Ab-March blasen.
Rem frumentariam comparare, magazinen aufrichten.
Sacramentum apud aliquem dicere, einem huldigen, oder den Eyd der Treu schwören.
Stipendia facit pedibus, er dient zu Fuß im Krieg.
Suæ custodiæ causâ equit s circum se habere, eine Garde zu Pferd um sich haben.
Sub jugum mittere milites, die Soldaten zu Kriegs-Gefangene machen.
Tela tormentis jacĕre, mit Stucken schiessen.
Telorum strepitus, fragoresque tormentorum, quæ in stationibus collocati milites exonerant, atque displodunt, wann die Soldaten salve geben, und die Stück gelöset werden.
Tesseram vigiliarum petere, die Parole hohlen.
Tormenta in muris disponere, das grobe Geschütz lassen auf die Mauren führen.
Tripartitò milites in expeditionem mittere, drey Detachements wider die Feind commandiren.
Tubâ signum dare, in die Trompete stossen.
Turmatim se explicare, Escadronen weiß auseinander gehen.
Vallum in oppidi circuitu ducere, ein circumvallations-Linie um die Statt ziehen.
Vallum obsidionale, Trencheen.
Vasa militari more conclamare, nach Kriegs-Manier die Soldaten zum Aufbruch sich fertig machen lassen.
Vecturas frumenti finitimis describere, gewisse Proviants-Lieferung bey denen Benachbarten ausschreiben.

Ex recentioris Erycii Puteani monumentis excerpta sunt, quæ ad bombardam spectant:

Tubum collineare, den Lauff zum Ziel richten.
Uncum incurvare, den Hahn aufschlagen.
Ictum designare, den Zweck fassen.
Digito indice lingulam trahere, & rotulæ sufflamen laxare, das Zünglein rühren, daß das Rad rumschlagt.

Silex

Silex ignem negat, giebt kein Feuer.

Irrito incendio foculus deflagrat, das Pulver brennt ohne Losg hung von d r Pfannen hinweg.

Residet in tubo plumbum, omnisque per luminis aditum stridenti cum sibilo flamma redit, daß Loth bleibt in der Büchsen, und schlagt alles Pulver zum Zünd-Loch heraus.

E laguncula sive cornu in tubum pulverem emetiri, laden.

Radio cogere, mit dem Lad-Stecken stossen.

Glandem adigere, die Kugel einstossen.

Clave rotam tendere, spannen.

Foculum instruere, die Zünd-Pfann zurecht machen, und Pulver aufschütten.

Uncum inflectere, den Hahn aufschlagen.

Obicem removere, den Vorschlag hinwegthun.

De his aliisque recentissimis loquendi modis & vocabulis vide novam *Phraseologiam Germanico-Latinam* de anno 1751. eo maximè consilio adornatam.

Membrum II.

DE PROPRIETATE LINGUAE LATINAE.

Sectio I.

DE PROPRIETATE VOCUM.

Haud sufficit vocabula pura esse, ac tersa, ex optimis Auctoribus deprompta; videndum insuper, quem sensum principes primæ ætatis alteriusque scriptores vocibus proprium dederint, seu potiùs tradendum posteritati acceperint, ne cum aliis vocibus sibi affinibus per abusum confundantur.

Etymologicas earum vocum differentias exhibent versus memoriæ & Prosodiæ causâ excogitati.

A.

Cantat *acanthis* (a) avis: sed crescit *acanthus* (b) in agris.
Est *ăcer* (c) in sylvis: equus *ācer* Olympia vincit.
Alga (d) venit pelago: sed nascitur *ulva* (e) palude.
Omnis *ămans amens*: *ămor* est insania sano.
Armus brutorum est: *humerus* ratione fruentûm.
Turbat *asilus* (f) equos: miseros suscepit *asylum*. (g)

B.

Garriloqui *blăterant*: aries sed *blāterat* altè,
Feralis volucris *bubo*: fert *bufo* venena.

C.

Qui sculpsit, *cælat*: servans abscondita *celat*.
Callus (h) dura cutis: *callis* sed semita plana.
Dum finit hora, *cănat*: effœto tempore *cānes*:
Grandævique *cănis* candescunt tergora *cānis*.
Nocte canit *căpo* (i): vinum vult vendere *caupo*.
Hæc cassis galea est: *hi casses* retia signant.
Casside conde caput: capiuntur *cassibus* apri.
Mors *casses* volucri: munit caput ænea *cassis*.
Cedo facit *cessi*: *cĕcĭdi cădo*, *cædo cecīdi*.
Sunt *cete* pisces: populi collectio *cœtus*.
Clava ferit: *clavus* firmat: *clavísque* recludit.
Fert ancilla *cōlum*: (k) penetrat res humida *cōlum*. (l)
Esuriens *comedit*: sed *commissatur* asótus.
Si vis esse *cŏmes* mihi, mores indue *cōmes*.
Cōminus ense ferit: jaculo cadit *ēminus* hostis.
Cōmoēdi scenam: *cŏmĕdones* quærite *cœnam*.
Congeries lapidum tibi fit: *glomeratio* fili.
Lignorum propriè dicitur esse *strues*.

Consortes

(a) Ein Zeißgen.
(b) Berenklau.
(c) Ein Maßholder-Baum, oder Ahorn.
(d) Meer-Graß, Meer-Kraut.
(e) Rohr, Teichgraß, Moß im Wasser.
(f) Ein Bremß, ein Roß-Brem.
(g) Ein Frey-Stadt, eine Zuflucht.
(h) Die dicke Haut in Händen, oder unter denen Füssen.
(i) Der Capaun.
(k) Der Rocken, die Spindel.
(l) Ein Trichter.

Consortes conjungit amor: *socios* labor idem:
Missio *collegas* ad eundem destinat actum.
Consortes fortuna eadem: *socios* labor idem:
Unum *collegas* efficit officium.
Ast eadem *comites* unit via: mensa *sodales*.
Rivales eadem vis malesuada premit.
Consulo te doctum: *tibi consulo*, dum tua curo.'
Flat *cōrus* (m): saltátque *chorus*, vel carmina cantat.
Ne *cupĭdo* noceat tibi prava *cupīdo*, caveto.
Corpore viva *cutis*: *pellis* detracta vocatur.

D.

Oblitus *decŏris* violat præcepta *decōris*.
Deleo scripturam: flammas *extinguo* lucernæ.
Qui sua scripta *dīcant* patronis, optima *dĭcant*.

E.

Edīcunt Reges: *indīcit* festa sacerdos.
Indĭcat Auctorem facti, qui novit eundem.
Sanus *ĕdit* carnem: librum doctissimus *ēdit*.
Edŭcat, *edūcit* genitrix: *edūcimur* horto.
Si tibi non est *as*, afflictus *ĕs*, *ēs* & acerba.
Non fit semper *ĕqui* sessor, qui judicat *æquum*:
Dixerat hic *æquum*: sed tulit alter *ĕquum*.

F.

Fābula sermonis: *făbula* est faba parvula dicta.
Festus uterque dies: *festivus* homuncio noster.
Hæc *ficus*, *fici*, vel *ficûs*, fructus & arbor:
Hic *ficus*, *fici*, malus est in corpore morbus.
Cantillat *fĭde* psalta: *fĭdes* est una per orbem.
Fīde, sed ante *vĭde*: qui *fīdit*, nec bene *vidit*,
Fallitur: ergo *vĭde*, ne capiare *fīde*.
Igne *flagrat* tectum: gratum flos *fragrat* odorem.
Forfex filorum: *ceps* ferri: *péx*que pilorum.
Forfice sartores: tonsores *forpice* gaudent:
At faber ignitum *forcipe* prensat opus.
Forfice fila: pilos cape *forpice*, *forcipe* ferrum.
Fornix est arcus: sed *fornax* igne calescit.
Frigĕre vult carnem, sed non *frigēre* gulosus.
Fructus arboribus, *fruges* nascuntur in agris.

 Robustum

(m) Nord-West.

Robustum *fugio:* fugientem sæpe *fugavi.*
Qui *fugit* aversus, solet hoste sequente *fugari.*
Pistor habet *furnum: fornace* metalla liquescunt,
Atque hypocausta calent: loca mutat *clibanus* omnis.

G.

Gibbus terga premit: cervicem *struma* (n) molestat.
Gustat lingua cibum, qui-bene-cunque *sapit.*

H.

Ales *hirundo* canit: nat *hirudo:* movetur *arundo.*

I.

Dum *jacet* in terra, *mentitur* mente dolosâ:
Nec *jaciet* lapides, ita qui tellure *jacebit.*
Activum *jacio: jaceo* sed dicito neutrum.
Per quod quis peccat, per *ĭdem* punitur & *īdem.*

L.

Multa repente *lābant:* sensim *lābuntur* & anni:
Est *lăbor* exiguus, cujus sub pondere *lābor.*
Lacteo, lac sugo; *lacto*, lac præbeo nato.
Lævis adhuc puer est: *lĕvis* est sine pondere pluma.
Lævus erit, cui dextra manus non præbeat usum.
Lembus (o) oberrat aquâ: vestis circumdata *limbo.* (p).
Lens lendis (q) capitis: *lens lentis* carpitur ore (r).
In silvis *lepŏres:* in verbis quære *lepōres.*
Si *libet*, alta *licet* sint, summa cacumina scande.
Non *licet* (s) asse mihi, qui me non asse *licetur.* (t).
Lima terit ferrum: portæ sunt *limina: limax*
Cochlea: *limes* agri: *limus* durescit ab igne:
Et *limis* oculis est, qui transversa tuetur.
Cum *lĭqueo lĭquidum* (u) breve: *līquor, līquida* longa (x).
Sus sit amica *lŭto: lūtum* (y) color aureus esto.
Tango *lyram* digitis: facio sed vomere *liram.*

M.

(n) Die Hagedrüß, der Kropff.
(o) Ein Kahn, ein kleines Schifflein.
(p) Der Saum.
(q) Die Nüß in denen Haaren.
(r) Eine Linsen.
(s) Feil seyn, gelten.
(t) Auf die Waar biethen, sie schätzen, feilschen.
(u) Weich seyn, zerfliessen, schmelzen.
(x) Zergehen, aufthauen.
(y) Ein Streich-Kraut.

M.

Fluxuras tabo pingit *mălà* fœmina *mālas*:
Mālo recens plenâ *mālo* decerpere *mālum*.
Omnis origo *măli* *mālo* descendit ab unâ:
Mālus hic (z) in navi: fert poma *hæc mālus* in hortis.
Mandat committens: *mandit*, qui conficit ore.
Vera fides immota *mănet*, sed flumina *mānant*.
Mānibus ille patris *mănibus* comportat arenam.
Merx vēnit nummis: operantibus est data *merces*.
Falce *mĕtit messor*: *mensor mētitur* agellum,
Et *metatur* eum: *mendax mentitur* iniqua.
Mōrio mōratur, quocunque sub axe *mŏratur*:
Mōrus hic est fatuus, festivus *mōrio* stultus.
Arbor at *hæc mōrus* (a): *mōrum* sed in arbore fructus.
Mucidus est panis: caro *rancida*: *pendula* vina (b).
Mulcet equos famulus; sed vaccas rustica *mulget*.

N.

Nītĕre cum studio, si vis aliquando *nitēre*.
Hæc *nŏta* Grammatici non mihi *nōta* fuit.
Vir *nŏthus* est spurius: *nŏtus* Auster: *nōtus* amicus.
Nil ego scribo *nŏvi*, quia *nōvi* nonnisi nota.
Noxam dic culpam: culpæ sit *noxia* pœna.

O.

Oblītus est cœno, sed non *oblĭtus* honoris.
Nummi *obolus* genus est; *obelo* vitiosa notantur.
Occīdit latro, verùm sol *occĭdit* almus.
Percitus est *astro*: Tyrio Rex fulget in *ostro*.
Opperior (c) tardos: pannis *operitur* (d) egenus.
Ordo disponit: *series* progressio rerum.
Os oris loquitur: sed *os ossis* roditur ore:
Devorat *os oris*, quidquid lucratur *os ossis*.

P.

Palla (e) tegit pectus: *paleæ* jactantur inanes:
Pāla (f) micat digito: *Pallás*que, *Pălés*que coluntur.

(z) Der Mastbaum.
(a) Der Maulbeer-Baum.
(b) Kanichter Wein.
(c) Warten, erwarten.
(d) Decken, bedecken.
(e) Ein Frauen-Mantel.
(f) Der Kasten am Ring.

Pālus acutus ineſt terræ: ſtagnántque *pălud*es.
Gaudet uterque *părens*, ſi filius eſt bene *pārens*.
Presbyter eſt *Parochus:* vicinum dico *parœcum*.
Pellucet vitrum: *pollucet* thura ſacerdos;
Pellicit in fraudem mulier, falláxque ſophiſta.
Pendĕre vult juſtus: ſed non *pendēre* malignus.
Ludo *pĭlâ*, *pīlum* contorqueo, *pīla* columna,
Pileus (g) eſt capitis, *pĭlus* eſt coma, *pīlus* in armis:
Quamlibet in neutro magìs *illud* ametur ab uſu.
Pro reti & regione *plăga* eſt: pro verbere *plāga*.
Plānus it in *plāno*: *plănus* (h) at non *plāna* peragrat:
Eſt *plănus* impoſtor: ſed nusquam *plānus* acervus.
Polliceor tibi ſponte meâ: *promitto* rogatus.
Pōpulus in ſilvis: *pŏpulus* reperitur in urbe:
Pōpulus eſt arbor: *pŏpulus* collectio plebis.
Eſt *pŏrus* in cutibus: *pōrus* lapis (i) aſpera glabrat.
Porrīgo morbum (k): *porrĭgo* trado notat.
In *pretio* eſt dives: deſunt ſua *præmia* doctis.
Procērum *Procĕrum* (l) corpus obeſſe ſolet.
Eſt ſine *prōfectu* ſtudiorum ex urbe *prŏfectus*.
Dat *prōpago* merum: ſurgit de patre *propago*.
Prora prior: *puppis* pars ultima: at ima *carina*.
Pruna cremat: *prunus* dat *pruna*: *pruina* gelata eſt.
Compreſſa eſt *pugnus*, manus exporrectáque *palma*.

R.

Raparum *răpina* (m) ſatus: raptúsque *răpina*.
Pluribus ille *rĕfert*, quæ non cognoſcere *rēfert*.
Ad flumen *ripas*, ad mare *litus* habes.
Corpore *robuſtum*, ſed dices pectore *fortem*.

S.

Sanguis ineſt venis: *cruor* eſt de ſanguine fuſus.
Scintilla eſt ſilicis cæſi: caret igne *favilla*.

Ne

(g) Ein Huth, pileus.
(h) à πλανάω, fallo, errare facio.
(i) Der Toffſtein.
(k) Die Räudigkeit, der Haupt- oder Erb-Grind.
(l) Die groſſe Herren.
(m) Ein Rüben-Land, ein Stück Felds, worauf Rüben geſäet seynd.

Ne sit *securus*, qui non est *tutus* ab hoste.
Si quâ *sēdĕ sĕdēs*, & erit tibi commoda *sēdes*,
Illâ *sēdĕ sĕdē*, nec ab illâ *sēdĕ* recede.
Sunt ætate *senes*: *veteres* vixêre priores.
Pone *seram* foribus cohibens: quid vespera, nescis.
Sera vehat; *serram* ducis, cùm ligna secantur.
Phlegma *sĕrum*: *sērum* pars est extrema diei.
Quæ non sunt, *simulo*: quæ sunt, ea *dissimulantur*.
Brachia juncta *sĭnus*: *sīnus* vas lactis habetur.
Sōlus habere *sŏlum*, *sŏleâ* vestitus eburnâ,
Gestit, qui *sŏlium* condecorare solet.

T.

Telam texuimus: *telum* torquemus in hostem.
Hastam dic *teretem*: *sphæram* dic esse rotundam.
Tergum hominis dorsum est, bellua *tergus* habet.
Filia sub *tĭlia* nebat *subtīlia* fila.
Torris adhuc ardet: *titio* sed fumat in auras.
Integer est *tōtus*: *tŏtus* est, quotus ordine quivis.
Tribula (n) grana terit: *tribuli* (o) nascuntur in agris.
Ejusdem partis vocitantur in urbe *tribules*.

V.

Vadimus in terris: sed in æquore sæpe *vadamus*.
Vallamus propriè castrum: *sapimus* ovile.
Quis subit in pœnam capitalis supplicii? *vas*.
At cum lis fuerit nummaria, quis dabitur? *præs*.
Spondet *vas vadis*: at *vas vasis* continet arca.
Merx nummis *vēnit* (p): *vĕnit* huc aliquando profectus.
Te *Vĕneris* facies fallet, cùm *vēneris* isthuc.
Vēnĭmus hesternâ: ast hodiernâ luce *vĕnīmus*.
Vincere vult fortis: lictor *vincire* malignum.
Ungula de brutis: hominum sed dicitur *unguis*.

Cognationes.

Conjugia *affines* faciunt: *confinia* campi:
Agnati patris: *cognati* matris habentur.
Dic *patruos* patris fratres, *amitásque* sorores.
Frater *avunculus* est: soror est *matertera* matris.

 Quos

(n) Ein Dreschwagen, oder ein Dreschflegel.
(o) Weeg-Disteln.
(p) Feil seyn, verkaufft werden.

Quos generant fratres natos, dices *patrueles:*
Sed *consobrinos* dic, quos genuêre sorores.
Quos soror & frater gignunt, dices *amitinos.*
Vir natæ *gener* est: *nurus* autem fœmina nati:
Uxoris genitor *socer* est, *socrúsque* genitrix.
Vitricus haud æquus pater est, matérque *noverca.*
Ipse viri frater *levir:* conjux quoque fratris
Fratria: glos uxor fratris, soror atque mariti.

SECTIO II.

VOCUM QUARUNDAM DIFFERENTIAE, VERSIBUS NON INCLUSAE.

Abstinere generalius est: *continere* in primis à cupiditate & libidine.

Accusamus inferiores & pares: *incusamus* superiores. *Illud* culpam, *hoc* mores notat.

Acervus est minutorum aut pomorum, leguminum &c. *strues* lignorum: *strages* cadaverum: *fascis* colligatorum: *cumulus* vis ingens compositorum: *congeries* est generale.

Acies est oculi, vel militum, vel ferri: *acúmen* ferri & mentis.

Adulamur gestu, *assentimur* verbis, *blandimur* utroque.

Advĕna aliunde cómmigrat: *inquilinus* in conducto habitat: *indigena*, ubi natus.

Accŏla juxta montem, flumen: *incŏla* in urbe habitat.

Aeger vel animo vel corpore: *agrótus* corpore tantùm.

Necessitas vel *necessitudo* fit officiis: *familiaritas* frequenti sodalitio: *affinitas* matrimonio: *consanguinitas* & *cognatio* ex sanguine, ejusdémque generis stirpe: *gentilitas* ex familia hominum ingenuorum.

Albus naturâ: *albatus* ita factus.

Altor activè: *alumnus* passivè.

Diligo minus & levius est: *amo* efficacius: *colere* & *venerari* majoribus tribuitur.

Amor debetur fratribus, conjugibus, liberis, familiaribus: *charitas* Deo, parentibus, proximis.

Amens

Amens totâ mente caret: *demens* parte.
Amittere nolentium eſt: *dimittere* volentium.
Animus eſt, quo cupimus, appétimus, & ſentimus: *anima*, quâ vivimus: *mens*, quâ excogitamus & comminiſcimur.
Aqueum conſtat ex aquis: *aquátile* degit in aquis.
Arma tegunt corpora: *armamenta* navim inſtruunt.
Armentum majorum animalium eſt: *grex* & majorum & minorum.
Aranea & *us* texuit: *aranea* & *um* textum ipſum eſt.
Arceo ne accedat: *ábigo*, cùm acceſſit.
Arundo creſcit: *hirundo* cantat: *hirudo* ſugit. Vide ſuprà.
Bacca majorum: *ácinus* minorum: *grana* frumentorum.
Barbariſmus in ſingulis verbis eſt: *ſolœciſmus* in conjunctis.
Bellum ſæpe totum diſcordiæ tempus: *prælium* ipſe pugnantium conflictus: *bellum* & *prælium* armis fiunt: *pugna* & *certamen* ſæpe ſine armis, manu & voce.
Bombyx ſericum & vermis: *Bombus* ſonus apum.
Cærulus naturâ: *cæruleus* curâ & imitatione.
Caritas pretii: *inopia* paucitatis.
Caſtitas corporis: *caſtimonia* animi.
Caſtigo verbis: *punio* ſupplicio.
Caſtrum domus muro vallata: *caſtra* locus exercitûs.
Caterva & *cuneus* peditum: *turma* equitum.
Circum ad tempus: *circa* ad locum: *circiter* ad numerum.
Civitas multitudo civium: *urbs* ædificiorum.
Cibus eſt partis: *victus* totius & ſinè obſonio. *Obſonium* cibus adjectus præter panem & vinum.
Claritas luminis & doctrinæ: *claritudo* generis.
Clemens eſt princeps *activè*: *gratioſus* ſubditus *paſſivè*.
Colonia ex civitate aliò traducitur: *municipes* aliunde in civitatem veniunt, ſuúmque jus proprium habent.
Comes itineris eſt: *áſſecla* officioſus: *ſodalis* amicus.
Conducere eſt inquilini: *locare* poſſeſſoris.
Congiarium populo: *donativum* militibus erogatur: *donaria* munera.
Contingunt bona: *áccidunt* mala: *eveniunt* útraque.
Continentia ab affectibus: *abſtinentia* ab alienis: *temperantia* ab omnibus.

Continuò

Continuè ſemper: *continuò* ſtatim fit.
Contra oppoſitionis particula: *viciſſim* alternationis.
Corinthius civis: *Corinthiacum* vas.
Cura animi eſt: *opera* & *diligentia* corporis & animi.
Damnum commune vocabulum: *diſpendium* propriè, quod ponderi decedit: *jactura*, quod navis exonerandæ cauſâ ejicitur: *detrimentum*, quod uſu deteritur.
Dapes Regum: *epulæ* privatorum.
Decus honoris: *decor* formæ & habitûs. Vide ſuprà.
Deleo ſcripturam: *extinguo* lucem: *eluo* vitrum: *detergo* lutum.
Deterior comparat bonum cum malo: *pejor* malum cum malo.
Divortium inter virum & uxorem fit: *repudium* ſponſæ remittitur.
Diu tempus continuum: *dudum* tranſiens: *pridem* longius tempus: *olim* præteritum & futurum: *jam diu* inſiſtens: *jam dudum* perſiſtens: *jam olim* factum, præteritum & adhuc durans.
Divitiæ ſubſtantiam: *opes* ferè potentiam ſignificant.
Donum majorum & minorum eſt: *munus* minorum: *ſtips* eleemoſynæ.
Ducimur ſponte: *trahimur* vi.
Ebrius actu: *ebrioſus* vi.
Elinguis non habet linguam: *elinguatus* amiſit.
Epulum publicum: *epulæ* privatæ: *dapes* in ſacris.
Exemplum, quod imitamur: *exemplar*, quod aliunde tranſcribitur.
Exiſtimo judicii: *æſtimo* pretii eſt.
Expilat tyrannus ſubditos: *compilant* ſervi dominos.
Fœtus generale: *catuli* ferarum: *pulli* pecudum: *hinnuli* caprarum, cervorum.
Fateor minùs & ſponte: *confiteor*, ſæpe coactè: *profiteor* publicè.
Flagitia fœminarum: *ſcelera* virorum.
Flumen manat: *fluvius* ſiccatur.
Fœdera ſunt publica: *pactiones* privatorum.
Fortis animo: *robuſtus* & *validus* corpore.
Frater ex alio patre & matre eſſe poteſt: *germanus* ex ambobus iiſdem.

Fulget

Fulget naturâ sol: *splendet* rasurâ aurum: *candet* prunâ ferrum.

Frustra laborat, qui absque fructu: *gratìs*, qui absque pretio & præmio.

Gena membrana tegens oculos: *cilium* habet pilos: *mala* pars infra oculos, sed ruboris: *bucca* quasi follis infra illam.

Gutta stat: *stilla* cadit.

Hostis publicus: *inimicus* privatus.

Hostia Ducis, dum ad hostem proficiscitur: *victima*, cùm vincit: *holocaustum* igne consumitur: *sacrificium* est generale.

Humidum exteriùs: *madidum* interiùs.

Imus loco: *infimus* ordine.

Incidant res præter spem: *veniunt* exspectatæ.

Invenire sæpius est consilii: *reperire* fortunæ.

Ira actus irascendi: *iracundia* est vitium ipsum.

Liceo est prostare: *liceor* & *licitor* pretium deferre: *indicare*, pretium designare: *addicere*, certo pretio tradere.

Lamina densior: *bractea* tenuior.

Læditur corpus: *offenditur* animus.

Lætus affectu: *hilaris* vultu: *gaudens* animo.

Lapis è saxo: *saxum* magnum & naturale.

Liber totum: *volúmen* pars.

Libertas in bonam: *licentia* in malam partem.

Luxurio animo: *luxurior* corpore.

Maritimus mari proximus: *marínus* è mari.

Metuimus periculum: *verémur* etiam virtutem.

Mœror & *mœstitia* generaliter ex omnibus adversis: *luctus* ex morte nascitur.

Mutuare mutuum dare: *mutuari* mutuum accipere: *commodare* rem eandem numero restituendam dare.

Oliva fructus & arbor: *olea* fructus: *oleum* liquor.

Oro plus est, quàm *rogo*: *obsecro* plus, quàm *oro*: *obtestor* plus, quàm *obsecro*.

Pax publica, *concordia* privata.

Perfuga & *transfuga*, qui ad hostes perfúgit: *profugus* & *fugitivus* etiam, qui ad alios.

Pertinacia in malam partem: *constantia* in bonam: *perseverantia* generaliter accipitur.

Plenum,

Plenum, in quo eſt aliquod intervallum : *refertum*, quod coactum eſt ſine ſpatio.

Pomum generale mollioris córticis : *nux* durioris : *malum* quaſi proprium.

Præda corporum & ipſarum rerum, quæ capiuntur : *manubia* pecunia ex præda vendita.

Pudor vultûs, *pudicitia* animi.

Quidam notat rem certam : *quiſpiam*, *aliquis* rem incertam & vagam.

Rapina petulantiæ : *præda* victoriæ eſt.

Reperio non quæſitum : *invenio* quæſitum.

Réprimo ad tempus : *cómprimo* in perpetuum.

Roſeum ex ſe : *roſareum* mixtum.

Sanguis in corpore : *cruor* effuſus. Vide ſupra.

Saturitas ad guſtum : *ſatietas* ad omnes ſenſus pertinet.

Sententia certa : *opinio* incerta.

Silva generale : *ſaltus* ſilva denſa : *lucus* Diis ſacra.

Strabo diſtortos habet oculos : *luſcus* oculo uno captus eſt.

Tacet, qui deſinit : *ſilet*, qui nondum loqui cœpit.

Temperantia animorum : *temperies* corporis & animi eſt.

Terga hominum : *tergora* animalium. Vide etiam ſupra.

Trucido gravius eſt, quàm *occido*.

Velocitas corporis : *celeritas* animi.

Venuſtas muliebris : *dignitas* virilis pulchritudo.

Volucris eſt generale, conveniens etiam api, muſcæ, veſpæ &c. *avis* peculiare, quod & pennas habet, & ova parit.

Utor alterius rei gratiâ : *fruor* delectando ſine reſpectu ad ulteriora.

NOMINA QUAEDAM VARIATO NUMERO SIGNIFICATIONEM QUOQUE VARIANTIA.

Aedes, *is*, eſt templum : *ædes*, *ium*, eſt domus privata, (licèt non perpetuò.)

Animus eſt, quo ſumus, ſapimus, & intelligimus : *animi*, *orum*, pro arroganti animoſitate.

Carcer, *is*, eſt cuſtodia, ſeu locus, quo quis prohibetur exire : *carceres*, ſepta (plurale ſæpius) Schrancken.

Castrum est locus muro munitus: *castra* sunt tentoria militaria.
Comitia campus Martis: *comitia*, *orum*, conventus populi.
Copia est abundantia, facultas, potestas: *copia*, *arum*, exercitus.
Fascis, *is*, est rerum colligatarum congeries: *fasces*, *ium*, sunt Magistratûs insignia.
Finis est rei terminatio: (End) *fines*, *ium*, pro terminis. (die Gränzen.)
Fortuna est subitus casus: *fortunæ*, *arum*, substantiæ, divitiæ.
Forum locus, quò res venales afferuntur, & ubi judicium exercetur: *fori*, *orum*, sunt tabulata navium.
Furfur, *is*, est purgamentum farinæ: *fúrfures* sordes capitis.
Litera, *æ*, est elementum: *literæ*, *arum*, est epistola.
Ludus, *i*, ludicrum animi causâ, sed tamen spe lucri: *ludi*, *orum*, sunt publica spectacula.
Lustrum quinquennium est græcè olympias: *lustra*, *orum*, sunt ferarum in silvis habitacula.
Mina, *æ*, est species quædam ponderis & monetæ apud Græcos: *minæ*, *arum*, sunt comminationes.
Nummus est monetæ genus: *nummi* pro pecunia ipsa.
Odor est fragrantia; *odores* sunt odoramenta.
Olympia, *æ*, locus: *olympia*, *orum*, certamina.
Opis, *em*, *e*, pro auxilio: *opes*, *um*, sunt divitiæ & potentia.
Pannus, quo vestimur: *panni* pro vili & detrita veste.
Pars, *partis*, est portio, ein Theil: *partes*, factio, aut officium.
Piscis, *is*, est notum vocabulum; *pisces*, *ium*, est signum cœleste.
Rostrum avium est, piscium & ferarum: *rostra*, *orum*, locus, in quo Romæ conciones fiebant.
Sal minerale: *sales*, joci festivi.
Sol oculus mundi dictus est: *soles* calores, seu æstus.

NOMINA QUAEDAM IN SINGULARI ADJECTIVA, IN PLURALI SUBSTANTIVA FREQUENTER.

Adversarius, *a*, *um*, id est, contrarius: *adversaria*, *orum*, quæ confusè & sine ordine scribebantur, pòst in codicem referenda;

Aestivus,

Aestivus, *a*, *um*, quod eſt æſtatis: *aſtiva*, *orum*, loca, in quibus æſtate degunt milites.

Annalis, *e*, quod ad annos ſpectat: *annales*, *ium*, ſingulorum annorum hiſtoria eſt.

Canus, *a*, *um*, cui præ ſenectute albent capilli: *cani*, *orum*, ſunt albi capilli in capite ſenum.

Cibarius, *a*, *um*, quod ad cibos pertinet: *cibaria*, *orum*, hominum ſeu brutorum alimenta.

Geminus, *a*, *um*, duo: *gemini*, *orum*, duo uno partu editi, & ſignum cœleſte.

Hibernus, *a*, *um*, quod eſt hiemis: *hiberna*, *orum*, loca, in quibus milites hieme morantur.

Infernus, *a*, *um*, quod eſt infra: *Inferi*, *orum*, qui infra nos habitant.

Juſtus, *a*, *um*, qui à præceptis juris non deflectit: *Juſta*, *orum*, parentalia, ſeu ſacrificia mortuorum.

Major & *Minor*, gröſſer und kleiner: *Majores*, qui ante nos fuerunt: *Minores*, qui poſt nos fuerunt.

Natalis, *e*, id eſt, natalitius: *natales*, *ium*, eſt conditio ſanguinis & familiæ.

Poſterus, *a*, *um*, quod temporis ordine ſubſequitur: *poſteri*, *orum*, qui naſcuntur poſt nos.

Súperus, *a*, *um*, quod eſt ſupra: *ſuperi*, *orum*, cœlites.

NOMINA, QUAE VARIATIS OBLIQUIS DIVERSA SIGNIFICANT.

Acus, *i*, genus piſcis: *acus*, *eris*, palea: *acus*, *ûs*, quâ ſarcitur.

Arcus, *ûs*, jaculandi inſtrumentum: *arcus*, *i*, juxta Ciceronem iris eſt.

Cetus, *i*, eſt piſcis prægrandis: *cœtus*, *ûs*, eſt multitudo.

Faſtus, *ûs*, eſt ſuperbia: *faſtus*, *i*, dies non feſtus, plurale ſæpius.

Fides, *is*, lyra, cythara &c. ſæpius eſt plurale: *fides*, *ei*, in Religione.

Palus, *i*, ſtipes in terram defixus: *palus*, *udis*, eſt aqua ſtagnans

Huc

Huc referri possunt:

Acer, *eris*, *&* *acris*: *liber*, *eri*, *&* *bri*: *frons*, *dis*, *&* *tis*: *lens*, *dis*, *&* *tis*: *drachma*, *æ*, *&* *drachmatis*: *limus* *&* *lima*: *fœnus*, *&* *fœnum*: *Pallas*, *adis*, *&* *antis*: *sestertius* *&* *um*: *Pirus*, *&* *um*. Sic *prunus*, *um*: *cerasus* *&* *um*: *pomus* *&* *um*. &c.

Membrum III.

DE ELEGANTIA LINGUAE LATINAE.

Præcipuas Latinæ linguæ elegantias tum in vocibus, tum in sententiis exhibet, quod multorum adolescentûm manibus teritur, *Linguæ Latinæ Tirocinium*. In quo quidem opusculo Tironum labor versari utiliter potest; cùm tamen sint, qui contractas alio ordine observationes ejusmodi desiderent, visum est omnium commodo sequentes adjicere:

Sectio I.

DE NOMINIBUS.

I. Obliqui casus, nec non participia Passiva in *dus* orationem eleganter inchoant, ùt:

Famæ ac fidei damna majora sunt; quàm quæ æstimari possunt.

Carendum est non solùm crimine turpitudinis, sed & suspicione.

II. Elegans est oratio, quæ à posterioribus initium sumit, ùt:

Eunti mihi domum obviam venit pater tuus.

Quod habui summum pretium, persolvi tibi.

III. Nomini Proprio cum venustate præponitur nomen dignitatis, aut officii, aut quicquid ad laudem, vel ad vituperationem, vel ad declarationem pertinet, ùt:

Romanorum Imperator Franciscus.

Vir magnus ingenio, summâque prudentiâ, M. T. Cicero.

 Not.

Not. Sic & persona agens patienti proximè præponitur, ùt:

Magnam *Cæsar Pompejo* injuriam fecit.

IV. Substantiva monosyllaba polysyllabis, inprimis comparativis & superlativis scitè præmittuntur, ùt:

Res præclarissimas. Vir præstantissimus.

Ut quisque est *vir optimus;* ita difficillimè, alios esse improbos, suspicatur.

V. Genitivus à voce regente ornatè separatur, eidémque præponitur, ùt:

Multorum in nos perfidiam notabis.

Litterarum tuarum profectò admiratus sum elegantiam.

VI. Inter Substantivum & Adjectivum eleganter interponitur præpositio cum casu suo, aut aliud quid, v. g.

Pro *meo in te amore. Tua in me benevolentia.*

Studio in te meo & amori obsequor.

Labore mihi tuo quies parta est.

Desine bonos *petulantissimâ insectari linguâ.*

Nota. (a) Pari elegantiâ inter duo Adjectiva ponitur pronomen: v. g.

Libero tuo & admirabili ingenio delector.

In quo *egregia quædam ac præclara* inest indoles.

(b) Duo Substantiva cum Adjectivis suis venustiùs semel tantùm disjunguntur, v. g.

Iniquissima est magnorum meritorum conditio, pro: iniquissima est magnorum conditio meritorum.

(c) Genitivi mei, tui, Substantivum suum sequuntur sine medio, v. g.

Ingenii tui acies, pro ingenii acies tui.

VII. Nomen Appellativum venustè ac graviter mutatur in proprium, & vice versâ, ùt:

Alter Crœsus. Alter Paulus.

Poëta pro Virgilio. *Apostolus* pro Paulo.

Omne tempus fert *Clodios* [pessimos.]

Catones

Catones autem [optimos] non item.
Arte Plato, vitâ Cato, Tullius ore.

VIII. Vocativus poſt unam alterámve vocem, duobus inclusus commatibus, ſcitè ponitur, ùt:

Litteras tuas, *frater optime*, accepi.
Magnum omnino opus, *Brute*, molimur.

IX. Adjectiva Subſtantivis eleganter præponuntur: at Comparativi, & Superlativi, Pronomina, & Numeralia, nec non voces *omnis*, *nemo*, *nullus*, *ullus*, *alter*, *ſolus*, *quivis* &c. ſuaviùs poſtponuntur, ùt:

Divinum ingenium. Viri decem.
Majus mihi dare *beneficium nullum* potes.
Qui te plus, quàm ego, diligat, *habes certè neminem.*

X. Pro tempus ſæpe venuſtè ponitur *memoria*, *ætas*, ùt:

Fuêre Patrum noſtrorum *memoriâ* (ætate) qui dicerent &c.

Not. Poſt hominum memoriam ſignificat bey Menſchen dencken, ùt:

Unus Ariſtides *poſt hominum memoriam* juſtus appellatus eſt.
Ubi obſerva, vocem *unus* eleganter poni pro ſolus.

XI. Venuſtè Adjectivum effertur per Subſtantivum, Subſtantivo in Genitivum mutato, ùt:

Ingenii acies, pro ingenium acutum.
Occupationum multitudo. Animi pietas.

Nota (a) Ponitur etiam aliàs ſcitè abſtractum, quod vocant, pro concreto, ùt: *Tarditati meæ* ignoſcas.
Quanto ſtudio *dignitatem tuam* defenderim. &c.

(b) Elegans eſt unius Subſtantivi per duo periphraſis v. g.

Virtutis præſtantia, veris amœnitas, paupertatis onus.

(c) Duæ autem rectiones, niſi poſterior Genitivus ſit nomen proprium regionis aut urbis, ingratæ ſunt. v. g. *Perverſitas animi fratris tui*, pro: in

fratre tuo, seu, quâ frater tuus laborat. Fusus est exercitus Regis Persiæ.

XII. Adjectiva copiæ aut multitudinis per nomina *vis*, *copia*, *turba* &c cum Genitivo rei multæ eleganter exprimuntur, ùt:

Vis aquarum, & *pecuniæ*,
Negotiorum turba. *Lactis copia*.

XIII. Una vocula, bis ponenda, concinnè sine medio ponitur, ùt:

Amore amor, & *clavus clavo* truditur.
Par pari referto. *Cuneus cuneum* trudit.

XIV. Vocabula cognata, à se invicem derivata, aut sono consona, bene sibi quàm proximè subjunguntur, ùt:

Facile fuit *justitiam justissimo* viro defendere.
Metuo lenonem, ne quid *suo suat* capiti.

XV. Venusta quoque est conjunctio vocularum, contrarium pene significantium, inprimis si vox, quæ præpositionem habet, præmittatur, ùt:

Aequa laus est *à laudatis laudari*, & ab *improbis improbari*.
A severitate comitas distat.
Sunt *facta verbis* difficiliora.

XVI. Signo universali *omnis*, omnem exceptionem remoturi, perquàm venustè addimus *ad unum*. ùt:

Peccârunt *ad unum omnes*, keinen einzigen ausgenommen.

XVII. Adjectivum *omnis* amplificationis gratiâ eleganter iteratur, ùt:

Ex *omnibus omnium* flagitiis nullum vidi turpius.
Omnes omnium ordinum homines.

XVIII. *Quantus quantus* significantiùs ponitur pro totus, ùt:
Vir hic, *quantus quantus est*, improbus est.

XIX. Interdum non illepidè idem Adjectivum per tres comparationis gradus repetitur, ùt:

Miser est, qui inimicos cepit alios; *miserior*, qui sibi ipsi; *miserrimus*, cui DEUS est inimicus.

XX-

XX. Adjectiva *multus, plurimus, modicus, minor, tantus, quantus, aliquis, quis, is, hic, ille, iste*, neutro genere venustè efferuntur, substantivis in genitivum mutatis, ùt:

Multum laudis. Nihil periculi. &c.

XXI. *Superior* pro præcedens seu ultimus, *proximus* pro futurus, vel crastinus, convenienter dicitur, ùt:

Quod tibi *superioribus diebus* misi, *proximâ luce* remittas.

XXII. Diminutivum venustè ponitur pro primitivo, vel festivitatis, vel modestiæ, vel amoris, vel contemptûs ergo, ùt:

Me m corculum. Hom uncio. Fraterculus gigantum.
Meum ingeniolum, & mea officiola.

Sectio II.
De
Comparativis et Superlativis.

I. Comparativi eleganter recipiunt hos ablativos *solito, justo, æquo, dicto, spe, opinione, exspectatione*, ùt:

Tardior solito orta est dies.
Longior æquo, vel justo.
Spe ac dicto citius. Opinione melior.

II. Comparativo venustè subjungitur *quàm pro*, ùt:
Minor cædes, *quàm pro tanta* victoria, fuit.
Castra metatus est *latiùs, quàm pro copiis.*
Major Romanis, *quàm pro* numero, jactura fuit.

III. Locutio comparativa variè, nec sine elegantia redditur, ùt:
Voluptatum *avidus* est *magis*, quàm DEI.
Non *tam cupidus* est vindictæ, quam bonæ famæ.
Prudentiâ superior, aut *inferior*. Virtus pecuniæ *præstat*.
Hic cedit illi probitate. *Vincere, superare, antecellere aliquem eruditione.*
Hic præripit illi laudem eloquentiæ.

IV. Post comparativum eleganter ponitur *quàm*, v. g. Id *frequentius* est, *quàm* ut exemplo confirmandum sit.

V. Duo Positivi cum particula *quàm*, suo comparativo venustè præponuntur, ùt:

Tyrannis *boni*, *quàm mali* sunt suspectiores.
Ceteros *beneficio*, *quàm metu* retinere maluit.

VI. Superlativo eleganter per pleonasmum additur *quàm*, *perquàm*, *maximè*, *longè*, *multò*, ùt:

Mihi conspectus vester *multò jucundissimus* fuit.

VII. Superlativus eleganter postponitur positivo cum particulis *tam*, *quàm*, *qui*, ùt:

Tam sum amicus reipublicæ, *quàm qui maximè*.
Tam gratum, *quam quod* gratissimum.

VIII. Superlativi oratio variè quoque efferri solet, ùt:

Si quis unquam studii litterarum fuit amans, *is profectò* est frater tuus.
Uni illi DEI beneficio, quod mentis est tranquillitas, *par nunquam alterum* reperitur.
Tantâ contentione decertavi, *quantâ* nunquam antea.
Non potuerunt *elegantiores* litteræ scribi.
Nihil mihi *gratius*, *acceptiúsque* contingere potuit.
Nihil est hoc *homine doctius*, nihil sapientius.
Vir *insigniter*, *egregiè doctus*. Homo *pergratus*.
Flos vini. *Flos ætatis*. *Divinum opus*.
Immortalis gloria. *Sic* te rogo, *ut qui maximè* & summâ contentione solent.
Cum illo *tanta* mihi semper familiaritas fuit, atque consuetudo, *ut nulla major* esse possit.
Fæx hominum. *Vulgus eruditorum*. *Monstrum hominis*.
Vir, *quo non alius* humanior, quo non *doctior alter*.
Quis hoc viro *humanior?* *Quid hoc* viro *humanius?*
Qui *vincit humanitate* omnes alios.
Nemo *perinde humanus* est, *atque frater tuus*.
Qui haud facilè *à quopiam superatur* prudentiâ.
O *singularem* hujus viri *sapientiam!*
Physicæ studium *tam est utile*, *quàm quod utilissimum*.
Haud est *quisquam æquè eruditus*, atque Joannes.

Juvenis *adeò formosus, ut nihil supra.*
Litteræ *adeò elegantes, ut nullæ* cum iis sint conferendæ.
Sic, *ut nulla* fieri possit *accessio*, nihil addi possit.
Melle dulcior, oculis charior.
Nerone crudelior. Aequitate æquius.

Huc refer illas locutiones: *majorem in modum, mirum in modum* &c. vide Syntaxin variantem singularem.

Sectio III.
DE PRONOMINIBUS.

I. Duo, plurâve Pronomina sine medio sibi ornatè subjunguntur, ùt:

Familiaritas *mihi tua* jucunda est.
Rogo, *meam tibi* salutem commendatam habeas.

II. Pronomini *quis, qua, quid* syllaba *ec* cum venustate præfigitur, ùt:

Ecquis est, qui me vult conventum?
Ecquid tandem aliquando fiet?

III. Pronomini Possessivo genitivus *solius, ipsius, duorum, omnium, paucorum* &c non ineleganter additur, ùt:

Tuum solius hoc peccatum est.
Meâ unius operâ hoc effectum est.
Qui *vestris paucorum* respondeat laudibus, nemo est.
Noster duorum eventus ostendet, utra gens bello sit melior.
Eos *suæ ipsorum* fiduciæ permittam.
Tuum Patris studium vidi.

IV. *Alius alius* eleganter pro unus & alter ponitur, ùt:

Fallacia *alia aliam* trudit.
Aliud ex alio me quotidie impedit.

V. Alius venustè assumit, *ac, atque, nisi, præter*, ùt:

Non *alius* essem, *atque* nunc sum.
Quæ est *alia* pœna, *præter* mortem?

VI. *Is* elegantiâ suâ non caret in sequentibus:

(a) *Is*, *qui*, pro talis, qualis, ùt: sumus *ii*, *qui* haberi velimus.

(b) *Is qui*, *is ut*, pro talis ut: *Is* sum, *cui* tutò possis fidem habere. Nec tamen *is sum*, ut mea me maximè delectent.

(c) *Is* post & vel nec in expositione præcedentis collocatur, ùt: His paucis superbit, *nec iis* suis.

Amicus meus, *isque* integerrimus, diem obiit.

Not. Pro *isque* in ejusmodi locutionibus dicitur etiam idémque.

VII. *Id* etiam suam habet elegantiam, ùt:

(a) *Id ætatis*, *temporis*, *diei* &c. pro eâ ætate. &c.

(b) *Id quod* [vel quæ res] pro quod, si ad totam orationem referatur, v. g.

Patriam defendi decet: *id quod* factu haud difficile erit.

(c) *Id verò* in Antithes. præcedente Infinitivo, ùt:

Fatemur quidem fidem bonam esse; sed salvandis non esse necessariam charitatem, *id verò* pernegamus.

VIII. Observanda est hæc constructio non inelegans: *mihi ipse* [pro ipsi] *me ipse*, *secum ipse* &c. ùt: Lædit *se ipse.* [non alius.]

IX. Nomini obscuro, vel ignotæ personæ proprio eleganter additur *quidam*, ùt: *Cornelius quidam.*

X. Relativum, *qui*, *quæ*, *quod* venustè ponitur.

(a) Cum Substantivo antecedenti in eodem casu, ita ut sequentibus non semper respondeat, v. g.

Quas ad me dedisti *litteras*, mihi gratæ fuerunt.
Quam mecum colis *amicitiam*, multi laudant.

(b) Pro *secundùm*, vel *pro*, ùt:

Tu, *quod commodo tuo fiat*, ad me venias.
Vivimus adhuc, *quæ DEI est* gratia.
Sed, *quæ tua est* facilitas, hoc magìs dabis veniam.

(c) Pro *ut*, v. g. Nec sum tam insolens, *qui* &c.

Ma-

Malum hoc eſt majus, quàm *quod* verbis explicari poſſit.

XI. Syllaba *ali* ex aliquis, aliquando, alicubi proximè præcedente *ſi*, *niſi*, *ne*, *cum*, *quo*, *quando*, concinnè abjicitur, ùt:

Ut *ne qua* ſcintilla belli relinquatur.
Epiſtolas concerpito, *ne quando* quid emánet.
Quantò quis doctior, tantò majori humanitate eſt & modeſtiâ.
Si quis quid reddit, magna habenda eſt gratia.
Ita ſunt noſtri divites; *ſi quid* bene facias, levior plumâ eſt gratia.
Si quid peccatum eſt, plumbeas iras gerunt. *Plaut.*
Ne quid nimis. *Si quando* venero.

XII. *Quisque eleganter* conſtruitur:

(a) Cum ſuperlativo in ſenſu plurali, ùt:

Optimus quisque æquiſſimo animo moritur.

(b) Cum numeralibus ordinalibus, ùt:

Primo quoque die. *Decimus quisque* dies. *Primo quoque* anno. *Quotus enim quisque* Philoſophorum hoc feciſſet?

(c) Cum pronominibus *ſui*, *ſuus*, ùt:

Pro ſe quisque. Suo quisque tempore ac loco.

XIII. *Quid? quod* inſervit connexioni, ſequente re majoris ponderis. Germanicè: Ja was noch mehr iſt: was wollen wir dazu ſagen, daß ꝛc.

XIV. *Quod genus*, *hoc genus*, *id genus* non ſine elegantia ponuntur pro nudo pronomine, ùt:

Eſt genus hominum. *Hujus generis* homines.
Quo ex hominum genere. Nullum hominum genus.

XV. *Quis*, *quæ*, *quid*, vel *quod*, & caſus inde deducti non ſine venuſtate cum verbo *neſcio* pro aliquis collocantur, ùt:

Sententiam, *neſcio cujus*, adducis.
Serpit, *neſcio quo modo*, per omnem vitam amicitia.
Spem mihi, *neſcio quam*, vultu promittis amico.
Suſurrabat ipſi, *neſcio quid*, in aurem.
Neſcio, quo caſu, quo modo, quo pacto, unbekannter Weiß, ohngefehr.

XVI. Pronomen *ille* cum conjunctione *quidem* lepidè interdum repetitur, ùt:

Qui ſummum bonum in virtute ponunt, præclarè *illi quidem*; ſed hæc ipſa virtus amicitiam gignit & continet. *Cic.*

Scripſit litteras, perbreves *quidem illas*, ſed haudquaquam inelegantes.

XVII Elegans non rarò eſt ſententiæ alicujus expoſitio per formulam *id eſt*, vel *hoc eſt*, v. g.

Vale, & ama Tullium, *hoc eſt*, hominem tuî amantiſſimum.

XVIII. *Hoc* propius, *illud* remotius denotat; ſi verò tria ſunt membra, medio *iſtud* præpone, v. g.

Fontes ſalſi dicuntur *ſalinæ*, aciduli *acidulæ*, calidi *thermæ*: *illæ* inſerviunt decoquendo ſali, *iſtæ* potioni medicatæ, hæ lavationi morbidorum.

SECTIO IV.
DE VERBIS.

I. Periodus eleganter verbo aliquo polyſyllabo aut voce ſonanti clauditur, ùt:

Piis etiam regna *famulantur*.

Ne conquerare de fortuna; ſed cave, ne ſentias *graviorem*.

II. Repetitio ejusdem verbi eſt valdè elegans, ùt:

Quæſo, ut quibuscunque rebus *potes*, *potes* autem quàm plurimis, proſpicias & conſulas rationibus meis.

Quotiescunque filium tuum *video*, *video* autem quotidie, polliceor ei ſtudium meum.

III. Quoties verbum plura poſt ſe regit nomina, alterum nomen venuſtè præcedit; alterum, præſertim polyſyllabum ſequitur, ùt:

Neque *juſtitiam colere poſſunt*, *neque amicitiam.*

Comœdiæ diſſimili oratione *factæ ſunt* ac ſtilo.

Vir-

Virtus laudem *affert* ac dignitatem.

IV. Usus modi potentialis est elegans, qui exponitur per verba *possum*, *debeo*, *volo*, ùt:

Roget, vel *dicat* aliquis. Non *crediderim*.

V. *Dubito* pro erubesco, & non audio eleganter construitur cum infinitivo, ùt:

In senatum *introire non dubitavit*.

VI. Verbum *inquam* vel *inquit* eleganter

(a) interruptam orationis seriem redintegrat, & continuat:

VII. Verbum *est* sequentes facit elegantias:

a) Venustè à verbo suo divellitur, ùt:

Diu *sum* equidem *reluctatus*.
Multis *sum*, & magnis beneficiis *decoratus*.

b) Verbum ferè quodcunque, per *est*, *erit*, *futurum est*, *fore*, nec non per *fit*, *factum est*, *accidit*, *evenit*, *usuvenit*, *sequitur*, *consequitur*, sequente ut cum conjunctivo, interdum venustè circumscribitur, ùt:

Si est, *ut velis* manere, pro: si manseris, seu manere velis.
Erit, *ut liceat*, pro licebit.
Spero, *fore*, *ut veniat*.
Factum *est*, *ut* omnibus *esset* acceptus.
Ita usuvenire *solet*, *ut* similis similem facilè inveniat.
Suspicor, *fore*, *ut* causâ cadas.
Futurum *est*, *ut* olim te pœniteat.
Si industrius fueris, *futurum est*, *ut emergas*.
Putarésne unquam *accidere posse*, *ut* mihi verba deessent.

c) *Est*, *sunt*, *erit*, &c. eleganter admittunt Relativum *qui*, *quæ*, *quod*, omisso antecedente *aliquis*, cum Indicativo vel Conjunctivo, v. g.

Est, *qui* te vult conventum.
Est, *de quo* tibi gratuler.
Est, *cui des* has litteras.

Est,

Eſt, *qui* hoc ad vos perferat.
Eſt, *quod* ſcribas.
Fuêre eâ tempeſtate, *qui* dicerent.

Not. Antecedentis omiſſio etiam in aliis elegans eſt, ùt:
Habes, *qui* tibi bene cupiat.
Miſit, *qui* amicos rogaret.

d) *Eſt cùm*, vel *ubi*, *fuit cùm*, *erit cùm*, pro aliquando vel alicubi, ſine voce temporis ac loci ponitur, ùt:

Erit, *cùm* meî memineris.
Habes, *ubi* excurrat virtus tua &c.
Eſt, *ubi* præſtat damnum facere.
Eſt, *ubi* te ulciſcatur.
Eſt, *ubi* manebo. *Fuit*, *cùm* de mendo ſuſpicarer.

e) *Eſt* elegantem efficit pleonaſmum ſequente Relativo, notátque cauſam cum particulis *cur*, *quod*, *quare*, *quamobrem*, *quapropter*, v. g.

Quid eſt, *cur*, ſive quam ob rem, in iſto loco ſedeas?
Nihil eſt, *quod* amplius ſperemus.
Non, ſive *nihil eſt*, *quod* timeas.
Multa veniunt in mentem, *quam ob rem* tibi gratuler.
Quid eſt, *quod* te tam delectare poſſit?
Luxuria *eſt*, *quæ* civitates evertit.
Multi *ſunt*, *qui* tibi illudant.

VIII. Poſt verba *curo*, *nolo*, *volo*, *malo*, *cupio*, *oportet*, venuſtiùs poſueris participium præteritum, quàm infinitum paſſivum, ùt:

Miſſas ad te *curavi* litteras.
Malo me conviciis *ſuperatum*, quàm quemquam vel verbo â me *læſum*.
Omnibus periculis *ereptum te cupio*.

Not. Verba *curo*, *volo*, *cupio*, *do*, *loco*, *accipio*, &c. pro Infinitivo Paſſivo præſentis eleganter recipiunt etiam participium futurum in *dus*, ùt:

Negotium *conficiendum cures*.
Agrum ei *colendum locavit*.
Funus ei ſatìs amplum *faciendum curavi*.

IX.

IX. Præteritum Activum interdum venustè à Cicerone exprimitur per participium Passivum cum verbo *habeo*, ùt:

Quæ *habes instituta*, perpolies.

X. Pro necesse est & oportet eleganter adhibetur formula *non possum non* cum Infinitivo, ùt:

Viri probi *non possunt non* malorum insolentiam interdum *tolerare*.

XI Verba *opinor, credo, dico*, & similia orationis contextui quasi per parenthesin ita interseruntur, ut absolutè ponantur, ùt:

Ille, *opinor*, negotium conficiet.

XII. Pro dico cum negatione, latinè dicitur *nego*, ùt:

Negat, se quicquam audivisse.
Negavi, me esse facturum.

XIII. Modestiæ studiosus pro volo non citra gratiam *velim* adhibet, ùt:

Cogites, *velim*, quid in rem tuam sit.

XIV. *Memini* eleganter construitur cum inf. Præsenti pro Præterito, ùt:

Memini, me legere, audire &c. ich erinnere mich, gelesen, gehört zu haben.

XV. Elegans est formula *tantum abest, ut*, v. g.

Nullus præteriit dies, quin mihi tuî memoria in mentem veniat, *tantum abest, ut* tuî oblitus sim.
Sanguinem pro te effunderem, *tantum abest, ut* pecuniæ parcam.
Tantum abest, *ut* ego magistram esse putem vitæ philosophiam, ut nullis magìs exstimem opus esse magistris vivendi, quàm plerisque, qui in ea disputando versantur.

XVI. Pro possibile est, impossibile est, venustiùs dicitur, *fieri potest*, *fieri non potest*, vel græcè: est *ἐκ τῶν ἀδυνάτων*.

XVII. Contrarium unum per remotionem alterius interdum eleganter redditur, ùt:

Non nolle videtur. *Non ignoro*.
Nemo negat. *Non ignobilis*. *Haud obscurus*.

XV

XVIII. Oratio activa interdum haud ineleganter vertitur in passivam, & vice versâ, ùt:

Nonnisi *à bonis honesta colitur amicitia*, pro: nonnisi boni &c.

Non curat numerum *lupus*, pro: numerus non curatur à lupo.

XIX. Infinitivus post *opus est* ornatè in Ablativum participii præteriti passivi mutatur, ùt:

Consulto, maturato, dicto, facto, opus est.

XX. Gerundium necessitatis scitè effertur per *oportet*, *decet*, vel *necesse est*, subauditâ particulâ *ut*, v. g.

Necesse est multos *timeat*, quem multi timent.

XXI. Gerundia venustè mutantur in participia pass. in *dus*, ita ut cum nominibus sibi junctis genere, numero, & casu conveniant, ùt:

Ut primùm mihi potestas oblata est *augendæ dignitatis tuæ*, nihil intermisi.

Nunquam mihi *tuî colendi ac ornandi* voluntas defuit.

Occasio discendarum litterarum, pro discendi litteras.

XXII. Gerundium in *do* elegantissimè ponitur omisso adjectivo convenienti, ùt:

Est oneri ferendo. *Est solvendo* (par).

Semen exoletum *non est serendo.*

Charta emporetica *non est scribendo* (idonea).

XXIII. Supinum cum verbo *ire* positum, ad exprimendum conatum ac studium, orationi addit elegantiam, ùt:

Contumelias *ultum ibat*, pro ulciscebatur, seu ulcisci moliebatur.

Cur te *is perditum?*

Libertatem suam *defensum ibant*.

Cavete, ne ignoscendo malis, bonos *perditum eatis*.

Ire datum operam amico.

Ire consultum, *accersitum* aliquem.

XXIV. Participiorum usus apud Latinos venustissimus est, v. g.

Morte appropinquante læto ero animo.

Copiis

Copiis disjectis domum reverti.
Sole oriente demum orabo.
Julio & Pompejo inter ſe *diſſidentibus*, bellum civile ortum eſt.
Hunc *muneribus ornatum* à ſe dimiſit.
Vinculis me conſtrictum tradiderunt.
Venit *ſalutaturus* amicos.
Redăma *tuî amantem.*
Scripturus hiſtoriam vacuus ſit à cupiditatibus.
Oraturus intra cubiculum tuum.
Expertus hoc dico.
Compara divitias ſemper *duraturas.*
Vocatus adſum, *arceſſitus* veni.
Domum ibo *ſcripturus litteras.*
Scripturus carmen legito Virgilium.
Scripturo vel *ſcribenti mihi* nunciatum eſt.

Not. 1. Si deſit participium, ſubauditur vox *exiſtens*, aut præpoſitio *ſub*, *cum*, v. g.

Cicerone conſule. Patre vivo. Me puero.
Deo auſpice. Chriſto duce. His comitibus (ſc. exiſtentibus.)

2. Interdum ſolum ponitur participium, omiſſo pronomine, ùt:

Cognito (illo ſeu illâ re), quòd Crœſo illatum eſſet bellum.
Deſperato, regionem teneri poſſe.

XXV. Quando plura verba ſive vocabula coacervantur, ſignificatiora ultimo ponuntur loco, & quidem eleganter ſine copulâ, v. g.

Omnia nôrat: omnium aditus *tenebat.*
Appellare, ſollicitare poterat, *audebat.*
Vituperavit, flagellavit, *trucidavit.*

SECTIO V.
DE ADVERBIIS.

I. *Cur*, *quare*, *quam ob rem*, ornatè ponuntur pro propter, vel ob quem, quam, quod, ùt;

Nulla

Nulla eſt res, *cur* iſtum nolim ex paternis probris emergere.

II. Inter particulas *non modò*, *non ſolùm*, *non tantùm*, *ſed etiam*, *ſed quoque*, aliud interſeras.

Not. Pari elegantia dividuntur compoſita: *Reſpublica*, *pergratum*, *revera*, *reipſa*, *nonnunquam*, *nihilominùs*, *tantopere*, *quantopere*, *antequàm*, *priusquàm*, *poſtquàm*, *poſteaquàm*, *plusquàm*, *quamdiu*, *nequidem*, ùt:

Ante revertit, *quàm* exſpectaveram.
Poſt diem quartum, *quàm* acceſſerat.

III. *Nedum* negationi eleganter ſubjicitur, partíque deteriori, ſeu inferiori inſervit, ùt:

Optimis temporibus non potuerunt, *nedum* his.

IV. *Aequè ac* vel *atque* venuſtè ponitur pro tam, quàm, ùt:

Nihil *æquè* deſidero, *atque* bonam conſcientiam.

V. *Magìs*, *quàm* ſine ulla voce media ſcitè conjunguntur, ùt:

Servire *magìs*, *quàm* imperare parati eſtis.
Jus bonúmque apud eos non legibus *magìs*, *quàm* naturâ valebat.

VI. *Ne multa*, *ne multis*, *ne plura*, *quid multis?* brevitatis cauſâ eleganter abſolutè ponuntur.

VII. *Pariter* eleganter poſt ſe habet *cum*, *ac*, *atque*, v. g.

Studia *pariter cum ætate* creſcunt.
Motu corporis *pariter*, *atque* animo varius.

VIII. *Perinde* amat particulas *ac*, *ac ſi*, *atque*, *quaſi*, *tanquam*, ùt:

Perinde in iſtâ re faciam, *ac ſi* meâ eſſet.

IX. *Aliud* pro quàm ſcitè ponitur repetitum, ùt:

Aliud dicis, *aliud* ſentis.
Alius alio melior. *Alter altero* pejor.

X. *Eò quòd*, *eò quia*, *eò quò*, *eò ut*, pro: propterea ut vel quòd venuſtè ponit *Cicero*, v. g.

Eò tardius ad te ſcripſi, *quòd* quotidie te ipſum exſpectabam.
Non *eò* dico, *quò* mihi veniat in dubium tua fides.

XI.

XI. *Quàm*, nec non pronom. *qui*, *qua*, *quod*, eleganter cum verbis *possum*, *queo*, *valeo* &c. construuntur, ùt:

Quàm possum maximâ veneratione illum prosequor.
Exposui, *quàm* brevissimè *potui*, oracula.

Not. Eadem particula ornatè inter duos comparativos collocatur, aut comparativo inter duo vocabula præponitur, ùt:

Fortunatior, *quàm sapientior*.
Id *re*, *quàm verbis*, faciam libentiùs.
Divitiis, *quàm virtuti*, invigilant plures.
Bellum, *quàm pacem*, malebant.
Amicitia, *quàm pecunia*, delectat ampliùs.

XII. *Quippe* non ineleganter usurpatur pro utpote, vel absolutè, vel sequente relativo, ùt:

Voluptas tibi contemnenda videtur, *quippe* homini erudito.
Jurgia cum fratre non agebat, *quippe qui* &c.

XIII. *Secus* venustè post se admittit *quàm*, *ac*, *atque*, v. g.

Non secus ac si ipse adesses.
Secus agit, *atque* initio dixerat.

Not. Secus ponitur etiam absolutè cum vi negandi, v. g.

Rectè, *an secus*, nihil ad nos.

XIV. *Tantùm non* pro ferè, prope, venustè dixeris, ùt:

Tantùm non necatus sum.

XV. *Unde* pro ex quo vel à quo, venustè ponitur, ùt:

Fontes, *unde* haurias.
Eloquentia, *unde* longè absum.

XVI. *Usque*, *usque adeò* eleganter assumunt *dum*, *donec*, *quoad*, v. g.

Mihi *usque* curæ erit, quid agas, *dum* quid egeris, sciero.

Not. *Usque eò*, *usque adeò*, pro adeò scitè ponuntur.

XVII. *Utrùm* interrogandi adverbium post se recipit *an non*, *nec ne*, ùt: *utrùm* hoc faciam, *nec ne*?

XVIII. Signum universale affirmans eleganter redditur per negans, præmissâ negatione aliâ, ùt:

Qui *non assentiretur*, vidi *neminem*.
Apertè adulantem *nemo non* videt.

XIX. Pro vehementer scitè ponitur *majorem in modum*, *mirum in modum*, *etiam atque etiam*.

XX. Indignandi formulis pulchrè vox *malum* inseritur, ùt:

Quænam, *malum!* est ista infrenata tua impudentia?
Quid tua, *malum!* refert?

XXI. Singularem habent elegantiam adverbia in *im*, ùt: *Strictim*, *cursim*, *carptim*, *paulatim*, *sensim*, *punctim*, *casim*, &c. nec non ea, quæ nominibus ac verbis juncta emphasin habent, v. g.

Avarè, *superbéque* imperare.
Turba *muliebriter culta*: *excusatiùs* peccare.
Amicus *molestè sedulus*, homo *placidè iracundus*, *facetè impius*, *sordidè liberalis*, *laboriosè ineptus*, vel *ineptè laboriosus*, *ingeniosè nequam*, *otiosè occupatus*, *pravè facundus*.

SECTIO VI.
DE PRAEPOSITIONIBUS.

I. Præpositiones nonnullæ haud invenustè casibus suis postponuntur, ùt:

Habes, *quibuscum* familiares conferas sermones.
Nulla in re. *Multis de* causis. *Quam ob* rem.
Quem penes est omnis potestas.
Nos inter & illos. *Magna per pericula*. *Bonam in partem*. *Qua in urbe*.

II. *In* eleganter ponitur pro inter, ùt:

In perditis habeo. *In amicis* hunc habeo.
In his (inter hos) fuit frater tuus.

Byzan-

Byzantio expugnato cepit complures Persarum nobiles, atque *in his* nonnullos Regis propinquos. *Nep. Pauf.* 2.

III. *Per* hos elegantes habet loquendi modos, v. g.

Per jocum. *Per ætatem* ejus pater esse potuisset. *Per speciem* honoris. *Per id tempus.* *Per valetudinem* non possum. *Per me* licet. *Per leges* non licet. *Per Deum* jurare.

IV. *Post* eleganter cum participio præterito construitur, v. g.

Post hanc urbem *conditam.* *Post* homines *natos.*

V. *Post* & *præter*, sive formula excipiendi, pulchrè redditur per formulam: *si discesseris*, v. g.

Parentibus, *si à Deo discesseris*, plurima debes.

Sectio VII.

DE CONJUNCTIONIBUS.

I. *Atenim*, in objectionibus, & occupationibus frequens est, ùt:

Atenim nihil novi fiat contra exempla & instituta majorum. Es mögte aber einer sagen. &c.

II. Ut *tùm tum* in paribus, sic *cùm* & *tum* eleganter ponuntur in imparibus, ubi minus per *cùm*, majus per *tum* offertur; id quod non ineleganter assumit *præcipuè*, *maximè*, *certè*, *profectò*, & superlativum, v. g.

Fortuna plurimum potest, *cùm* in rebus ceteris, *tum præcipuè* in bello.
Luxuria *cùm* omni ætati turpis, *tum senectuti fœdissima* est.

III. Pro quia vel quoniam eleganter ponitur *utpote, quippe,* ante relativum *qui, quæ, quod*, v. g.

Non est huic habenda fides, *quippe* bis pejeravit.

IV. *Atque* ſequente vocali venuſtiùs ponitur, quàm *ac*; utrumque autem uſitatiùs inter polyſyllaba ponitur, quàm *&*, v. g.

Ad ſummas, *atque incredibiles* occupationes accedit.

V. *Quod* ſequente *ſi* venuſtè abundat, vel pro *ſed* ponitur, ſequente non rarò *certè, profectò, nihilominùs*, ùt:

Quodſi licebat me excuſare, tamen non debebas.
Quodſi tibi res cum eo ſit, cum quo mihi eſt, tum ſentias &c.

VI. Particula *que* concinnè vocibus indeclinabilibus annectitur, ùt:

Diu, *multúmque*. Ultro *citróque*. Longè *latéque*.
Iterum, *iterúmque*. Magìs, *magisque*.

VII. Pro tantùm concinnè dicitur *nonniſi*, ùt:

Nonniſi pietate ſervamur.

VIII. *Utne* pro ne eleganter dicitur, v. g.

Juſtitiæ primum munus eſt, *ut ne* cui noceas.
Illud *ut ne* facias, hæc res ſola eſt remedio.

IX. Conjunctio *&* geminata admodùm venuſta eſt, ùt:

Diligentia honores *&* gignit *&* continet.

X. Cùm tria vocabula conjungenda ſunt, eleganter ſecundo poſtponitur *que*, & tertio præmittitur *&*, *ac*, *atque*, v. g.

Elegantes, *doctásque*, *& humanas* litteras dedit.

XI. *Si, niſi, ut, cum, dum, ne, cur, qui, quæ, quod* venuſtè in orationis medio ante verbum ſuum ponuntur, ùt:

Quod ſi feceris.
Laborem tuâ *cauſâ cùm ſuſcipis*.
Virtutem *voluptati qui* præponit.

XII. Tandem de omnibus elegantiis notetur, in iis modum eſſe ſervandum, ne earum affectatione faſtidium lectoribus creetur, nec eâdem ſemper chordâ oberrare videamur.

APPEN-

Appendix
de
Linguae Latinae
Adagiis.

Nota. Adagium eſt *dictum acutum, vulgari omnium ſermone tritum, quod plerumque ad factum aliquod amœnum, aut ritum veterem, aut ſimile quid reſpicit.* Pertinent Proverbia ejusmodi, ſive Parœmiæ ad ſtili elegantiam, éſtque eorum magna in oratione gratia. Rectè tamen Nicolaus Cauſſinus S. J. de Eloquen. ſacra & profana L. IV. p. 189. monet; *Erit*, inquit, *in his adagiis obſervandum, ne crebra & obſcura admiſceantur orationi, quod puerile eſt, & vitioſum. Sed ubi res feret, commodè quaſi gemmulæ purpuræ inſerantur: maximè verò in epiſtolari ſtilo, qui parœmiarum amœnitate cultiùs eniteſcit.* Quare in rem ſtudioſorum adoleſcentum, quibus minor librorum copia eſt, futurum arbitror, ſi compendio præcipua, primò quidem breviora, tum & longiora exhibeantur, quæ & memoriæ mandari, & opportunis deinde locis ab ingenio depromi poſſint. Expoſitio adjecta nulla eſt, ut in vero eorum ſenſu eruendo exerceri Tironum induſtria queat.

Sectio I.
Collectio Breviorum Adagiorum.

A capite ad calcem.
Ab ovo ad mala.
A carceribus usque ad metas.
Ab Aboriginum ſæculo.
Ab Evandri matre repetitum.
Arceſsítum malum.
Accipiter pecuniarum.
Acerba fratrum bella.
Acerbior veſpâ.
Acetum vini proles.
Achille animoſior.
Actum eſt.
Acu rem tangere.
Ad calculos aliquid vocare.
Adamante durior.
Ad clepſydram dicere.
Ad frugem redire (ſe recipere).
Ad calendas Græcas.
Ad umbilícum perducere.
Ad reſtim res rediit.
Ad vinum diſerti.
Ad vivum reſecare.
Ad utrumque paratus.
Adonidis horti.
Aegri ſomnia.

Aethiops non dealbeſcit.
Aethiŏpem lavas.
Aetnâ æſtuantior.
Agitare cœnum.
Alas addere alicui.
Alea extrema.
Alea jacta eſt.
Alno procerior.
Alter Hercules.
Alter Aeſópus.
Amarior ipſâ bile.
Amycléum ſilentium.
Anticyras navigare.
Anguillâ lubricus magìs.
Ancora ſacra.
Animam debere.
Anſam præbere, arripere.
Antiquum obtinet.
Aquâ & igni interdicere.
Aquilæ ſenectus.
Arăbum gazæ.
Arcadicum pecus.
Arare littus.
Arcăde ſtolidior.
Arena ſine calce.
Archimedéum problema.
Argum fallere.
Aridior pumice.
Ariadnæum filum.
Ariſtíde incorruptior.
Ars cenſus.
Arundinea crura.
Aſinus, lepus) in pelle leonis.
Aſinus ad lyram.
Athenas noctuas (ferre).
Attalicæ conditiones (opes).
Athletâ robuſtior.
Attica bellaria.
Attica eloquentia.
Audentes fortuna juvat.
Aves concolóres.
Augíæ ſtabulum.
Aureæ cómpedes.
Aurem vellere.
Auris Bœotica, ſupina.
Auribus alicujus dare.
Aurum ſubæratum.
Aureos montes polliceri.

Bellerophontis litteræ.
Bipĕdum nequiſſimus.
Bis ac ter, quod pulchrum.
Bis dat, qui citò dat.
Bis pueri ſenes.
Bœoticum ingenium.
Bos in lingua.
Bracteata felicitas.
Bruta fulmina.
Bullatæ nugæ.
Byſsĭna verba.

Cœcus de coloribus.
Callum obducere.
Caligare in ſole.
Calamitas nulla ſola.
Calcar addere.
Calculum reducere.
Camelus ſaltat.
Cancros edere.
Cane adulantior, vel rixoſior.
Canína facundia.
Canis è Nilo.
Cappadocium portentum.
Capularis ſenex.
Caput ſine lingua.
Caucăſo durior.
Caudĭce ſtolidior.
Carbóne aliquem notare.
Cardine verſatilior.

Cedro

Cedro dignum.
Cenſoria gravitas.
Cenſoriâ virgulâ notare.
Cenſorium ſupercilium.
Centónes farcíre.
Cervínus vir.
Cervina ſenectus.
Charybdi voracior.
Cicatrícem refricare.
Cimmeriæ tenebræ.
Circæum poculum.
Clavum clavo pellere.
Clivo ſudare in uno.
Crambe recocta.
Clitellarius homo.
Cothurno verſatilior.
Coronidem imponere.
Colophónem rei addere.
Cochleæ vitam agere.
Commătis ejusdem.
Crœſi opes.
Crocódili lacrymæ.
Cumanus aſinus.
Cœlum digito attingere.
Columbâ mitior.
Cornícum oculos configere.
Cretenſi mendacior.
Cortice levior.
Cote durior.
Cribro aquam haurire.
Cyclopicum monſtrum.
Cyclópe immanior.
Cyclopica vita.
Cygnéa cantio.

Dare manus.
Dædăla tellus.
Dædaléum remigium.
Dædălo ingenioſior.
Davus ſum, non Oedipus.
De lana caprina.
De alieno liberalis.
Dedi malum, & accepi.
De facie nôſſe.
Demócriti ríſus.
Demoſthene facundior.
Dentata charta.
Dente Theoníno rodere.
Decipiente ſemel.
Dicis cauſâ.
Dicendo dicere diſcunt.
Dictum factum.
Dolium pertúſum.
Dolio pertuſo incontinentior.
Domi leones.
Dormire non omnibus.
Draconis leges.
Dubia cœna.
Duræ cervicis eſt.
Duri oris homo.

Echíno aſperior.
Effréna, effrenata juventus.
Electro pellucidior.
Eodem in ludo doctus.
Equo indomito ferocior.
Eurípo inconſtantior.
Exul mentis.
Extra oleas ferri.
Ex hara productus.
Ex tripŏde dictum.
Ex aſſe hæres.

Faba in te cudetur.
Fabri fabrilia tractant.
Fabula nunc ille eſt.
Faciem perfricare.
Fames ſaguntina.
Fames multa docet.
Farínæ ejusdem.

Fas & jura ſinunt.
Faſces ſunt faſces.
Faſtus major cenſu.
Fata manent omnes.
Faſtidii delicatiſſimi homo.
Fele rapacior.
Ferire aërem.
Ficulneum argumentum.
Ficulneum præſidium.
Fides Græca vel Punica.
Fides penes Auctorem.
Friget opus.
Frontem amiſit.
Frontem perfricare.
Perfrictæ frontis homo.
Fumum vendere.
Fundum alienum arare.
Fungus putidus.
Furtivæ operæ.

Gallinæ albæ filius.
Gerræ ſiculæ.
Getis truculentior.
Gladius Delphicus.
Gladiatorius animus.
Gladio ſuo jugulari.
Glaucóma objicere.
Glire ſomnolentior.
Gnathóne adulantior.
Graculo loquacior.
Grillo ſtolidior.
Gygis annulus.

Habet.
Hellebŏro eget.
Hæret in vado.
Hannibal ad portam.
Haſtæ ſubjicere.
Haſtam abjicere.
Haſtis argenteis pugnare.
Herbam porrigere.
Heroſtrăto ambitioſior.
Hirundinum muſéa.
Hìc Rhodus, hìc ſalta.
Hirco libidinoſior.
Hinc illæ lacrymæ.
Homo trium litterarum.
Homo bulla.
Homo omnium horarum.
Homo homini lupus.
Hoſtia ſuccidanea.

Illótis manibus attingere.
Ilias malorum.
In ære meo eſt.
In arenam deſcendere.
In aëre piſcari.
Incúdi reddere.
Intemperiis agitari.
Inter incudem & malleum.
Inter os & offam.
Jonĭcæ choreæ.
Jonica verba.
Ira deferbuit.
Iracundior Adriâ.
Iro pauperior.
Iſthmum perfodere.

Labor Herculeus.
Labyrintho intricatior.
Laconica ſcriptio.
Lacúnam implere.
Lanâ mollior.
Lanei pedes DEI.
Lapidem movere omnem.
Lapis lydius.
Laternâ magìs pellucidus.
Lepŏre timidior.
Lenóne perjurus magìs.
Lerna malorum.

Lesbia

Lesbia regula.
Lesbius cantor.
Levius foliis.
Limam rei addere.
Limatum & politum judicium.
Lingua vulpina.
Locuples teſtis.
Luce magìs dilectus.
Luſciniâ vocalior.
Lutum luto purgare.
Lynceo perſpicacior.

Manlianum imperium.
Marte pugnacior.
Martis pullus.
Melle dulcior.
Mendacia non cohærent.
Menſæ Perſicæ vel Siculæ.
Milite glorioſior.
Minervâ doctior.
Momo ſatisfacere.
Momo ipſo mordacior.
Monſtra narrare.
Monſtro quovis monſtroſior.
Morbo laboramus eodem.
Muliere loquacior.
Myconius conviva.

Naſus Atticus.
Naſum tuum novi.
Naris emunctæ homo.
Ne quid ſuo ſuat capiti.
Ne per ſomnium quidem.
Ne quid nimis.
Ne ſutor ultra crepidam.
Nebulas diverberare.
Nervos omnes intendere.
Neſtŏris ſenectus.
Nequitiâ nequior.

Nive candidior.
Nodus Gordius.
Nuces relinquere.
Nullius numeri homo.

Oculi lyncei.
Oculi pumicei.
Oculi emiſſitii.
Oculis charior.
Olére hircum.
Oleo tranquillior.
Ollaris amicus.
Orbilio plagoſior.
Os alicui ſublinĕre.
Ovum ovo vix ſimilius.
Ovo prognatus eodem.

Palmarium dictum.
Palinodiam canere.
Panis lapidoſus.
Panicus terror.
Paſſere ſalacior.
Pavonis more rotari.
Peſte quavis peſtilentior.
Pernicior vento.
Phaláride crudelior.
Per tranſennam inſpicere.
Piacularis victima.
Piſtillo retuſius ingenium.
Pollicem alicui premere.
Pœno perfidior.
Principium fervet.
Pro aris & focis.
Propria laus ſordet.
Prora & puppis.
Platonicis numeris obſcurius.
Plumbeæ iræ.
Plumbeum ingenium.
Proteo mutabilior.

Pupillâ oculi charior.
Pygmæo brevior.

Quæ non posuisti, ne tollas.
Qualis rex, talis grex.
Qualis vir, talis oratio.
Quid si cœlum ruat?
Quid ad farinas?
Qui domi compluitur.
Quicquid in buccam venerit.
Quid cœco cum speculo?
Quis aberret à januâ?
Quocunque pedes ferent.

Ramento levior.
Rana seriphia.
Remis, velísque.
Risus Jonicus.
Rotundo ore loqui.
Rubo arido præfractior.
Rusco horridior.

Saginatus porcus.
Salem lingĕre.
Sales dentati.
Sceptra pædagogorum.
Scopæ dissolutæ.
Scutum abjicere.
Scythâ asperior.
Scythicis moribus vivere.
Sicula aula.
Siculæ Vesperæ.
Siculis gerris vaniora.
Silice durior.
Sine cortice natare.
Sirenum cantus.
Sirenéus scopulus.
Sole clarior.
Sophocléus cothurnus.
Spinâ distortior.
Spongiâ bibacior.
Sphinge involutior.
Sphingis ænigmata dissolvere.
Stentórea vox
Stentŏre clamosior.
Suboluit mihi.
Sus Minervam. (docet)
Sybaritica mensa.
Sybaritici sermones.
Sybaríta per plateas.
Sybaritâ fastuosior.
Syllanus morbus.

Tangere ulcus.
Tálitro percutere.
Talpâ cœcior.
Telam texere, pertexere.
Testudine tardior.
Thebáno sub aëre natus.
Thersíte deformior.
Thrasóne gloriosior.
Tipulâ levior.
Trocho versatilior.
Trútinâ justior.
Túrture loquacior.

Vatinianum odium.
Ubi bene est, ibi patria est.
Ubi timor, ibi pudor.
Vela vertere.
Velle parum est.
Vento instabilior.
Ventis tradere.
Vertumno inconstantior.
Versuram facere.
Visco manus tingere.
Vitro fragilior.
Ulysséum commentum.
Ungues rodere.

Urso hispidior.
Ut ameris, amabilis esto.
Vulpe fraudulentior.
Vulture rapacior.
Uvis passis aridior.
Zoilum imitari.

Sectio II.

COLLECTIO LONGIORUM ADAGIORUM.

A cane muto, & aqua silente cave.
Aceto aliquem perfundere.
Aculeos relinquere in animo.
Adversùs solem ne lóquitor.
Adulatore & amico nemo eodem utitur.
Aedibus in propriis canis est mordacior omnis.
Aestatem loquitur hirundo.
Agros alienos irrĭgas, tuis sitientibus.
Album calculum addere alicui.
Alia res sceptrum, alia plectrum.
Alterâ manu fert lapidem, panem ostendit alterâ.
Alterius non sit, qui suus esse potest.
Ama tanquam osúrus.
Amantium ira amoris redintegratio est.
Amor & tussis non celantur.
Amyclas silentium perdidit.
Andabatarum more pugnare.
Animus æquus optimum ærumnæ condimentum.
Anguem fovere in sinu.
Anguillam caudâ tenere.
Anguilla est, elabitur.
Angue pejus & cane odisse.
Apinæ, tricaéque, & si quid vilius istis.
Aquam è pumice haurire.
Aqua cum igne prius redibit in gratiam.
Aquila non captat muscas.
Arbore dejectâ quilibet ligna colligit.
Arborem veterem transplantare vetamúr Græcorum proverbio.
Argutatur totum diem, ùt cicáda.
Arcus nimiùm intensus rumpitur.
Aristarchi obeliscis notari.
Asino stramentum, non aurum.
Asperius nihil est humili, cùm surgit in altum.
Astutam vapido gestat sub pectore vulpem.
Auro pulsa fides, auro venalia jura.
Auro pollente nihil pollet quævis oratio.
Aurea ne credas, quæcunque nitescere cernis.

Balbus balbum rectiùs intelligit.
Barba non facit Philosophum.

Bellum dulce inexpertis.
Bene natis turpe malè vivere.
Bene eſt, cui DEUS parcâ, quod ſatìs eſt, obtulit manu.
Bibere more Græco.
Bolum eripere è faucibus.
Bonæ leges ex malis moribus.
Boni paſtoris eſt tondére pecus, non deglubĕre.
Bonus dux bonum reddit comitem.

Calceatus inter ſpinas ambula.
Calceum eundem omni induere pedi.
Cancrum lepŏri comparare.
Carpet citiùs aliquis, quàm imitabitur.
Canis vetulus non adſueſcit loro.
Canibus offa prodere.
Caput cerebro vacuum.
Cardo rei in hoc vertitur.
Ceram auribus obdĕre.
Cervus ad ſagittam propĕrat.
Cibi condimentum fames.
Clavam Herculi extorquére.
Contra ſtimulum calces (jactare.) vel calcitrare.
Cœcutiunt etiam lyncei.
Corycæis omnia ſunt plena.
Colo, quod aptâſti, tibi nendum.
Cornu ferit ille, caveto.
Córticem arrodit, nucleum non lædit.
Corvum illuſit hiantem.
Credat Judæus apella.
Cùm ferrum candet, cudĕre quemque decet.
Cura eſſe, quod audis.

Damonis & Pythiæ amicitia.
Decumani malorum fluctus.
De tuo ludetur corio.
De alliis loquenti reſpondes de cepis.
Diæta bona potior omni Hippocrăte.
Difficilia, quæ pulchra.
Digitum transverſum non diſcedere.
Dignum patellâ opérculum.
Dives aut iniquus eſt, aut *iniqui* hæres.
Dives factus faſtídit lentem.
Domi ſuæ quilibet rex.
Duo cùm faciunt idem, non eſt idem.
Duos parietes de eadem fidélia dealbare.
Durum telum neceſsitas.

Eâdem chordâ oberrare.
Eâdem penſari trútinâ.
Eandem tundere incúdem.
Eandem chlámydem vento omni obvertere.
E flamma cibum petere.
E diamĕtro eſſe oppoſita (diſtare.)
Ex ſe finxit velut aranea.
E cantu dignoſcitur avis.
E terra ſpectare naufragium.
Ex adſpectu naſcitur amor.
Ex eodem ore calidum & frigidum efflare.

Ex

Ex arena funiculum nectis.
Ex syngrăpha agere.
Extremis digitis attingere.
Extra lutum pedes habes.
Extra telorum jactum.
Elephantum è musca facere.
Elephantinâ olfacere promuscide.
Emĕre malo, quàm rogare.
Erranti medicina confessio.
Esca malorum voluptas.
Evitatâ charybdi in scyllam incĭdi.

Facies tua computat annos.
Facem alicui addere ad libidinem.
Fæcem bibat, qui vinum bibit.
Falcem mittere in alienam messem.
Facilè, cùm valemus, recta consilia ægrotis damus.
Famelicus non interpellandus.
Fenestram ad nequitiam alicui aperire.
Feras, non culpes, quod mutari non potest.
Ferulæ manum subducere.
Figŭlus figulo invidet.
Fistula dulcè canit, volucrem dum decipit auceps.
Flamma fumo proxima.
Fomes vitiorum luxuria.
Fors domina campi.
Fortes creantur fortibus.
Frangere oportet nucem, qui nucleum vult esse.
Fronti nulla fides.
Fugiens fumum in ignem incĭdi.
Fungus illi pro cerebro est.

Gaudium dolori junctum.
Genium suum defraudare.
Glaciei unius noctis fidĕre.
Gladiator in arena consilium capit.
Gladiatorio animo invadere.
Graculus gracŭlo assĭdet.
Gratia senescit citò, cúmque ipso flore decĭdit.
Gryphes equis jungere.

Hanc technam in te ipsum struxisti.
Hæsitantia cantoris tussis.
Heroum filii noxæ.
Hortus altera succidia.

Janua animi frons.
Ignavum fuci pecus.
Ignem admovére fomiti.
Iliăcos intra muros peccatur, & extra.
Interstrĕpit anser olóres.
In utramvis aurem dormire.
In morem octipĕdis procedunt omnia cancri.
In sylvam ligna ferre.
Invia virtuti nulla est via.
Invítis canibus venari.
In aurea vagína plumbeus gladius.
Inter calicem, supremáque labra.
In alieno foro litigare.
In eodem luto hæsitas.
Ira pessimus consultor.
Iram in promptu gerere.

Juxta

Juxta fluvium puteum fodĕre.

Labiis extremis gustare.
Labor senectuti optimum obsonium.
Lactari vanâ spe.
Lapides loquĕris, cerebrum mihi excutiunt.
Latrantem stomachum lenire.
Leoni mortuo etiam lepŏres insultant.
Lepus tute es, & pulpamentum quæris.
Lignum tortum haud unquam rectum.
Limine insalutato in aliquid irrumpere.
Lineam longam ex se facere.
Lippis & tonsoribus notum est.
Lucernam in meridie exhibere.
Lucernâ qui egent, infundunt oleum.
Lucri bonus odor ex re qualibet.
Lupercum se exhibuit.
Lupus numerum non curat.
Lupus pilos mutat, non animum.
Luscinia non canit in cavea.

Mali principii malus finis.
Malum suo jumento sibi arcéssere.
Manus manum lavat. (fricat.)
Mare verborum, gutta rerum.
Marte proprio.
Mendacem oportet esse memorem.
Mercurius non ex quovis ligno fit.
Messem malorum metĕre.
Metíri se suo modulo ac pede.
Merx ultronea putet.
Mihi istic nec serĭtur, nec metĭtur.
Mopso Nisa datur.
Molam qui vitat, vitet farinam.
Mors ultima linea rerum.
Molli brachio aliquem objurgare.
Muscas irrétit, transmittit aranea vespas.
Mus non uni fidit antro.

Naso adunco aliquem suspendere.
Naturam expellas furcâ, tamen usque recurret.
Ne Hercules quidem adversus duos.
Necessitas rationum inventrix.
Ne fumantem nasum ursi tentaveris.
Nihil est ab omni parte beatum.
Nodum in scirpo quærere.
Nos numerus sumus, & fruges consumere nati.
Non possunt omnes olére unguenta exotica.
Nubecula est citò transitura.
Nubes & inania captat.

Obex nullus officit DEO præeunte.
Occasio virtutis calamitas.
Ocream fronti aptare.
Oculatus testis unus pluris, quàm decem auriti.
Oculos in occipitio gerit.

Oculis

Oculis magìs habenda eſt fides, quàm auribus.
Oleum camino addere.
Oleum & operam perdere.
Oris effrénis finis calamitas.
Oſcitante uno oſcitat & alter.

Paginam utramque façere, ſeu complere.
Palpum obtrudere alicui.
Pardus maculas non deponit.
Patriæ fumus alieno igne eſt luculentior.
Paupertas eſt gymnaſium virtutis.
Planta, quæ ſæpiùs transfertur, non coaleſcit.
Plumas video, aves non video.
Plumis alienis veſtiri, ùt cornicula Aeſopica.
Priùs teſtúdo lepórem prævérterit.
Pudor eſt arx pulchritudinis.

Quam quisque novit artem, in hac ſe exerceat.
Quatuor obŏlis non æſtimo.
Quem caſus ſæpe tranſit, aliquando invĕnit.
Quid diſtent æra lupinis.
Quid de puſillis magna procemia?
Qui, quæ vult dicit, quæ non vult, audiet.
Qui nimiùm properat, ſeriùs abſolvit.
Qui amant, ipſi ſibi ſomnia fingunt.
Quis filius non formoſus matri?
Quibus nec ara, nec fides.
Quo pede cœpiſti, ſic bene ſemper eas.
Quod non eſt opus, aſſe carum eſt.
Quod in animo ſobrii, id in lingua ebrii.
Quod caret alternâ requie, durabile non eſt.
Quod citò fit, citò perit.
Quod alibi diminutum, exæquatur alibi.
Quod aliis vitio vertis, ipſe ne feceris.
Quot capita, tot ſenſus.
Quo ſemel eſt imbuta recens ſervabit odorem teſta diu.
Quò terrarum rapĕris?

Rana ex aurea etiam ſede in palúdem reſĭlit.
Reciprocare eandem ſerram.
Remum ducat, qui nihil didicit.
Rivulos ſectari neglectis fontibus.

Salino tenui victitare.
Satelles atque adminiſter vitiorum.
Scabies extremum occupat.
Senum conſilia juvenum lanceæ.
Si tibi Chriſtus adeſt, tibi fiet aranea murus.
Si tibi Chriſtus abeſt, tibi murus aranea fiet.
Si nihil attuleris, ibis, Homere, foras.

Sin-

Sincerum est nisi vas, quodcunque infundis, acescet.
Si vivis Romæ, Romano vivito more.
Sol omnium dierum nondum óccidit.
Sorbére, & flare difficile.
Strabo (luscus) regnat inter cœcos.
Stat tibi silex in corde.
Stipulam igni admovere non tutum.
Surculus tandem fit arbor.

Thesaurus carbones erant.
Tollat te, qui non novit.
Tragœdias in nugis agere.
Tua res agitur, paries cùm proximus ardet.
Tuis te coloribus pingam.
Tunc canent cygni, cùm tacebunt graculi.
Tute hoc intrivisti, tibi exedendum erit.

Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.
Venia primùm experienti.
Veritas odium parit.
Veritas est temporis rosa.
Volenti non fit injuria.
Ut possumus, quando, ùt volumus, non licet.
Ut sementem feceris, ita metes.

Membrum IV.

DE LINGUAE LATINAE COPIA.

SECTIO I.

DE SYNTAXI VARIANTE GENERALI.

§. I. Syntaxis varians est, quæ unam eandémque sententiam aliis vocibus effert.

Haécque est vel *Generalis*, vel *Singularis*.

§. II. Variatio *Generalis* modis potest fieri ferè infinitis, duobus tamen maximè. Vel enim verba alia pro aliis ponuntur; vel eadem retinentur.

§. III.

§. III. Verba sive vocabula, quæ aliis permutantur, vel sunt idem significantia per *Synonymiam*, vel *Aequipollentiam*, per ἰσοδυναμίαν. *Sed hæc ad Dialecticam magìs referenda est.*

1. Prima igitur & simplicissima variandi ratio in *Synonymis* sita est, quæ diversa sunt, & eandem rem omnino declarant, ùt: *ensis*, *gladius*: *liber*, *codex*: *forma*, *decor*, *pulchritudo*. Horum è bonis Auctoribus undecunque comparanda supellex est, ut in promptu sint; & congesta talia reperiuntur in Phraseologiis, potissimùm illâ P. Wagner S. J.

2. Retentis iisdem verbis variatur oratio simpliciùs per *Heterósin*, *Enállages speciem*, quæ est, quando, manentibus iisdem orationis partibus, sola mutantur ejusdem Accidentia, ùt: *Qualitas*, *Genus*, *Species*, *Casus*, *Numerus*, *Persona*, *Gradus* &c. Operosiùs verò per *Antimeriam*, quando ipsæ orationis partes permutantur.

Exemplo sit dictum illud S. Pauli 1. Tim. 4. v. 8. *Pietas ad omnia utilis est.*

§. I. *Synonymia* est: Timor ille, cultúsque DEI, sincera religio, & veneratio supremi Numinis universo generi humano maximè salutaris, & ad omnia bona comparanda perquàm idonea, commoda, rebúsque omnibus opportuna est.

Ex quâ solâ hæc sententia vicies & ampliùs poterit variari, si quis periculum fecerit.

§. II. *Heterósis*, quæ est 1. *Qualitatis*, cùm ex nomine Substantivo fit Adjectivum, ex Appellativo Proprium, aut contra; *ita si dixeris*: Piæ mentis magna est utilitas. Quid Jobo, quid Davide, quid Daniele beatius fuit?

2. *Generis*, si *pro piâ mente*, pium animum, pium pectus ponas.

3. *Numeri*, si Pluralem pro singulari; ùt: Piarum mentium commoda & præmia innumera sunt.

4. *Casûs*, si pro recto obliquos, & per omnes casus Nomina declines; sic:

Pietas ad omnia utilis.
Pietatis ad omnia summa utilitas.
Pietati certum est summam inesse utilitatem, summáque reposita esse præmia.

Pietatem quis neget ad omnia esse utilem? constat (palam est) pietatem summè esse necessariam, & salutarem.

O Pietas, homini tutissima, utilissima virtus!
A Pietate omnes utilitates, omnia commoda prománant.
5. *Gradûs.* Ad omnia utilissima est Pietas.

§. III. *Antimeria*, quæ quò simplicior, hòc facilior & copiosior est.

Sic rursum sententia eadem variari potest per Antimeriam.

I. *Cum Synonymia*, ùt: Pietati studere, deditúmque esse ad omnia prodest, ad omnia bona expedit, ad omnes commoditates, vel omnium commoditatibus, saluti, vitaéque rationibus singulis & universis conducit. Fructus, utilitates, commoda, emolumenta habet, continétque innumera; operæ pretium, præmium, lucrum, compendium ingens adfert. &c.

II. Per Antimeriam 1. *Verborum, cum Heterosi Generis*: Qui DEUM colit, à quo DEUS colitur: qui timet, veretur DEUM, ei pietas omnia bona adfert; ei à pietate omnia commoda nostra adferuntur; semper vivit feliciter, agit prosperè, omnibus commoditatibus affluit, cumulatur, omnia bona adipiscitur &c.

2. *Numeri*, ùt: Qui DEUM observant, & sequuntur, nulla non bona ab eo consequi solent. &c.

3. *Personarum: Ego*, si DEUM colam, sufficit; habeo, quod volo, quod conducibile est omne. *Tu*, si verearе summum Numen, certus esto, ne dubites, accipies amplissimam gratiæ mercedem. &c.

4. *Temporum*: Quis unquam *coluit* DEUM, qui non omnia

omnia consecutus sit? Nemo *colet* DEUM, quin omnia ab eo impetraturus sit bona.

5. *Modorum*: *Ama* & venerare DEUM, & habe, quicquid uspiam boni est. Utinam *coleremus* DEUM, omnia certè commoda consequeremur! *Timere* DEUM, omne bonum est possidere. Quantum emolumenti semper contulit DEUM *coluisse?* Una ratio hæc est *adipiscendi* omnia: DEUM *reverendo* nihil non boni consequi possumus. *Ad consequendum* omnia bona unicè utilis & necessaria est pietas.

6. *Conjugationum:* DEUM amare, timere, diligere, eíque obedire, causa omnium bonorum.

II. Participiorum.

Horum variandorum eadem est ratio per sua Accidentia, quæ partim à Nomine, partim à Verbo mutuantur. Et si quis ad istum modum omnia Synonyma, Nomina & Verba per talem Heterosin commutet, quæ in subjecto aut prædicato hujus sententiæ reperiri poterunt, infinita erit variandi ratio. Sic si varientur Nomina: *Utilitas, fructus, commoda.* Et Adjectiva: *Utilis, conducibilis, fructuosus, commodus.* Item per *Genera* & *Gradus* Comparationis: *Tum & Verba: Timere, colere, prodesse, conducere,* & similia per *Tempora, Personas* & *Modos.*

Quin & participia 1) per *Genera*, ùt: DEO deditus: DEO mens dedita, DEO cor addictum.

2) Per *Numeros:* DEUM timens, DEUM timentes.

3) Per *Casus:* DEUM *colentis* immensa remuneratio est: præmia & commoda nullo possunt comprehendi numero. DEUM *timenti* firma est spes, obventura omnia bona. Quis negare ausit, DEUM *timentes* quævis bona consecuturos? *A timentibus* DEUM nulla non commoda impetrari poterunt.

4) Per *Tempora:* DEUM amans, amaturus: A quo DEUS semper cultus est, qui DEUM semper sibi colendum proposuit. &c.

III. Pronominum.

Inter ceteras partes orationis hæc Antimeria difficilior est, & sinè additione fieri vix potest. Sic pro Nominibus, Verbis, Participiis pone Pronomina. *Ego*, inquit Pietas, ad omnia sum utilis: *mihi* bona omnia obveniunt: *me* colens omnia bona

bona accipit: *meum* eſt, quidquid uſpiam boni eſt: *meæ* ſunt omnes utilitates: *mearum* commoditatum nullus eſt numerus: *meis* fructibus nihil eſt utilius. *Ita per cetera progrediendum Pronomina, eáque per Heteróſin varianda. Tu,* ô pietas! ad omnia fructuoſa es: DEum ſuum timens ſciat, *ſeſe* â DEo percepturum omnia bona: *ille* largiter beabitur: *illius* erit bonum omne, quod usquam eſt: *illi* largiter DEus omnia ſuppeditabit &c. *Quis* beatior iſto? *Quæ* major poſſit eſſe commoditas? *Quid* conducibilius pietate? *Cujus* tam infinita ſunt commoda? *Cui* tot bona obveniunt? *in quam* omnia confluunt & conveniunt. *Noſtra* omnis in hâc re ſita eſt ſalus, & ubertas bonorum noſtrorum omnium. *Noſtris* rationibus nihil æquè ſalubre, commodum eſt.

IV. *Adverbiorum.*

Quoties apparuit pietatis infinita utilitas? *Centies millies* utilior eſt rebus omnibus. Sexcenta millia commodorum continet. *Non jam nunc modò*, verùm *ſemper*, omni tempore: *nunquam non, nuſquam non; quando non* illa utilis? *Non hìc tantùm* aut *iſthìc*, ſed *ubicunque*, quocunque loco, *uſquequaque*, modis omnibus. *Quo* te *cunque* vertas; ſive *ſurſum* aſpicias, ſive deſpicias *deorſum*; nihil domi foríſve, nihil in cœlo aut in terra utilius occurret animo, oculis obverſabitur. *Ubi* non illa conducit? *Quò* fructus ejus non pertingunt? *Unde* vitæ commoditates omnes, omníſque ſalus humano generi? Non *aliunde*, niſi à pietate in DEUM. *Quantùm* prodeſt timere DEUM? *Quomodò* omnibus bonis cumulantur pii? *Quàm* affluenter, copioſè? *an non abunde*, quantum *ſatìs* ſit, adepti ſunt bonorum, qui pietatem colunt? Utiliſſima ſanè, & *nimìs quàm* neceſſaria ad omnia eſt pietas. *Quàm* eſt utilis, *tam* eſt neceſſaria. *Non minùs* fructuoſa, *quàm* neceſſaria. *Ita,* (*perinde, æquè*) commoda, *utì* (*atque*) neceſſaria. *Scilicet* quicquam utilius ſit. *Næ* (*profectò*) omnes commoditates in ſe complectitur. Et cetera ad eundem modum.

V. *Conjunctionum.*

Ut: Pietas *cùm* ſummè utilis, *tum maximè* neceſſaria eſt. *Quonam tempore, quóve loco* non illa aut ſalutaris, aut etiam maximè neceſſaria eſt? *Quamvis* pauci colant, eſt tamen ſaluberrima, utiliſſima. *Quamlibet, tametſi* rara inter homines: difficilis, *ſed enim* (*enim verò*) ad omnia utilis eſt, *imò* neceſſaria. Nemo certè quicquam caducorum hujus vitæ bonorum rectè queat conſequi, *nedum* æternorum absque pietate. Vix ſinè illa quisquam felix erit in terris, *quantò minùs* beatus in cœlis? *Nequidem* peritura hæc quisquam

quam ferè obtineat, *nedum* æterna illa, & semper duratura. *Tantum abest*, ut salvus esse possis, ut *ne quidem* exitium fugiturus sis. *Quam ob rem* sic statuamus, pietatem esse rerum omnium utilissimam.

VI. *Præpositionum.*

A pietate bona omnia proficiscuntur; *ex* eâ promanant; *in* eâ continentur; omnia *propter* eam, *per* eam ad homines deveniunt; eam *ponè* sequuntur; *ante* beatitudinem præcedat pietas oportet; *ponè* hanc venit omne bonum, & æterna salus.

VII. *Interjectionum.*

Proh! quàm utilis est pietas! *Væ* spernentibus illam. &c. *Hâc igitur variandi ratione nihil est neque ad copiam, neque ad elegantiam sermonis conducibilius.*

DE SYNTAXI VARIANTE SINGULARI.

Singularis est, quæ certis continetur regulis; & præcipuè cernitur in 1.) NOMINE, 2.) VERBO, & 3) CONJUNCTIONE.

VARIATIO NOMINIS FIT SEX POTISSIMUM MODIS.

I. Nomina, quæ inesse vel adesse quippiam alicui significant, regunt Genitivum & Ablativum, ùt: *Vir summæ humanitatis*; *vir summâ humanitate*; *vir summâ humanitate præditus.* Item, *Puer præclaræ indolis; puer præclarâ indole; puer præclarâ indole præditus.* Item, *Ennius ingenii maximi; Ennius ingenio maximo; Ennius ingenio maximo præditus.* Item. *Homo antiquæ virtutis & fidei; homo antiquâ virtute ac fide; homo antiquâ virtute ac fide præditus.* Frequentiores ex his sunt formulæ, in quibus Genitivus & Ablativus sinè voce *præditus* ponitur.

II. *Syntaxis Comparativorum quinque modis variatur:*

1) *Comparativi* adsciscunt Ablativos, ùt: *Virtus pretiosior est quovis auro.*

2) Loco Ablativi ponitur Nominativus cum particula *quàm*, vel *atque*, ùt: *Virtus est pretiosior, quàm aurum. Amicior mihi nullus vivit, atque is est.*

3) Mutatur Comparativus in Positivum adjectâ particulâ *magis*, & Ablativus in Nominativum, adjectâ particulâ *quàm*, ùt: *Magìs pretiosa est virtus, quàm aurum.*

4) Positivo adduntur particulæ *non tam*, *non perinde* &c. Ablativo *quàm*, vel *atque*, ùt: *Non tam pretiosum est aurum, quàm virtus. Non perinde pretiosum est aurum, quàm virtus.*

5) Adduntur verba, quæ vim obtinent Comparativorum, ùt: *Virtus præstat auro. Virtus præstantiâ suâ superat aurum. Virtus anteponenda est auro.*

III. *Superlativus* variatur novem modis.

1) Per Genitivum pluralem, ùt: *Mediocritas est rerum omnium utilissima.*

2) Adhibetur Præpositio *inter* vel *ex*, ùt: *Mediocritas est inter res omnes utilissima. Mediocritas est ex rebus omnibus utilissima.*

3) Superlativi mutantur in Comparativos, ùt: *Mediocritas omnibus rebus est utilior. Nihil mediocritate utilius. Nulla res mediocritate utilior.*

4) Superlativi mutantur in Positivos adjectis particulis: *Nihil æque* (*perinde*) *atque. Nihil magìs*, *quàm. Nihil tam*, *quàm* &c. ùt: *Nihil æquè utile* (*perinde utile*), *atque mediocritas. Nihil magìs* (*tam*) *utile*, *quàm mediocritas.*

5) Variantur Superlativi per verba æquipollentia, ùt: *Mediocritas utilitate superat* (*vincit*) *res omnes. Mediocritas utilitate nulli rei cedit.*

6) Efferuntur per Positivos adjectâ particulâ *tam est*, *ut*, v. g. *Mediocritas tam est res utilis*, *ut ei nulla res æquanda* (*æquari possit.*)

7) Adhibentur Formulæ istæ: *Tam*, *quàm qui*. Item, *Tam, quàm qui maximè*, ùt: *Mediocritas tam est res utilis, quàm quæ maximè. Mediocritas tam est res utilis*, *quàm quæ utilissima.*

8) Ad-

8) Adhibentur Formulæ: *ut si quisquam, ut si quis alius, quantum alius nemo*, ùt: *Mediocritas est res utilis, si qua alia res est utilis. Mediocritas utilis, ut si qua res alia.* Mediocritas utilis, quantùm alia res nulla.

9) Hyperbole usurpatur, ùt: *Est ipsum fel*, i. e. *amarissimum. Cæcitate cæcior.* &c.

IV. Dignus & indignus tribus modis variantur:

1) Recipiunt Ablativos, ùt: *Dignus est longissimâ vitâ. Indignus est tanto honore.*

2) Ablativus vertitur in Verbum Activum, ùt: *Dignus est, qui longissimè vivat.*

3) Ablativus vertitur in Verbum Passivum, ùt: *Dignus est, qui (ut) à te ametur.*

V. *Per sex Casus* instituitur hoc modo variatio:

1) Per Nominativum, ùt: *DEUS creavit mundum. DEUS est parens totius mundi. Sancta TRINITAS omnium rerum causa, fons, & origo est. DEUS est genitor & effector totius universitatis. DEUS est auctor cœli & terræ. Auctor ullius conditæ rei præter DEUM est nemo. Auctor & conditor hujus præclarissimæ fabricæ (structuræ) est solus DEUS. DEUS omnia (nihil non) condidit (creavit. Vis divina cuncta omnino effecit. Mundum generavit & condidit cœleste Numen.*

2) Per Genitivum, ùt: *DEI solius est opus hic pulcherrimus mundus. DEI solius fit, omnia ex nihilo creare, excitare. Cœlestis Numinis tota universitas præclarum artificium est.*

3) Per Dativum, ùt: *Soli DEO omnium rerum effectio adscribenda. Quid conditum est, quod DEO auctori non tribuatur? nihil.*

4) Per Accusativum, ùt: *DEUM totius universi auctorem, conservatorémque esse constat. Utinam DEUM auctorem effectorémque omnes creaturæ agnoscant!*

5) Per Vocativum, ùt: O *cœli terraéque conditor! ô DEUS creator & conditor totius universi.*

6) Per Ablativum, ut: *A DEO facta sunt omnia, & sinè eo factum est nihil. Unde mundus ortus est, nisi â DEO? Estne res ulla, quæ â DEO effecta non sit?*

Sic per Nom. *Assentatio Principum potentiam magis subvertit, quàm vis hostilis.* Gen. *Regum opes sæpiùs assentationis pestis, quàm hostium vis afflixit.* Dat. *Assentationi potiùs, quàm hostibus adscribenda regiarum opum diminutio.* Accus. *Assentationem plus sæpe detrimenti attulisse Regum opibus constat, quàm hostes.* Voc. *O pestis aularum assentatio, quæ plus damni sæpissimè Regum opibus attulisti, quàm hostium sævitia.* Abl. *Habent Reges, quod sibi ab adulatione, hoste domestico, plus metuant, quàm ab hoste externo.*

VI. Variatio quoque institui potest Adjectivum in Substantivum convertendo, & contra, ùt:

Elegans distinctio; elegantia distinctionis. Celsus, magnus animus; celsitudo, magnitudo animi. Fortis animus; fortitudo animi. Fidus amicus; fides amici, vel amicitiæ. Fidum amicum me cognosces; fidem amicitiæ meæ cognosces. Ferox victor; ferocia victoris. Beata vita; beatitudo vitæ. Acuta ratio; acumen rationis. Opulentissima gratia DEI; immensa gratiæ DEI opulentia. &c.

VARIATIO VERBI fit octo potissimùm modis:

I. Omnia Tempora omnium Modorum per Verbum fio, & similia possumus circumloqui, ut: *Ita charus eris omnibus. Sic devincies tibi hominum animos: ita fiet, ut tibi devincias. Sic subinde majores progressus in studiis faciebat: sic fiebat, ut majores* &c. *Hoc modo effúgit invidiam: hoc modo factum est, ut effugeret invidiam. His verbis adductus renunciaverat studiis: his verbis fuerat factum, ut renunciaret studiis.* Item, *Vale: fac, ut valeas; fac, valeas. Utinam ex animo me amares: utinam fieret, ut ex animo me amares. Si morem nobis gereret, meliùs omnino rebus suis consuleret: si fieret, ut morem nobis gereret* &c. *Si persuasissemus ipsi hæc, non in tantum periculum adductum fuisset: si factum fuisset, ut hæc ipsi persuaderemus* &c. *Si probaverit mihi suam industriam, magnâ me lætitiâ affecerit: si factum fuerit, ut suam mihi probet* &c. *Ego judicavi, ipsum tibi satisfacere posse: ego judicavi, fieri posse, ut*

is

is tibi ſatisfaciat. Audivi, ipſum tandem hisce rationibus permotum conſenſiſſe: audivi factum fuiſſe, ut is tandem hiſce rationibus permotus conſentiret. Spero, ipſum à periculo liberatum iri: Spero, fore, ut is à periculo liberetur. His porrò accenſeri poſſunt: *Perficio, fio, evenio, ſum, poſſum, do, reddo, volo, adducor, curo, committo, habeo, eo, cœpi, inſiſto.* &c. quæ omnia generali huic verborum variationi inſervire poſſunt, ſed brevitati ſtudentes eorum exempla conſultò omiſimus.

II. Activa & Paſſiva permutantur; ùt: *DEUS præmiis ornat hominum probitatem: probitas hominum à DEO præmiis ornatur. Iracundiam quì vincit, hoſtem vincit maximum: â quo iracundia vincitur, ab eo hoſtis ſuperatur maximus. Boni viri virtutem pluris faciunt, quàm divitias: à bonis viris virtus pluris fit, quam divitiæ. Quis calefaciet hypocauſtum? à quo calefiet hypocauſtum? Non imagines, ſed virtus clarum efficit hominem: non imaginibus, ſed virtute homo efficitur clarus.*

III. Verbum *Sum* duplicem habet variationem. 1) Si qualitas, vel forma deſcribenda ſit, Genitivum, aut Ablativum adſciſcit. 2) Cùm pro *habeo* accipitur, Dativum Perſonæ regit, ùt: *Eſt ejus ſententiæ; eſt eâ ſententiâ:* item: *Flores habent jucundum odorem; floribus eſt jucundus odor; flores jucundi odoris, jucundo odore.*

IV. Verbum Infinitum mutatur in finitum, ùt: *Ajunt, probos adoleſcentes depravari conſuetudine malorum; ajunt, quòd probi adoleſcentes depraventur conſuetudine malorum. Cupio, te fieri probum, & induſtrium; cupio, ut fias probus*, &c.

Et aliæ ſequentis generis formulæ hoc modo quadrifariàm variari poſſunt, ùt:

Tabellarium duas epiſtolas nobis afferre ajunt, perhibent, dicunt. &c.

Tabellarius duas epiſtolas nobis afferre dicitur, fertur, perhibetur.

Duas epiſtolas à tabellione nobis afferri ajunt, ferunt, dicunt, perhibent. &c.

Duæ epiſtolæ nobis à tabellione afferri dicuntur, feruntur, perhibentur. &c. Sic:

Venatorem duos apros herì cepiſſe ajunt. &c.

Venator duos herì apros cepiſſe dicitur. &c.

Duos apros herì à venatore captos esse ajunt, dicunt, ferunt &c.

Duo apri à venatore herì capti esse dicuntur, perhibentur. &c.

V. Primum Supinum quatuor modis variatur. 1) Mutatur in Gerundium, ùt: *Venit repetitum pecuniam: venit pecuniam repetendi causâ.* vel: *venit ad repetendum pecuniam.*

2) Mutatur in Participium Activum Futuri Temporis, ùt: *venit repetiturus pecuniam.*

3) Mutatur in Participium Passivum in *dus*, ùt: *Venit ad repetendam pecuniam. Venit repetendæ pecuniæ causâ.*

4) Mutatur in Verbum Conjunctivi Modi, ùt: *Venit, ut pecuniam repeteret.*

Sed hæc vide in Syntaxi ordinaria, item in membro III. de Elegantia.

VI. Duo Ablativi consequentiam notantes ita mutantur, ut alter in Nomen, alter in Verbum abeat, ùt: *Oppressâ libertate patriæ nihil est, quod speramus ampliùs: Cùm* vel *postquàm libertas patriæ oppressa est, nihil est, quod* &c. *Christus natus est imperante Augusto*, id est, *cùm Augustus imperaret.* Vide in Syntaxi Participiorum.

VII. Multa quoque Verba in Nomina Adjectiva, vel Participialia, & contra, possunt commutari, ùt: *Appetit, cupit laudem; est cupidus laudis. Fuge vitia; esto vitiorum fugax. Invidet alienæ felicitati; est invidus alienæ felicitatis. Malè sibi conscii timent mortem; sunt timidi mortis. Dubito, an hic homo nunciet vera; an sit nuncius veri. Solus DEus præscit futura; est præscius futurorum. Nullum metuo periculum; sum securus periculi. Hæc terra fert, producit frumentum, vinum; est ferax (fertilis) frumenti, vini. Nescit viam Francofurtum ducentem; est ignarus viæ Francofurtum ducentis. Non intelligit litteras Græcas; est rudis Græcarum litterarum. Bono consilio eget; (indiget) est boni consilii indigus. Meminit beneficiorum acceptorum; memor est beneficiorum* &c. *Lacus (fluvius) abundat piscibus; est plenus piscibus* &c. Item: *Aliorum esto judicium; judicent alii. Quæ tua est sententia? Quid tu sentis? non est mihi dubium; non dubito* &c.

(Hujus generis exempla ex aliis etiam regulis Syntacticis colligi possunt quàm plurima.)

VIII.

VIII. Infinitis ferè modis ſententia variari poteſt phraſibus Synonymicis, ùt: *Apud Majores noſtros minima divitiarum, virtutis ratio eſt maxima. Nullo loco apud Majores noſtros divitiæ fuerunt; virtus una vigebat maximè. Plurimùm ſemper apud Majores noſtros virtus valuit, minimùm divitiæ. Majores noſtri divitias præ virtute contemnebant; divitias infra virtutem ducebant. Majores noſtri opes poſt virtutem habebant; divitias virtute poſteriores judicabant* &c.

Variatio Conjunctionum maximè eſt illuſtris in Diſcretivis & Copulativis.

Diſcretivæ variantur tribus modis:

1) Ipſæ Conjunctiones permutantur, ùt: *Etſi eſt doctus, non tamen eſt probus. Vir eruditione quidem egregiâ, verùm moribus illaudatis. Eſt ille quidem eruditus, verùm parùm probus.*

2) Conjunctiones mutantur in Adverbia, ùt: *Vir eſt, ùt eruditione magnâ, ita probitate nullâ.*

3) Omittuntur particulæ diſcretivæ, ùt: *Vir eruditus, civis improbus. Vir eſt eruditus, ac civis improbus. Vir eſt eruditus, ceterùm civis malus. Vir eſt eruditus, contra civis malus.*

Variatio Conjunctionum copulativarum cernitur partim in affirmatis, partim in negatis Axiomatibus.

In affirmatis adhibentur quinque modi:

1) Permutantur ipſæ Conjunctiones copulativæ, ùt: *Vir & eruditus, & probus. Eſt vir cùm eruditus, tum probus.*

2) Omiſſâ priori Conjunctione, poſteriori additur vox *idem*, ùt: *Vir eſt doctus, & idem probus. Vir eſt doctus, idémque probus.*

3) Prior Conjunctio vertitur in voculas iſtas: *ſimul, pariter, æquè, perinde, ſimiliter, haud ſecus, haud diſſimiliter, ex æquo*, ùt: *Vir eſt doctus ſimul ac probus. Eſt vir doctus pariter & probus. Vir æquè doctus, atque probus. Vir eſt perinde doctus ac probus. Vir eſt ſimiliter doctus ac probus.*

bus. Vir eſt haud diſſimiliter doctus ac probus. Vir eſt haud ſecus doctus, ac probus. Vir eſt doctus juxta ac probus. Vir eſt ex æquo doctus ac probus.

4) Prior Conjunctio mutatur in voculas: *non tantùm, non modò, ùt, quemadmodùm, non minùs, tam* &c. Poſterior in particulas: *ſed etiam, verùm etiam, quàm* &c. ùt: *Vir eſt non tantùm eruditus, ſed etiam probus. Vir eſt, quemadmodùm doctus, ità & probus. Vir eſt tam doctus, quàm probus. Vir eſt non minùs doctus, quàm probus.*

5) Variè mutantur Subjectum & Prædicatum his ferè modis: *Vir eſt præter magnam eruditionem etiam probus. Vir eſt, de quo dubites, doctiórne ſit, an melior. Vir eſt, in quo cum litteris probitas morum ex æquo certat. Vir eſt, qui litteras æquavit cum probitate. Vir eſt, cujus eruditioni reſpondet morum probitas. Vir eſt, qui parem morum probitatem cum eruditione copulavit. Vir magnâ quidem eruditione, verùm probitate morum neutiquam inferior. Vir eſt pari eruditione & probitate. Vir eſt in litteris egregius, neque ſuî diſſimilis moribus.*

Variatio in Axiomatis copulatis negatis fit ferme eo modo:

Vir eſt neque doctus, neque probus. Vir eſt indoctus & improbus. Vir eſt cùm indoctus, cùm improbus. Vir eſt indoctus, & idem improbus. Vir eſt indoctus ſimul & improbus. Vir eſt indoctus pariter & improbus. Vir eſt æquè indoctus, atque improbus. Vir eſt perinde indoctus, ac improbus. Vir eſt ſimiliter indoctus ac improbus. Vir eſt haud diſſimiliter indoctus ac improbus. Vir eſt indoctus juxta ac improbus. Vir eſt ex æquo indoctus & improbus. Vir eſt non indoctus modò, verùm etiam improbus. Vir eſt, quemadmodùm indoctus, ità & improbus. Vir eſt præter inſignem inſcitiam etiam improbus. Vir, præterquàm quòd eſt indoctus, eſt etiam improbus. Vir eſt, de quo dubites, indoctiórne ſit, an improbior. Vir eſt, in quo cum inſcitia improbitas ex æquo certat. Vir eſt, qui improbitatem æquavit cum inſcitia. Vir eſt, cujus inſcitiæ reſpondet improbitas. Vir eſt, qui parem vitæ improbitatem cum inſcitia copulavit. Vir magnâ quidem inſcitiâ, verùm vitæ improbitate neutiquam inferior. Vir eſt pari inſcitiâ & improbitate. In hoc viro improbitas

bitas æquat inscitiam. In hoc viro improbitas cum inscitia facit paria. Vir pessimus est, & nihilo doctior. Vir, cui nihil omnino est bonarum litterarum, bonorum quoque morum tantundem &c.

DE

RATIONE CONSCRIBENDI EPISTOLAS.

Qui epistolam concinnè scripturus est, eum omnino oportet aliquâ formandæ Periodi ratione instructum esse; Periodis enim integra plerumque epistola constat; neque ea, quæ de ratione epistolas conscribendi afferentur, intelligi à Tironibus poterunt, nisi præcipuas simplicis saltem Periodi leges acceperint. Præviam itaque doctrinam de simplicioribus Periodis potissimum *linguâ vernaculâ* exercendis ponimus, uberiorem Poëticæ reservantes.

DOCTRINA PRAEVIA DE MODO FORMANDI PERIODOS.

§. I.

De Fundamento Periodi.

Fundamentum Periodi est Enunciatio simplex, * una ** vel plures ***.

* Durch Enunciationem simplicem versteht man Propositionem Logicam, welche insgemein aus drey Gedancken, oder

oder Wort bestehet, aus zwey Nominibus als Haupt-Theil, und einem Verbo; als: GOtt ist gut. Das erste wird genennt *Subjectum*, das zweyte *Copula*, das dritte *Prædicatum*.

1. Subjectum ist dasjenige, was ordentlich voranstehet/ und davon man redet, oder zu erst wer oder was fraget; als: GOtt.
2. Prædicatum ist dasjenige, welches hernach stehet, und dem ersten beygelegt wird; oder worüber die andere Frag gehet; als: Gut.
3. Copula ist ein Verbum, so die zwey Haupt-Theil zusammen hencket, daß ein vollkommener sensus daraus werde; als: GOtt ist gut. Die Sünd verdient die Höll.

Nota. Der Satz oder Proposition bleibt einfach, obschon die zwey Haupt-Wörter ihre Adjectiva, andere Casus und Partes Orationis bey sich haben; also ist Propositio simplex: Der bittere Todt ist die Frucht der Sünd.

** Ein Exempel von einem Periodo, der aus einem Satz bestehet, ist folgender pro Archia Poëta.**

Quoad longissimè potest mens mea respicere spatium præteriti temporis, & pueritiæ memoriam recordari ultimam, inde usque repetens; hunc video mihi principem & ad suscipiendam & ad ingrediendam rationem horum studiorum extitisse.

Der Haupt-Satz nemlich ist dieser: *Archias* war Ciceronis erster Lehrmeister in freyen Künsten

*** Ein Exempel von einem Periodo, in welchem mehrere Sätz zusammen kommen, mag folgender seyn, da Cicero sagt:

Duæ sunt artes, quæ possunt locare homines in amplissimo gradu dignitatis: una Imperatoris, altera Oratoris boni: ab hoc enim pacis ornamenta retinentur: ab illo belli pericula repelluntur.

Hierinn liegen 4. Sätz. 1. Die Kriegs-Kunst bringt zu Ehren. 2. Die Kriegs-Kunst wendet ab die Gefahren des Kriegs. 3. Die Red-Kunst bringt zu Ehren. 4. Die Red-Kunst erhaltet den Frieden.

§. II.

§. II.

Quid ſit Periodus?

Periodus eſt *Oratio in quodam quaſi orbe incluſa procurrens, quoad perſiſtat in ſingulis perfectis, abſolutiſque ſententiis. Cic. de Orat. 3.* Sive: eſt Oratio habens ambitum * perfectum ſenſum ** & punctum in fine. ***

* Wann dieſer Ambitus oder Erweiterung abgehet, iſt es kein Periodus, ſondern ſimplex Propoſitio. Alſo wann ich aus dieſem Periodo Ciceronis:

M. Fabio, *viro optimo & homine doctiſſimo*, familiariſſimè utor.

Die Erweiterung, viro optimo & homine doctiſſimo, hinweg thue, bleibt Propoſitio ſimplex über: M. *Fabius* iſt mein guter Freund.

** In dem mündlichen Vortrag laſſen ſich die Periodi gleichfalls gar leicht von einander ſcheiden: indem man nur Achtung geben darff, wo der Verſtand der Red jedesmahl ein End hat.

*** Punctum wird geſetzt, wo conſtructio Grammatica völlig geendet wird; duo puncta aber, wann der erſte Theil des Periodi, den man Protăſin nennt, ſchließt, und der andere, ſo man Apodŏſin nennt, noch erwartet wird, als:

Quanquam mihi ſemper frequens conſpectus veſter multò jucundiſſimus; hic autem locus ad agendum ampliſſimus, ad dicendum ornatiſſimus eſt viſus Quirites (:) tamen hoc aditu laudis, qui ſemper optimo cuique maximè patuit, non mea me voluntas, ſed meæ vitæ rationes ab ineunte ætate ſuſceptæ prohibuerunt (.) *Cic.* pro *Lege Man.*

§. III.

§. III.

Quotuplex sit Periodus?

Periodus vel simplex * est, vel composita ** Hæc diversis nominibus jam à numero partium, sive membrorum *** jam à particulis **** appellari solet.

* Periodus simplex ist, darinn nur ein Satz stehet, welcher etwa durch epitheta, synonyma, und connexionis formulas, durch Beschreibung oder erklärende Umständ erweitert wird; als:

Illi ipsi Philosophi etiam in libellis, quos de contemnenda gloria scripserunt, nomen suum inscribunt. *Cic.* pro *Ar.*

** Periodus composita ist, darinn mehr als ein Satz stehet; als:

Mihi quidem *ita* jucunda hujus libri confectio fuit, ut *non modò* omnes absterserit senectutis molestias, *sed & effecerit* mollem & jucundam senectutem. *Cic. de Senect. I.*

*** Hat der Periodus composita zwey Haupt-Theil; so heist er bimembris, δίκωλος; als:

Si propter socios, nulli ipsi injuriâ lacessiti, Majores vestri cum Antiocho, cum Philippo, cum Aetolis, cum Pœnis bella gesserunt: quanto vos studio convenit, injuriis provocatos, sociorum salutem unà cum imperii vestri dignitate defendere? *Cic.* pro *Lege Man.*

Periodus τρίκωλος, trimembris, hat drey Haupt-Theil; als:

Non oblivione amicitiæ nostræ, neque intermissione consuetudinis meæ superioribus temporibus ad te nullas litteras misi: sed quòd priora tempora in ruinis reipublicæ, nostrísque jacuerunt; posteriora autem me à scribendo tuis injustissimis atque acerbissimis incommodis retardârunt. *Cic.* Lib. V. Ep. 17.

Periodus

Periodus τετράκωλος, quadrimembris hat vier Haupt-Theil; als:

Etsi, Quirites, non est meæ consuetudinis initio dicendi rationem reddere, quâ de causa quemque defendam; propterea quòd omnibus civibus in eorum periculis satìs justam mihi causam necessitudinis esse duxi: tamen in hac defensione capitis, famæ, fortunarum omnium Caji Rabirii proponenda ratio videtur officii mei; propterea quòd, quæ justissima causa ad hunc defendendum esse visa est, eadem vobis ad absolvendum debet videri. *Cic. pro Rabirio n.* 1.

**** Nach gewissen Particulis, welche den Periodum anfangen, und die Sätz miteinander verbinden, werden die Periodi genennet Concessivæ, Adversativæ, Exclusivæ, Conditionales, Causales, Comparativæ, Copulativæ, &c. jedoch wird die Benennung eines Periodi v.g. Conditionalis hauptsächlich von den Sachen genommen. Die Particulæ machen demnach keinen Periodum; doch geben sie denen Anfängern eine Anleitung auf die Sachen zu gedencken: um deswillen man dieselbige hier beysetzet.

Particulæ Relativæ.

Qui - { is. / ejusmodi.	Hujusmodi - qui.	Ille - hic.
Meus - vester.	Noster - vester.	Sic *vel* ita - ut.
Idcirco - ut *vel* quòd.	Idcirco - non quia - sed quoniam.	Quia - / Quoniam - } idcirco.
Quamdiu - tamdiu.	Tamdiu - quamdiu.	Quò - eò *vel* hòc.
Is *vel* hic - ut.	Quoties - toties.	Nihil aliud - nisi.
Quantò - tantò *vel* eò.	Quantum - tantum.	Antea - nunc.
Talis - qui.	Qualis - talis.	Partim - partim.
Partim - alia - quædam.	Tantus - quantus.	Prius - quàm.
Quoad - inde.	Tot - quot.	Tantus - ut *vel* uti.
Tantum abest, ut - ut.	Alius - alius - alius.	Tam - quàm.
Alii - alii - rari - plerique.	Non tam propter - quàm propter.	Non tam quia - quàm quia.
	Non tam quòd - quàm quòd.	

M Formulæ

Formulæ Enumerandi.

Primùm / Primùm omnium - dein *vel* inde - postremò.	Primùm - deinde *vel* mox *vel* postea - demum.
Inprimis - tum - postea - denique.	Primò quidem - tum verò - ac denique.
Primum - secundum - tertium - postremum.	Imprimis - deinceps - iterum - tum etiam.

Erſtlich - zum andern oder zweytens - zum dritten oder drittens - letztlich.

Exempla quinque aut sex Enumerationum.

Primùm - deinde - mox - tum - postremo, *sive* ad extremum.
Primùm - deinde - tum - tum - tum - tum.
Primùm - deinde - deinde - deinde - deinde - postea - tandem - postremò.
Primùm - postea - deinde - nec minùs - tum - post - inde - postea.

Particulæ Conditionales.

Si - tamen *vel* taménne *vel* etiámne.	Si quando - nunc.	Si - quantò.
Si - certè *vel* profectò.	Si - quid?	Si quisquam - profectò.
Si unquam - tum profectò *vel* hoc tempore.	Si qui - is - tum certè.	Si - quàm.
Si - idcirco nunc tandem.	Si - num propterea?	Si - en.
Si - tamen non - cùm verò - necesse est.	Si - sin *vel* sed si.	Hoc esset - nisi *vel* nisi si.
Si - sin autem *vel* sin minùs *vel* sin aliter.	Si hoc non esset - tamen.	Si - tum - sin aliter - tum.
Si - sin cur: sin verò.	Si nihil aliud - hoc saltem.	Si ut - sic - tum demum.

Parti-

Particulæ Cauſales.

Quia *vel* quoniam-ideo.	Idcirco *vel* propter-ea quia *vel* quòd.	Non ideo - ſed ut.
Ideo - non quòd - ſed quòd.	Quod cùm ſit - ideo-ut.	Hoc eſt - & quia - & quia.
Una - altera - tertia-quarta cauſa.	Cùm tamen certè *vel*, neceſſe eſt.	Cùm - quis dubitat, quin.

Particulæ Comparativæ,

Quibus Similia præcipuè, & Exempla, nec non Teſtimonia connectuntur.

Ut - ſic *vel* ita.	Quemadmodùm - ſic.	Non aliter *vel* non ſecus - quàm.
Ut non - ſic non.	Ut nec - ſic nec.	Nonne ùt - ſic.
Tanquam - ut.	Perinde - acſi.	Eo modo - quo.

Particulæ Conceſſivæ.

Illud eſt magnum - tamen neſcio, an.	Dabimus hoc eſſe - haud tamen ſcio, an.
Quanquam hoc eſt - tamen.	Ut ut - tamen.
Quanquam non modò - ſed etiam - tamen.	Quanquam - tamen non hoc - ſed illud.
Quanquam hoc eſt - tamen illud magìs - quia.	Etſi hoc maximum - tamen id magìs quàm.
Quamvis - tamen - quoniam *vel* quòd.	Quodſi hoc non eſſet - ſed illud - tamen.
Etſi ſic - ut non magìs - tamen.	Etſi hoc ſit - tamen niſi illud ſit - non fiet.

Quanquam hoc eſt - illud tamen non eſt - niſi.

Particulæ Adverſativæ.

Hoc eſt - ſed illud non eſt.	Et hoc non eſt - ſed illud eſt.	Si - quidem - tamen.
Hoc quidem - ſed tamen.	Hoc quidem - nihilominus tamen.	Hoc quidem - at verò.
Quidem - autem *vel* verùm - ſi.	Quidem - ſed & *vel* etiam.	Illud ſemper - hoc nunquam.
Illud jam pridem - hoc nunquam.	Hoc fit - non ut - ſed ut.	

Particulæ Explanativæ.

Aut - aut. *ſæp. repet.*	Aut - aut etiam *vel* certè.	Non modò - ſed etiam.
Non tantùm - verùm etiam.	Non modò - ſed quoque.	Non modò - ſed penè.
Non modò - ſed potiùs.	Non modò - verùm multò magìs.	Non tantùm - ſed omnino non.
Non modò - ſed contra.	Non modò nihil - è contrario.	Præcipuè, præſertim, inprimis.
Præſertim ſi *vel* præſertim cùm.	Prorſus - quaſi.	Ne - quidem - ne.
Nec - neque. *ſæp. repet.*	Sive - ſive. *ſæp. repet.*	

Particulæ Copulativæ & Conſecutivæ.

Et - &. *ſæp. repet.*	Simul - ſimul.	Simul - & - &.
Simul ac *vel* atque - illico.	Simul ùt - continuò.	Ut primùm - confeſtim.
Cùm - tum . . . Tum - cùm.	Cùm - protinus *vel* ſtatim.	Cùm - tum demum.
Item - quàm, non item.	Poſt - quàm cùm.	Item, ibidem, itemque, ut, uti, &c.
Poſtquàm - illico, repentè &c.	Poſtquàm - tum verò *vel* tum tandem *vel* tunc denique.	

§. IV.

Quomodo formetur Periodus?

Propoſitio ſimplex, ut habeat ambitum, amplificatur, 1. Synonymis verbis ac phraſibus; 2. Epithetis; 3. Periphraſibus; 4. Formulis connectendi; 5. Circumſtantiis; 6. Rationibus; 7. Illuſtrationibus variis.

1. Synonyma müſſen nicht völlig einerley bedeuten, ſondern eins muß doch immer nachdrücklicher ſeyn, als das andere. E. g. *Cic.* pro *Lege Man.*

Ut

Ut ejus ſemper voluntatibus non modò cives *adſenſerint*, ſocii *obtemperârint*, hoſtes *obediêrint*; ſed etiam venti, tempeſtatésque *obſecundârint*.

Wann gleich bedeutende Redens-Arten zuſammen geſetzt werden, heiſt es Exergaſia. E. g. *Cic.* pro *Flacco.*

Remittant ſpiritus, comprimant animos, ſedent arrogantiam.

2. Epitheta ſeynd Adjectiva und Adverbia, welche zu den Subſtantivis und Verbis geſetzt werden. Es müſſen aber dieſelbe wohl ausgeſucht ſeyn, und ſich zur vorhabenden Materie genau ſchicken; E. g.

Quid eſt tam jucundum cognitu atque auditu, quàm *ſapientibus* ſententiis, *gravibúsque* verbis *ornata* oratio *&* *perpolita?* *Cic.*

3. Periphraſis oder Circuitus iſt, wann man eine Sach lebhaffter vorzuſtellen, mehrere Wort gebraucht, als es ſonſt nöthig wäre. E. g. Cicero beſchreibt die Beredſamkeit per Periphraſin alſo:

Vis illa, quæ potuit homines aut diſperſos in unum locum congregare; aut à fera agreſtíque vita ad hunc humanum cultum civilémque deducere; aut jam conſtitutis civitatibus leges, judicia, jura deſcribere.

4. Formulæ connectendi ſeynd gewiſſe Redens-Arten, welche insgemein im Anfang eines Periodi gebraucht werden, wann man nicht alſobald mit dem Satz ſelbſten anfangen will. E. g. im Teutſchen: Niemand wird laugnen/ ꝛc. Es wird nicht leicht jemand in Abred ſeyn/ daß ꝛc. Wer nur ein wenig Verſtand hat/ wird eingeſtehen müſſen/ daß ꝛc. Ich halte mich gäntzlich verſichert ꝛc. Es wird mir dieſes ein jeder leicht einraumen/ ꝛc. Wer nicht gar einer guten Vernunfft beraubt iſt/ wird erkennen/ daß ꝛc. Man müſte allen Verſtand verlohren haben/ und ſeiner Sinnen beraubt ſeyn/ wann man glauben wolte ꝛc. Ich will nicht hoffen/ daß jemand laugnen werde/ daß ꝛc. Wofern ich von dieſer Sach meine Meinung ſagen ſoll: ſo ꝛc.

Im Lateinischen: Si verum fateri volumus &c. Quæ cùm ita sint; quo factum est; nemo inficias ibit; nemo in dubium vocabit; certum atque exploratum est &c. Vide *Jac. Hugues artificium Transitionum.*

5. Erklärende Umständ seynd Zeit, Ort, Art, Mittel, Gelegenheit, Absicht, Erfolg, etc. nach dem bekannten Vers:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Jedoch muß man nicht alle diese Stück in einen Periodum zwingen, noch sich an die Ordnung des Vers binden. E. g.

Illi igitur duodecim, quorum erat Dux Pelopidas (*quis*) cùm Athenis (*ubi*) interdiu (*quando*) exîssent, ut vesperascente cœlo Thebas possent pervenire (*cur*) cum canibus venaticis (*quibus auxiliis*) exierunt, (*quid*) retia ferentes, vestitu agresti, (*quomodo*) quò minore suspicione facerent iter (*cur*). *Nepos XVI. 2. n. 5.*

6. Ein Beweis ist eine Red, darinn man durch die Anführung eines Grunds behauptet, daß ein Satz vielmehr wahr, als falsch seye: Die Erfindung dieser Beweis wird nach Vorschrifft der Alten aus den Locis Rhetoricis genommen. Doch kan auch die Jugend in leichten Sachen manche Beweis aus ihrem Kopff erfinden. Es darff sich nur einer selbst fragen, warum dieser oder jener Satz wahr seye.

7. Unter den Erleuterungen werden sonderlich Exempla, Similia, Testimonia, & Contraria begriffen. Man kan dergleichen in allen Auctoribus mercken. E. g.

Ut nulla materies tam facilis ad exardescendum est, quæ nisi admoto igne, ignem concipere possit; sic nulla mens est tam ad comprehendendam vim Oratoris parata, quæ possit accendi, nisi inflammatus ipse ad eam & ardens accesseris. *Cic.* de *Orator.* Libr. II. C. 45.

Corpora quidem exercitatione & defatigatione ingravescunt: animi autem se exercendo levantur. *Idem de Senect.*

§. V.

§. V.
De Exercitiis Periodicis.

Tirones ad rationem formandi Periodos exerceri tribus potissimùm modis possunt. I. *Analysi*, in Germanicis primùm brevibúsque periodis instituendâ. II. *Compositione*. III. *Variatione*. Ad peritiores pertinent *Dilatatio*, quæ ex una periodo plures minores efficit. *Contractio*, quæ è pluribus minoribus unam aliquam ampliorem struit. *Imitatio* insigniores Auctorum Periodos in dissimili argumento exprimit.

I. ANALYSIS, oder Zergliederung eines Periodi ist nichts anders, als wann man anzeigt, was für eine Haupt-Proposition derselbe zum Grund habe, und mit was für Zusätzen dieselbe erläutert, und erweitert seye: Also steckt in diesem Periodo:

Ich hoffe, es werde mir dieses ein jeder leicht eingestehen, daß, wie in anderen Sachen die Ubung der beste Lehr-Meister, auch zu Erlangung einer besonderen Geschicklichkeit in der Beredsamkeit kein besser Mittel seye, als wann man durch eine fleissige und vielfältige Ubung diese edle Kunst zu erlernen suche.

a) Die Propositio Logica: Durch die Ubung wird man beredsam.

b) Folgende Zusätz:

1. Die Connexions-Formul: ich hoffe, es werde mir dieses ein jeder leicht eingestehen, daß 2c.

2. Eine Erläuterung mit einem Sententz: Die Ubung ist der beste Lehr-Meister.

3. Epitheta: besondere Geschicklichkeit, beste Lehrmeister, fleissige/ und vielfältige Ubung.

4. Periphrases: durch fleissige Ubung zu erlernen suchen, anstatt: üben. Erlangung einer besonderen Geschicklichkeit

lichkeit in der Beredsamkeit; anstatt: beredt zu werden; diese edle Kunst, anstatt: dieselbe.

II. COMPOSITIO. Man macht aus einer angegebenen Proposition einen Periodum, wann man dieselbe mit allerhand Zusätz, welche §. IV. angeführt worden, erweitert.

III. VARIATIO ist dreyerley. 1. *Grammatica*, wann man eine Proposition oder Periodum nach den Partibus Orationis, nach den Casibus, Modis, Temporibus, Personis, &c. verändert. Vide Syntaxin figuratam. 2. *Rhetorica*, wann ein Proposition nach den Tropis und Figuris verändert ausgedruckt wird. 3. *Logica*, wann man dieselbe durch die Locos Rhetoricos führt, und verändert. Beyde letztere gehören ad Poëticam und Rhetoricam.

DE RATIONE CONSCRIBENDI EPISTOLAS.

§. I.

Quid sit Epistola?

Epistola * *est colloquium inter absentes: est nuntia earum rerum, quarum absentes certiores facere vel nostra, vel ipsorum interest. Cic. 4. ad famil. L. 2.*

* Græcè ἐπιστολὴ ἀπὸ τοῦ ἐπι-στέλλειν, quod Latinis *mittere* significat; mittimus enim scripto, & communicamus animi nostri sensa cum absentibus, utì sermone cum præsentibus exponeremus. Harum verò Epistolarum in vita communi, negotiisque publicis tanta hodie est necessitas; ut nullus ferè hominum iisdem carere commodè queat. Unde probrosum litterarum Candidato in ea scientiarum luce foret, si confecto studiorum curriculo probabilem exarare Epistolam ignoraret.

§. II.

Quot ſint Epiſtolarum Genera?

*Ad duas præcipuè Claſſes revocari Epiſtolæ poſſunt, quarum altera FAMILIARES * altera ELABORATIORES ** complectitur.*

* *Familiares*, quæ de rebus vulgaribus, & ferè domeſticis ad amicos ſcribuntur. Aliquæ in *uno* ſubſiſtunt *argumento*, quædam in *pluribus* occupantur. Solent enim familiares, ſi quando colloquuntur, de uno aliquo, aut variis inter ſe confabulari, quæ colloquia cùm imitentur Epiſtolæ, mirum non eſt, ſi & illæ de variis ejusmodi, & communibus rebus agant.

** *Elaboratiores*, ſive *graviores*, aut *ſelectiores*, quæ vel ad Patronos, vel eruditos, non familiares nobis, aut illuſtrioris dignitatis homines exarantur. Et hæ *uno* plerumque *argumento* exponuntur: interdum tamen in *pluribus* verſantur. Huc maximè pertinent Epiſtolæ *gratulatoriæ*, *gratiarum actoriæ*, *petitoriæ*, *commendatitiæ &c.* Per has enim totas regnat una eademque Propoſitio primaria, quæ adhibitis argumentis diligentiùs elaborari ſolet.

Hìc loci non moramur prolixas illas Eruditorum Epiſtolas, quæ de rebus *Philoſophicis*, *Mathematicis*, *Philologicis*, & *Criticis*, item de rebus *Theologicis*, *Polemicis*, *Juridicis*, *Medicis*, *Hiſtoricis*que conſcribuntur. Nempe omnes iſtæ non tam Epiſtolæ, quàm diſſertationes nuncupandæ ſunt.

§. III.

Quomodo Familiares elaborandæ ſint?

I.

Familiares unius argumenti tractantur ordinariè per ANTECEDENS, CONNEXIONEM, & CONSEQUENS. Antecedens præcipuam Propoſitionis cauſam conti-

continet: Connexio alias minoris momenti rationes aut Illuſtrationes vel Antecedenti vel Conſequenti adjungit; Conſequens denique ipſum ſcribendi argumentum exponit. Alluditur, ubi vacat, ad *Hiſtorias*, *Similia*, *Teſtimonia*, *Parœmias*; in his tamen Epiſtolographi liberè * agunt; neque pluribus, & copioſis verbis utuntur, ſed rem indicant magìs, quàm explicant. **

* Vide, quæ dicta ſunt in Secundanorum Opere. Sæpe accidit, ut mutato ordine primo loco *Conſequens*, tum *Antecedens*, & *Connexiones* ponantur; ſæpe, ut pars aliqua deſideretur, quin Epiſtola peccet. Veteres ſuâ hìc libertate uſi ſunt: proponebant argumentum, ſuiſque id rationibus confirmabant: in reliquis nulla illis lex ſcripta erat.

** Ita ſcribit *Cicero* l. 13. *Epiſt.* 11. *ad Famil.* quâ Bruto commendat Legatos Arpinates, ut eorum vectigalia in Gallia tueatur.

I. Formula exordiendi, ſive occaſio commendationis. *Ego ſum Arpinas, & meis municipibus faveo.*

II. Antecedens: *Legati illorum miſſi ſunt ad viſenda vectigalia, quæ in Gallia habent.*

III. Conſequens aut Propoſitio: *Commendo tibi eos majorem in modum.*

IV. Connexio, ſive Rationes Conſequentis.

1. *Bonos viros adjunxeris ad tuam neceſſitudinem.*
2. *Municipium tibi devinxeris.*
3. *Pergratum mihi feceris,*
4. *Filióque meo, & fratris filio, qui Aediles ſunt.*

V. Formula finiendi. *Quod ut facias, te vehementer rogo.*

Vide nunc Elocutionem Epiſtolæ.

M. T. Cicero Bruto S. P. D.

I. *Quia ſemper animadverti, ſtudiosè te operam dare, ut ne quid meorum tibi eſſet ignotum; propterea non dubito, quin ſcias, non ſolùm cujus municipii ſim, ſed etiam quàm diligenter ſoleam meos municipes Arpinates tueri.*

II. *Quo-*

II. *Quorum quidem omnia commoda, omnésque facultates, quibus & ſacra conficere, & ſarta tecta ædium ſacrarum, locorúmque communium tueri poſſint, conſiſtunt in his vectigalibus, quæ habent in Provincia Gallicâ. Ad ea viſenda, pecuniásque, quæ à colonis debentur, exigendas, totámque rem & cognoſcendam, & adminiſtrandam, legatos equites Romanos miſimus Q. Fufidium Q. F. M. Faucium M. F. Q. Macercum Q. F.*

III. *Peto a te majorem in modum, pro noſtra neceſſitudine, ut tibi ea res curæ ſit, operámque des, ut per te quàm commodiſſimè negotium municipii adminiſtretur, quamprimúmque conficiatur: ipſósque, quorum nomina ſcripſi, ut quàm honorificentiſſimè pro tua natura, & quàm liberaliſſimè tractes.*

IV. *Bonos viros ad tuam neceſſitudinem adjunxeris: municipiúmque gratiſſimum beneficio tuo devinxeris: mihi verò etiam eò gratius feceris, quòd cùm ſemper tueri municipes meos conſuevi, tum hic annus præcipuè ad meam curam, officiúmque pertinet. Nam conſtituendi municipii cauſâ, hoc anno Aedilem filium meum fieri volui, & fratris filium, & M. Cæſium, hominem mihi maximè neceſſarium (is enim magiſtratus in noſtro municipio, nec alius ullus creari ſolet) quos cohoneſtâris, in primiſque me, ſi reſpublica municipii, tuo ſtudio & diligentiâ benè adminiſtrata erit.*

V. *Quod ut facias, te vehementer etiam atque etiam rogo.*

In Epiſtola ſequente ad eundem Brutum ſcripta brevior eſt, atque à re ipſa exorditur, Q. Fufidium diligenter commendans:

I. Conſequens ſive Propoſitio. *Commendo tibi Fufidium.*

II. Antecedens & Connexio:

1. *Eſt meus neceſſarius.*
2. *Privignus Cæſii mei familiaris.*
3. *Fuit mecum Tribunus militum optimus.*
4. *Ab noſtris ſtudiis non eſt abhorrens.*

III. Formula finiendi cum aliquot illuſtrationibus: *quare denuo commendo eum.*

M. T. CICERO BRUTO. S. P. D.

I. *Aliâ Epiſtolâ communiter commendavi tibi Legatos Arpinatium, ùt potui diligentiſſimè: hâc ſeparatim Q. Fufidium,*

II. *quocum mihi omnes necessitudines sunt, diligentiùs commendo; non ut aliquid de illâ commendatione comminuam, sed ut hanc addam. Nam & Privignus est M. Cæsii, mei maximè & familiaris, & necessarii; & fuit in Cilicia mecum tribunus militum: quo in munere ita se tractavit, ut accepisse ab eo beneficium viderer, non dedisse. Est præterea (quod apud te valet plurimùm) à nostris studiis non abhorrens.*

III. *Quare velim eum quàm liberalissimè complectare: operámque des, ut in ea legatione, quam suscepit contra suum commodum, secutus auctoritatem meam, quàm maximè ejus excellat industria. Vult enim, id quod optimo cuique à natura tributum est, quàm maximam laudem, cùm à nobis, qui eum impulimus, tum à municipio consequi: quod ei continget, si hâc meâ commendatione tuum erga se studium fuerit consecutus. Vale.*

II.

Familiares varii argumenti diversas propositiones complectuntur. Itaque 1.) propositiones, de quibus scribere velis, justo ordine ponantur ob oculos. * 2) Dispiciatur, habeántne inter se aliquid commune; an planè dissimilis sint naturæ. ** 3) Considerentur singulæ propositiones, an probari illustraríve debeant. *** Inde si accesserit elaboratio, facilè nascetur Epistola familiaris elegantissima.

* Sunto hæ nobis propositiones:

I. *Breviter scribam tuo exemplo.*
II. *Fiduciam nobis magnam injicis.*
III. *Bono ergo animo ero.*
IV. *Litterarum mearum causâ non exspectabis in Italia.*
V. *Habebis pecuniam.*
VI. *Servius tibi amicus est.*
VII. *Nos non deerimus.*

(*In Responsoriis nihil commodius, & certius, quàm sequi ordinem ejus Epistolæ, cui respondemus, huic vel intexi vel subjici possunt alia.*

** Solet

** Solet in familiaribus epiſtolis non magna connexionis ratio haberi inter eruditos; amant potiùs capita ſcribendi eo, quo in mentem veniunt, ordine, abrupto ſæpiùs ſtilo conſignare: ut adeò illæ, in quibus accuratior junctura excogitatur, ad *Elaboratiores* referri poſſint. Cicero Ep. 24. L. 11. ad Famil. Propoſitiones, quas paulò ante recenſuimus, ſine connexione ita extulit:

Cicero D. Bruto S. P. D.

I. *Narro tibi, antea ſubirascebar brevitati tuarum litterarum: nunc mihi loquax eſſe videor. Te igitur imitabor.*

II. *Quàm multa quàm paucis? Te rectè valere, operámque dare, ut quotidie melius: Lepidum commodè ſentire: tribus exercitibus quidvis nos oportere confidere.*

III. *Si timidus eſſem, tamen iſtâ Epiſtolâ mihi omnem metum abſterſiſſes. Sed, ùt mones, frenum momordi. Etenim, qui, te incluſo, omnem ſpem habuerim in te, quid nunc putas? cupio jam vigiliam meam, Brute, tibi tradere; ſed ita, ut ne deſim conſtantiæ meæ.*

IV. *Quod ſcribis in Italia te moraturum, dum tibi litteræ meæ veniant; ſi per hoſtem licet, non errâris: multa enim Romæ. Sin adventu tuo bellum confici poteſt, nihil ſit antiquius.*

V. *Pecunia, expeditiſſima quæ erat, tibi decreta eſt.*

VI. *Habes amantiſſimum ſervium.*

VII. *Nos non deſumus. Vale, VIII. Idus Junias.*

*** Accedunt nonnunquam novæ rationes, ceu ex Epiſtola antecedente apparet, in qua *Cicero* propoſitionem III. ratione quadam confirmat. Accedunt etiam Illuſtrationes veluti exempla, ſimilia, teſtimonia. Exemplo erit *Cicero* Ep. ad Fam. 12. L. V. Nos aliam quandam exhibemus, cujus propoſitiones ſint:

I. *Diu admodùm ſiluiſti.*
II. *Ego jam ruſticor.*
III. *Scribe ad me frequentiùs.*

Obſervatis ſupra explicatis præceptis ejuſmodi effingi poteſt Epiſtola:

I. *Tam*

I. *Tam diuturno me silentio adhuc mulctâsti, ut nisi te ex P. disciplina scirem prodiisse, in Pythagoreorum castra transiisse te existimarem. Quis, malum, morbus te hominem, olim loquacissimum invasit, ut confestim magis mutus videaris, quàm piscis? Ego verò præclarè, mihi crede, ulciscar illam pertinaciam tuam, litterisque meis tantò magis te obtundam quotidie, donec odiosissimum istud silentium tuum tibi extorqueam.*

II. *Sed, heus tu, inquies, tantúmne tibi otii est, ut bonas horas scribendis epistolis consumas? Est verò, & quidem plurimum. Relicto enim urbano strepitu nuper in suburbanum illum, quem nôsti, secessum, tanquam in portum me vindicavi. Hìc modo rusticor, & temporis nonnihil valetudini, nonnihil remissioni animi tribuo. Interdum ne nihil potiùs agere, quàm otiosus esse videar, aliquid parturit ingenium, sed, ùt ille ait, plenum ruris & inficetiarum.*

III. *Ne ergo me urbanæ elegantiæ planè capiat oblivio: fac, quæso, ut à te litteras & frequentissimas, & quales tu mittere soles, Româ ipsâ urbaniores accipiam. Vale.*

§. IV.

Quid in Elaboratioribus observandum?

I.

Sunt litteræ, quæ de pluribus argumentis exarantur, & ob elegantioris connexionis curam locum inter ELABORATIORES habere possunt. Hæc quidem ita hìc sunt constituendæ, ut inter propositiones istas nexus aliquis indagetur, quo vel ad unum aliquod genus referantur * *vel â similitudine & dissimilitudine propositionum junctura derivetur.* **

* Sic, quando ad celebrem quendam virum res diversas perscriberes, si v. g. *dolorem tuum de filii ejus obitu significares, si de novo honoris augmento gratularere; si tua quædam schediasmata cum illo communicares; si tuum illi fratrem commendares* &c. omnia ad unum fontem, nempe ad *reverentiam*

tiam, referri possent. Idem judicium de aliis hujusmodi esto.

**Connexiones vel *verbales* sunt, vel *reales*: illæ per particulas & formulas fiunt; hæ à propositionum similitudine & dissimilitudine petuntur. Videndum itaque, an inter plures varii argumenti propositiones vel à similitudine, vel à contrario, vel à relatione causarum & effectuum aliquis possit nexus inveniri. Ita superior Ciceronis ad Brutum Epistola per commutatam dicendi rationem in hunc ferè sensum efferri posset.

I. *Narro tibi: antea subirascebar brevitati tuarum litterarum: nunc mihi loquax esse videor. Te igitur*

II. *non litteris tantùm, verùm etiam virtute, animique magnitudine imitabor: brevissima enim Epistola tua me de tot rebus novis, id est, de valetudine, voluntatéque tua, & Lepidi, triúmque exercituum virtute reddidisti certiorem; tantámque spem injecisti animo, ut*

III. *nisi tuo exemplo, optimâ spe, fiduciâque essem, omnium mortalium sim meticulosissimus. Omnem itaque metum, si quis fuisset, istâ Epistolâ tuâ abstersisses: sed, ut vera fatear, jam frenum momordi. Etenim, qui, te incluso, omnem spem habuerim in te: quid nunc putas? Cupio jam vigiliam meam, Brute, tibi tradere, sed ita, ut non desim constantiæ meæ. Cùm verò spes nihil ægriùs, quàm moram, ferat:*

IV. *nolim profectò, te, litterarum mearum causâ, in Italia morari. Equidem, si per hostem licuerit, non erràris: multa enim Romæ: sin adventu tuo confici bellum potest; cave rei gerendæ occasionem, morâ istâ tuâ, dimittas. Sanè, ne in nobis ulla tibi mora esset,*

V. *pecuniam, expeditissima quæ erat, tibi decrevimus. Nec argentum ergo tibi deerit, nec, quod omni argento præstantius, amici.*

VI. *Servium enim habes tuî amantissimum, cujus prolixam erga te voluntatem*

VII. *& ego non imitabor modò, verùm etiam, quoad ejus fieri poterit, studio, officiisque meis superabo. Vale.*

II.

II.

In ELABORATIORIBUS UNIUS ARGUMENTI *thema ipsum ex occasione scribendi capitur.* * *Hoc deinde argumentis firmis potiùs, quàm multis roboratur* ** *Idem potest pluribus ætiologiis & illustrationibus amplificari* *** *Dispositio libera cuivis est; frequens autem est illa per Antecedens, Connexionem, & Consequens* ****

* Sic thema in gratulatoriis est: *Gratulor tibi annum novum, novum munus, felicem natalem, restitutam valetudinem* &c. In consolatoriis: *æquo tibi animo ferenda est fortuna, afflicta valetudo, mors parentis* &c. In commendatitiis: *commendo tibi amicum meum, causam meam* &c, atque ad hoc thema tanquam ad centrum, argumenta reliqua & illustrationes referendæ sunt.

** Argumenta facilè suppeditabunt ipsæ, quas vocant, circumstantiæ comprehensæ noto versiculo: *quis? quid? ubi?* &c. Tironibus tamen non inutiles sunt loci argumentorum communes ab *utili*, *jucundo*, *facili*, *honesto*, *decoro* &c. quippe qui monent, ad quas maximè circumstantias diligentiùs attendendum sit. Unde & præcipuos selectis Auctorum Epistolis in II. parte præmittemus.

*** *Exemplis*, *similibus*, *contrariis*, *sententiis*, *adagiis*, ceterísque illustrationibus locum in Epistolis esse, nemo prudens negaverit. Sed in his adducendis copiosi ne simus: alludamus ad hæc potiùs; in sententiis tamen paulò liberius immorari licet. En quàm eleganter Cicero Ep. 6. L. 7. illustrationibus utitur!

CICERO TREBATIO S. D.

In omnibus meis Epistolis, quas ad Cæsarem, aut ad Balbum mitto, legitima quædam est accessio commendationis tuæ, nec ea vulgaris, sed cum aliquo insigni indicio meæ erga te benevolentiæ. Tu modò ineptias istas & desideria urbis & urbanitatis depone: & quo consilio profectus es, id assiduitate & virtute consequere. Hoc tibi tam ignoscemus nos amici, quàm ignoverunt

runt Medea, quæ Corinthum arcem altam habebant matronæ opulentæ, optimates: *quibus illa manibus gypsatissimis persuasit, ne sibi vitio illa verterent, quòd abesset à patria.* Nam multi suam rem bene gessêre, & publicam, patriâ procul. Multi, qui domi ætatem agerent, propterea sunt improbati. *Quo in numero tu certè fuisses, nisi te extrusissemus. Sed plura scribemus alias: Tu, qui ceteris cavere didicisti, in Britannia ne ab essedariis decipiaris, caveto: & quando Medeam agere cœpi, illud semper memento*: Qui ipsi sibi sapiens prodesse non quit, nequidquam sapit. *Cura, ut valeas.*

**** Ad morem veterum & recentiorum perinde videtur esse, sive argumenta propositioni, sive hanc argumentis præmittamus. Unde & nemo omnes *Ciceronis*, *Plinii* &c. Epistolas ad generalem quandam amussim facilè revocaverit. Dispositiones autem in scholis usitatæ aliæ quidem fiunt per *Chrias ordinatas*, & *inversas*, aliæ per *Syllogismos*, per *Thesin & Hypothesin*, aliæ denique secundùm partes Orationis, *Exordium*, *Narrationem*, *Propositionem*, *Confirmationem*, *Conclusionem;* sed, præterquam quòd hæ formæ e Rhetorum officinis depromptæ captum Grammaticorum excedant; convenire omnes videntur in forma *Epistolæ Enthymematicæ*, quam proinde, utì planiorem ac hodiedum solenniorem, præ reliquis amplectimur. e. g. gratulaturus alteri de felici reditu ita Epistolam dispone:

Formula exordiendi ducitur à lætitia, ex reditu alterius percepta.
Antecedens causam scriptionis impellentem, hoc est, reditum, confectúmque iter meminit.
Connexio petitùr ab amicitia, officiis, beneficiis alteri s.
Consequens reditum auspicatum gratulatur.
Formula finiendi subjungit prosperitatis votum.

Responsio in hanc formam:

Formula exordiendi significat litteras esse redditas.
Antecedens earum argumentum, sive gratulationem reddit.
Connexio affectum collaudat re eâ declaratum, simul & scriptorem eo nomine alteri vehementer obstrictum esse, profitetur.

 Conse-

Consequens gratias maximas persolvit.

Formula finiendi facultatem, atque occasiones inserviendi exoptat.

Nota. Tres primariæ propositiones *Antecedens*, *Connexio*, *Consequens* diversis inter se modis sæpiùs permutantur. e. g. *Connexio.* Cajus est amicus meus. *Antecedens.* Is ad vitam Religiosam adjecit animum. *Consequens.* Ergo eum tibi commendo. Item aliter: *Conseq.* Commendo tibi Cajum. *Anteced.* Is ad vitam Religiosam adjecit animum. *Connexio*: Quia est amicus meus, sive, est pius, modestus, liberalibus disciplinis eruditus. &c.

§. V.

De formulis exordiendi & finiendi.

*Formulæ exordiendi * & finiendi ** vel communes, vel propriæ sunt: Tum hæ, tum illæ sint selectæ, sint breves **** optimas autem ipsum scribéndi argumentum suppeditat *****

* *Communes exordiendi formulæ* sunt, quæ de valetudine alterius inquirunt, aut veniam scribendi rogant, aut acceptarum Epistolarum sententiam repetunt. Apud Veteres solemnis illa erat: *si vales, bene est: ego quidem valeo*, quæ tamen hodie eviluit. *Communes finiendi formulæ* salutem, vota, commendationem valetudinis, officiorum oblationem, amicorum salutationem, responsionis flagitationem &c. complectuntur.

** *Propriæ exordiendi formulæ* ab occasione, causáque scribendi petuntur. Sic Manutius gratulaturus Alfonso Carafæ purpuram ita auspicatur: *Solent esse, quæ minùs exspectantur, lætiora. Nihil tamen istâ, quâ te auctum nuper accepimus dignitate, neque magìs exspectatum apud eos, qui studia tua, tuos ad virtutem præclaros impetus noverant, neque jucundius, neque lætitiæ majoris unquam fuit.* Sic etiam *proprias* appellaveris formulas finiendi, quæ ex ipsa propositione primaria derivantur: ita epistolis gratulatoriis votum aliquod, cohortationem, vel commendationem; Epistolis gratiarum actoriis vel votum, vel grati animi pollicitationem, vel commendationem in futurum &c. subjicies.

*** Cautio

*** Cautio hæc cùm in omni Epistola, tum maximè in formulis adhibenda est, ne materiæ deinceps in litteris tractandæ præripiamus locum. Magnam brevitatis curam commendat Seneca, dum, *Epistolas sinistram manum implere haud debere*, scribit Epist. 45. Brevis autem non ea censenda est, quæ paucis verbis absolvitur, sed quæ paucis multa complectitur. In brevitate ergo duo attendenda, *Modus*, & *Judicium*: Ille quidem, ut nihil superfluum admisceatur, vel otiosè repetatur, nec res tenuis ac familiaris verborum pondere oneretur: hoc verò, ut personæ cujusque conditio ac captus respiciatur; & si ad ignotos, eósque vel optimates vel doctos scribendum, stilus adhibeatur sublimior; si ad occupatos, concisior; si ad æquales vel amicos, familiaris. Cavendum tamen, ne, dum brevitatem secteris, obscurus fias.

**** Ex re scribenda, iísque, quas *circumstantias* dicunt, consideratis haud difficulter exordium Epistolæ & conclusionem invenies. Tironibus tamen non inutilem navârunt operam, qui ex *Cicerone, Plinio*, & recentioribus Epistolographis plures congesserunt formulas, quibus in simili argumento commodè uterentur. Subjiciemus paucas, ad quarum formam plures ex Auctoribus colligere licebit.

Formulæ exordiendi vulgares.

Meum erga te animum multis nominibus tibi cognitum esse non dubito: scis, opinor, quàm patrem tuum multis sæpe rebus ornaverim; non te latet, quàm toti familiæ tuæ semper prodesse studuerim. &c.

Si unquam de te bene meritus sum, (me autem meritum esse negare non potes) fac, ut &c.

Nescio, quibus tibi verbis, amice integerrime, infelicitatem meam satìs deplorem. Tanta me simul diversarum rerum oppressit calamitas, ut &c.

Horreo, si me DEus amet, dicere, quàm malè mihi cesserit mea profectio. O! quam non ibi calamitatem vidi! O! quam non inopiam expertus sum!

Meum studium honori tuo non defuisset, pro necessitudine nostra, si aut tutò in senatum, aut honestè venire potuissem.

Officium meum, quod ab optimo in te animo profectum est, jucundum fuisse, vehementer gaudeo.

Officii mei sæpe me admonet officiorum tuorum recordatio,

tio: officium autem, quod absens absenti præstare possum, litteræ sunt, quas misissem &c.

Dici non potest, quanta tum me, tum omnes tuos voluptate affecerit pulcherrimus rumor, nuper hìc de rebus fortiter à te gestis exortus.

Studium tuum in exhauriendis mandatis meis, celeritas in rescribendo, quorum ego à te alterum pro nostra conjunctione exspectabam, alterum autem pro tuis occupationibus vix postulare audebam, magnam habent significationem amoris in me tui.

Ex omnibus officiis, quæ in me plurima contulisti, nullum scito mihi pluris esse, quàm quòd operam dederis &c.

Etsi mihi nunquam dubium fuit, quin tibi essem charissimus: tamen quotidie magìs id perspicio.

Nihil ex omni rerum genere potuit mihi nuntiari jucundius, quàm de iis moribus agere, qui & te ipso, & tuo genere digni sunt.

Facis, ut meritò te amem, & collaudem, qui non, ùt vulgus servorum solet, absentis domini negotia impedias; sed omni curâ, vigilantiâ, operâ coneris expedire.

Cùm & mihi conscius essem, quanti te facerem, & tuam erga me benevolentiam expertus essem; non dubitavi â te petere, quod mihi petendum esset.

Expertus non rarò benignitatem tuam, plurimùm mihi amande Pater, meâ quoque erga te pietate, & bonis in litteris tibi non ingratâ diligentiâ fretus, pauca abs te petiturus accedo, quæ, pro tuo in me paterno affectu, te mihi non negaturum confido.

Quamquam ipse citra controversiam abunde per te sapis, sodalium jucundissime, non possum tamen (si veteri nostræ amicitiæ satisfacere, summísque in me tuis officiis respondere velim) quin ea, quæ ad tuam, cùm dignitatem, tum salutem attinent, tibi liberè significem.

Et tu occasiones obligandi me avidissimè amplecteris, & ego libentiùs nemini debeo. Duabus ergo de causis à te potissimùm petere constitui, quod impetratum maximè cupio.

Quàm acerbum vulnus ex filioli obitu acceperis, equidem ex meo ipsius dolore facilè conjecturam facio. Quare vehementer sim inhumanus, si parentem in tam tristi casu lugere vetem, cùm alienus ipse non queam non lugere.

Quan-

Quanquam pro tua ſingulari ſapientia ipſe abunde per te ſapis, affinis jucundiſſime, nec alienis eges conſiliis: tamen hoc vel veteri noſtræ amicitiæ, quæ ab ipſis prope incunabulis unà cum ætate nobis accrevit, vel tuis ſummis in me officiis, vel arctiſſimæ denique affinitati debere me putavi, ſi is eſſe vellem, quem tu me ſemper exiſtimâſti virum & amicum, ut id, quod ad tuam tuorúmque ſalutem & dignitatem plurimùm intereſſe judicâſſem, te libenter ac liberè admonerem.

Improbum fortaſſe aliis videbitur, vir clariſſime, cum, à quo tantum beneficiorum acceperis, quantum ne ſperare quidem unquam ſum auſus, rurſum novis precibus ſollicitare: at ego ingenui, minimèque ingrati animi exiſtimo, cui multum debeas, ei plurimum velle debere.

Cùm ii, quorum res agitur, magni ſua intereſſe arbitrentur, me etiam per litteras declarare tibi, quâ eſſem erga ipſos voluntate, non dubitavi hæc ad te ſcribere.

Miram ſanè rem, & tibi, ùt opinor, auditu jucundiſſimam, non potui non ad te perſcribere: cùm ſciam te rerum novarum percupidum eſſe: en rem, ùt novam, ita miram.

Mira auditu nuper ad te perſcripſi; ſed audi θαυμαστότερα.

Quanquam ipſa conſolatio litterarum tuarum mihi gratiſſima: declarat enim &c.

Quàm vellem mihi dari uberrimam de te bene merendi occaſionem: ſi quid votis proficeretur, optarem, ut, Crœſus alter eſſes.

Tametſi nihil mihi fuit optatius, quàm ut primùm à te ipſo, deinde à ceteris omnibus quàm gratiſſimus erga te eſſe cognoſcerer: tamen afficior ſummo dolore, ejusmodi tempora poſt tuam profectionem conſecuta eſſe, ut & meam & ceterorum erga te fidem & benevolentiam abſens experirêre.

Ecquod unquam commodius de te bene merendi tempus oblatum eſt? ſemper occaſionem te mihi arctiore amicitiæ fœdere adſtringendi quæſivi; en jam reperi.

Si unquam aliàs, hoc certè tempore, DEus Opt. Max. precandus eſt, ut tandem orbis funeſtis illis diſſidiis defungatur.

Perſæpe mihi cogitanti de communibus miſeriis, in quibus tot annos verſamur, & ùt video, verſabimur, ſolet in mentem venire illius temporis, quo proximè fuimus unà.

Poſteaquàm veteri conſuetudine

dine receptum, ut in anni auſpicio amicus cum amico xeniis certet: nec potui, nec volui, quin. &c.

Etſi ſtatueram nullas ad te litteras mittere, niſi commendatitias. &c.

Etſi eo te adhuc conſilio uſum intelligo, ut id reprehendere non audeam, non quia ab eo ipſe diſſentiam; ſed quòd eâ te ſapientiâ eſſe judicem, ut meum conſilium non anteponam tuo: tamen & amicitiæ noſtræ vetuſtas, & tua ſumma erga me benevolentia, quæ mihi jam à pueritia tua cognita eſt, me hortata eſt, ut ea ſcriberem ad te, quæ & ſaluti tuæ conducere arbitrarer, & non aliena eſſe ducerem à dignitate.

Etſi perpaucis diebus ante dederam NN. litteras ad te pluribus verbis ſcriptas, quibus declaraveram, quo te animo cenſerem eſſe oportere, & quid tibi faciendum arbitrarer: tamen cum NN. libertus tuus proficiſceretur, cujus ego fidem erga te benevolentiámque perſpexeram, ſinè meis litteris eum ad te venire nolui.

Ingenii mei pudorem non ignoras, vir eximie. Sed quò non adigit mortales *verè durum telum neceſſitas?*

Scio non temerè ſcriptum eſſe à Flacco: *Quem cui commendes, etiam atque etiam aſpice, ne mox*
Incutiant aliena tibi peccata pudorem.

Nec ignoro judicium tuum exactum, quo non temerè quivis probatur: ſed tamen tot modis exploratum habeo hujus juvenis ingenium, ut illum non dubitem tibi vel meo periculo commendare.

Formulæ Exordiendi, quibus ad ſcribendum provocamus.

Ex Cicerone.

Tu ad me velim crebras litteras mittas.

Velim quàm ſæpiſſimè mecum per litteras colloquaris.

Crebris nos litteris appellato.

Formam mihi totius reipublicæ velim mittas.

Tu mihi velim de omni reipublicæ ſtatu quàm diligentiſſimè perſcribas.

Litteras mitte, quæ me erudiant de omni republica.

Velim formam mihi urbis exponas.

Mitte mihi quæſo obviàm litteras.

Velim

Velim obvias mihi litteras crebrò mittas.
Obviæ mihi velim ſint litteræ tuæ.
Obviàm mihi veniant litteræ tuæ.
Tu fac, ut mihi tuæ litteræ volent obviæ.
Scribe, ſi nihil eſt, ſcribe idipſum.
Tu velim, ſi quid erit, ſcribas ad me: ſi nihil erit, ſcribas id ipſum.
Tu mihi, etiamſi nihil erit, quod ſcribas, tamen id ipſum ſcribas velim, dummodo ne his verbis.
Tu velim ad me de rebus omnibus quotidie ſcribas; ubi nihil erit, quod ſcribas, id ipſum ſcribito.
Ne intermittas ſcribere ad me, etiamſi rem de qua ſcribas, non habebis.
Tu velim ſæpe ad nos ſcribas, ſi rem nullam habebis, quod in buccam venerit, ſcribito.
Tu quæſo crebrò ad me ſcribe, vel quod in buccam venerit.
Si quid in mentem venerit, velim ſcribas.
Ne deſtiteris ad me, quidquid tibi in mentem venerit, ſcribere.
Scribe, quid tibi videatur.
Si tu melius quippiam ſperas, ſcribas ad me velim.
Si quid erit, quod interſit me ſcire, ſcribas velim.

Quàm plurimis de rebus ad me velim ſcribas.
Velim ita ipſe ad me ſcribas de omnibus minimis, maximis, mediocribus rebus, ùt ad hominem amiciſſimum.
Hæc qualia tibi eſſe videantur, accuratiùs mihi perſcribas velim.
Scribe, quæſo, quàm accuratiſſimè, quid placeat.
Velim diligentiùs omnia, quæ putâris me ſcire opus eſſe, perſcribas.
Tu ad me velim omnia diligentiſſimè perſcribas.
Quàm primùm velim nobis litteras mittas.
Litteras ad me continuò mittas, & quàm ſæpiſſimè.
Litteras ad me quàm ſæpiſſimè domum mittito.
Litteras mittere, dare, litteris appellare, per litteras colloqui, ſcribere ad aliquem, perſcribere ad aliquem.
Scribe quid agatur.
Quid iſtic agatur, facias me velim certiorem.
Quid fieri poſſit, velim, ſi tibi grave non erit, certiorem me facias.
Tu me de tuis ſtudiis, & exercitationibus velim quàm familiariſſimè certiorem, & quàm ſæpiſſimè facias.
Ut ad me omnia quàm diligentiſſimè perſcribas, te vehementer rogo.
Te oro, ut, ſi quid erit, quod per-

perſpicias, quamcunque in partem, quàm planiſſimè ad me perſcribas.

Velim, quidquid erit, qualecunque erit, ſcribas.

Accuratè, diligenter, plenè ſcribe.

Scribe, quid futurum ſit.

Tu, quæſo, quidquid novi eſt, ſcribere ne pigrêre.

Si quid proſpicies, quod futurum putes, ſcribas ad me quàm ſæpiſſimè velim.

Quæſo, ut ſcribas quàm ſæpiſſimè, non modò ſi quid ſcies, aut audiêris, ſed etiam ſi quid ſuſpicabere.

Non modò quæ ſciêris, audiêrísve, ſed etiam quæ futura providebis, ſcribas velim.

Tu velim, ſcribas ad me omnia, quæ ſint, quæ futura ſint.

Quid futurum ſit, perſcribe ad me omnia, ſed diligentiſſimè.

Scribe meo nomine.

Quibus tibi videtur, velim des litteras meo nomine.

Ad quos videbitur, velim cures litteras meo nomine.

Ad quos ſcribendum meo nomine putabis, velim facias.

Quibus putas opus eſſe meo nomine litteras dari, velim conſcribas, curéſque dandas.

Scribe, cùm habes, cui des.

Litteras ad me mittito, quotiescunque habebis, cui des.

Quoties habebis, cui des ad me litteras, nolim prætermittas.

Quidquid erit non modò magnum, ſed etiam parvum, ſcribes: equidem nihil intermittam.

Scribe de rebus omnibus.

Perge, ùt facis, & ſcribe, quantum potes.

Faciam, ut tibi nota ſit omnis ratio dierum atque itinerum meorum. Fac, ut omnia ad me perſpecta & explorata perſcribas.

Me fac de tota cauſa noſtra certiorem.

Scribe, quid agas.

Quid agas, ubi ſis, cujuſmodi iſtæ res ſint, fac me quàm diligentiſſimè certiorem.

Scribe ad nos, quid agas, & à nobis quid fieri aut curari velis.

Feceris commodè, mihíque gratum, ſi me de his rebus, quas ſcire opus ſit, feceris certiorem.

Fac, ut ſciam.

Fac planè ſciam.

Omnibus de rebus fac quàm primùm ſciam.

Te quando exſpectemus, fac, ut ſciam.

Tu fac, ut ſciam, quid de nobis futurum ſit.

Si quid acciderit novi, facies, ut ſciam.

Quid egeris, ut ſciam, cura.

Cupio ſcire, quid agas.

Velim ſcire, quid agas.

Quid proficiam, ex te ſcire cupio.

De hoc ſcire aveo omnia.

Scripto

Scripto lacessere, provocare te non desinam.

Tuorum aliquem mitte, si quid reconditum magis erit.

Si quid erit occultius, aut reconditum, meorum aliquem mittam.

Velim sic statuas, tuas mihi litteras longissimas quasque gratissimas fore.

EX CICERONE & Aliis.

Majorem in modum te rogo obsecróque, ut posthac tantillum otii studiis negotiísque tuis suffurêre, quò me nonnunquam litteris tuis compelles.

Non quòd quidquam habeam te dignum, ad te scribo: sed idcirco tantùm, ut rescribas: alioquin mihi nec causa scribendi est ulla, nec argumentum.

Tu velim ad me frequenter scribas, etiamsi nihil magnopere sit, quod scribas. Quanquam hæc ejusmodi sunt tempora, ut Epistolæ argumentum deesse non possit.

Dolui vehementer ac sæpe, NN. doctissime, binas meas ad te litteras proximo scriptas biennio periisse: periisse enim duco, quibus nihil adhuc responderis.

Doleo intermissam esse tam diu inter nos consuetudinem dandi litteras, quæ mihi erat multò jucundissima: rogo te, quod quidem utriusque nostrûm fiat commodo, ut ad eam revertamur.

Nimium jam diu est, ex quo nihil ad te litterarum dedi, cùm neque libentiùs faciam quidquam, quàm loquar tecum per litteras, ubi coram non datur: & tu in intimis sensibus sis infixus: sed indicabo tibi, quæ ratio deterruerit.

Etsi statuerim, nihil ad te litterarum dare, nisi tu mihi epistolæ argumentum ipse præbuisses: tamen cùm ad Petrum, hominem utriusque nostrûm studiosissimum, scriberem, putavi aliquid etiam ad te litterarum esse dandum.

Non dubito, quin tibi odiosæ sint epistolæ quotidianæ, cùm præsertim nullâ novâ de re certiorem te faciam: sed tamen euntibus ad te nostris domesticis, ut nihil ad te dem litterarum, facere non possum.

Etsi nihil habeam hoc tempore scriptione dignum, ad te præsertim, cui publicis curis negotiísque occupato, non est temerè scribendum, quidquid in buccam venerit, singul-

singularis tamen amor in me tuus effecit, ut quidvis potiùs loquerer, quàm omnino tacerem.

Pridie, quàm has scriberem, jam alium quendam litteris ad te datis oneraveram: verùm certius existimavi, si quid fortè fortunâ accidisset, alteras per hunc addere, non iisdem quidem verbis, sed eodem penè argumento.

Etsi nihil erat opus epistolâ, proficiscente istuc N N. nostro, qui res meas non minùs novit, quàm ego ipse: non potui tamen, quin te saltem epistolâ salutarem.

Etsi nostratia omnia nuntiis, aut rumore ad vos perferuntur: tamen ea inscribam brevì, quæ potissimùm te puto ex meis litteris velle cognoscere.

Quærenti mihi jam diu, quid tibi potissimùm scriberem; non modò certa res nulla, sed ne genus quidem litterarum usitatum veniebat in mentem.

Optabam jam pridem, vir omnium integerrime, te meis litteris compellare, ut tuas elicerem.

Ego etsi nihil habeo, quod ad te scribam; scribo tamen, ut tuas eliciam.

Jam diu ignoro, quid agas: nihil enim scribis, neque ego ad te his duobus mensibus scripseram.

Certior per te fieri cupio, num jam advenerit Dux vester, aut quàm mox exspectetur adfuturus.

Epistolæ argumentum ad te nullum prorsus erat, nisi id mihi Antonius suis ad me litteris præbuisset.

Exspectamus omnino non epistolam à te, sed ingentem litterarum sarcinam, quæ vel gravet tabellarium.

Charissime N N. si valentibus salutem dicimus in capite litterarum, multò magis convenit, ægrotanti tibi optare salutem.

Novi, quod ad te scribam, mi N N.! nihil est; & si quid esset, scribam, te à tuis quotidie certiorem fieri solere.

Nihil erat novi, quod ad te scriberem; tamen, cùm NN. noster ad te proficisceretur, non potui ei nihil litterarum dare.

Copiosissimam ad te epistolam scribere gestiebat animus, nî & otium deesset, & propediem vos ipse videre decrevissem.

Non potui, quin sciscitarer ex te per litteras, quid ageres rerum, & quì valeres; quod tamen æquius fuerat me cognoscere ex tuis litteris, tuaéque in illis erga me benevolentiæ habere testimonium;

nium: nec tamen puto me tibi ex animo effluxiſſe.

Revocarem te ad intermiſſam noſtram ſcribendi conſuetudinem, nî metuerem, ne impudenter viderer facere, qui tibi homini publicis functionibus occupato negotium adderem: itaque non poſtulo, ut tam crebrò mecum per litteras colloquâre, quàm aliquando es ſolitus. Interdum tamen, rogo te, ne graveris aliquid ad me litterarum dare.

Quíd eſt, mi Andrea! quòd, cùm jam plus minus denas ad te dederim litteras, ut unis vix reſponderis? adeóne refrixit tua erga me vetus amicitia, ut ne quidem me ſalutatione digneris?

Centenas jam ad te litteras dedi: tu ne unas quidem reddidiſti; quid conjectem? quid divinem? vivere te, an ſepultum eſſe?

Formulæ Exordiendi in Reſponſoriis.
Ex Cicerone.

Accepi litteras, quæ mihi declarabant, indicabant, ſignificabant, habebant ſignificationem, in quibus ſignificabatur, quæ me erudierunt, docuerunt, quæ ſpem fecerunt, tantum ſpei dederant, planiùs loquebantur &c.

Redditæ mihi ſunt litteræ, quibus declarabas, demonſtrabas, quibus videbam, quibus ad me ſcribis, perſcripſiſti, erat ſcriptum, quibus certior factus, cepi voluptatem, conſilium petis, quibus lectis cognovi, quibus intellexi, ex quibus recognovi, intellexi, perſpexi, animadverti, & didici &c.

Binas tuas accepi.

Binas à te accepi litteras eodem exemplo.

Redditæ mihi ſunt uno tempore à te epiſtolæ duæ.

Tres uno die à te accepi litteras, unam brevem, duas pleniores.

Mihi uno die tres ſunt redditæ, eodem abs te datæ tempore.

Accepi à te aliquot epiſtolas uno tempore, quas tu diverſis temporibus dederas.

Multas à te accepi epiſtolas eodem die.

Multijuges accepi uno tempore.

Ex

Ex Cicerone & aliis.

Accepi litteras tuas, quibus erat ſcriptum.

Accepi à te aliquot litteras uno tempore: quas tu diverſis temporibus dederas, in quibus &c.

Binas à te accepi litteras eodem exemplo, quod ipſum argumento mihi fuit diligentiæ tuæ: intellexi enim te laborare, ut ad me mihi exſpectatiſſimæ litteræ perferantur.

Accepi litteras à te binas, ad quas his unicis reſpondebo.

Magno dolore affecerunt me tuæ litteræ, quibus ad me ſcribis.

Accepi litteras tuas plenas humanitatis & æquitatis.

Legi tuas litteras, in quibus mirificum tuum erga me amorem recognovi.

Libentiſſimè legi tuas litteras, in quibus jucundiſſimum fuit, quod cognovi, &c.

Petis N N. candidiſſime, ut tecum animi mei conſilium communicem. Hoc unum habe.

Quòd tribus epiſtolis tuis poſtremis, chariſſime N N. unicâ reſpondeam, hoc eſt, de unâ fideliâ dealbem parietes, faciunt temporis mei anguſtiæ.

Ut primùm otium, & tempus ſcribendi nactus ſum, duxi, eſſe reſcribendum eis litteris, quas ego abs te ſuperioribus diebus accepi binas.

Et multarum rerum curis, atque oneribus ita premor, optime N N. ut reſpirare vix poſſim: tamen ut litteris tuis amantiſſimè ſcriptis aliquid reſponderem, abjeci omnia, & officium, quod tibi à me debetur, habui antiquiſſimum.

Animi tui dotes, adoleſcens chariſſime, velut in ſpeculo tua repræſentavit epiſtola: quæ ſi tuî unius marte confecta fuit, ſicuti fuiſſe nihil addubito, auſim tum mihi, tum ſeculo magnum quidam de te polliceri.

Binas abs te accepi litteras Bambergæ datas, quarum alteris mihi gratulabâre, quòd audîſſes me meam priſtinam dignitatem obtinere. Alteris dicebas, te velle, quæ egiſſem, bene & feliciter evenire.

Seculum exîſſe ſcribis, quòd ne littera quidem à nobis adfertur. Quanquam impudens ὑπερβολὴ, nam ſeculum iſtud vix trimeſtre; tamen ut me ſinè culpa incuſari doleo, ita tuo noſtrî deſi-

desiderio majorem in modum delector.

Accepi litteras, quas NN. ad me attulit, è quo cùm percunctatus essem, de te, quæ volebam, atque is mihi omnia læta respondisset, alacriore animo conversus sum ad lectionem litterarum, in quibus recognovi animum tuum pristinum erga me, & plenam benevolentiæ & humanitatis voluptatem, quâ mihi nihil accidere potuit optatius.

Gratæ mihi tuæ litteræ fuerunt, ex quibus intellexi, quod etiam sinè litteris arbitrabar, te summâ cupiditate affectum esse videndi meî.

Amice candidissime, multò gratissimæ mihi fuerunt litteræ tuæ, quibus etsi seriùs, quàm debebam rescribo, amo tamen effusissimè meum NN.

Epistolam tuam accepi, quæ mihi tum ob recordationem veteris notitiæ fuit jucundissima, tum quòd abs te, cujus ingenii dexteritati ex animo faveo.

Epistola tua suaviter & amanter imprimìs, eadémque elegantissimè conscripta, memoriam mihi nostræ consuetudinis, tuæque virtutis & humanitatis vehementer auxit.

Accepi litteras tuas datas Bambergæ extremo mensis Junii, ad me Septembri ineunte perlatas, ex quibus cognovi, quod mihi fuit jucundissimum, te rectè valere.

Grata est mihi vehementer memoria nostrî tua, quam significâsti litteris; quam ut conserves, non quòd dubitem de tua constantia, sed quia mos est ita rogandi, rogo. &c.

Bis nos exhilaras, NN. candidissime, dum muneri gratissimo litteras addis multò suaviores: quare duplici nomine tibi gratias ago.

Gratissima mihi tua fuit Epistola, quæ testabatur veterem illum tuum in me animum; meus verò cur mutatus esset, nulla est causa.

Accepi litteras tuas & suaves profectò, & eruditas: quibus non aliter sum oblectatus, atque olim tuâ consuetudine, cùm essem apud te.

Variè sum affectus tuis litteris, doctissime ac humanissime NN. valde priore paginâ perturbatus, paululùm alterâ recreatus.

Gratæ mihi tuæ litteræ fuerunt: imò verò & exoptatæ, quæ meî apud te memoriam

moriam residere mihi indicârunt.

Quò magìs præter spem acciderunt, hòc gratiores fuerunt tuæ litteræ mihi, non semel votis ardentissimis exoptatæ.

Gratum erat tuum munusculum; gratior epistola tam amica; gratissimus animus.

Accepi litteras tuas, imò meros amores: quid enim aliud sonant? quid aliud spirant?

Tua Epistola tantò mihi jucundior fuit, quantò longior, præsertim cùm &c.

Quò minùs exspectatæ venerunt tuæ litteræ, hòc mihi plus voluptatis attulerunt.

Jam dies octavus agitur, aut plus eo, cùm optatissimas abs te accepi litteras.

Accepi epistolas tuas, aliam aliâ jucundiorem.

Multa me in epistola tua delectârunt, sed nihil magis, quàm quòd &c.

Quas ad me his proximis superioribus diebus litteras dedisti, mi Antoni, incredibili me affecerunt voluptate; quod enim plerique solent ægrè ferre, id mihi planè jucundissimum fuit, nempe ut me objurgares.

Litteræ tuæ perbreves, sed amoris, humanitatísque plenissimæ, hòc mihi etiam fuerunt jucundiores, quòd manu tuâ scriptæ.

Epistola NN. humanissime, quâ mecum de non missis ad te litteris expostulas, mirum in modum me delectavit: Gaudeo profectò mihi datam, quod ajunt, ansam crebrioribus, quàm hactenus, te litteris salutandi.

Magnâ me voluptate affecerunt tuæ litteræ, ex quibus perspexi, vigere apud te memoriam amicitiæ nostræ, & studium propensæ erga me voluntatis: quam ego habui semper charissimam; ab eo usque tempore, quo &c.

Tantæ sunt mihi tuæ litteræ, mi NN. ut nullo pacto credam posse me illis rescribendo satisfacere: tanta rursus tua est humanitas, ut te boni consulturum, quidquid à nobis proficiscetur, existimem.

Non facilè dixerim, quantum voluptatis, ex epistola tua acceperim: est enim mihi gratissimum, cùm & me â te amari, & te amore in te meo delectari perspicio: ex quo fit, ut litteras tuas benevolentiâ plenissimas & officiis jucundissimè legam.

Redditæ sunt abs te litteræ: nec jucundissimæ solùm,

imò

imò etiam ſalutares: quòd enim te ſalvum mihi & ſoſpitem nuntiârunt, per id quoque mihi incolumitas eſt reſtituta. De qua re & tibi gratulor, & mihi gaudeo, Deúmque ſupplex oro, ut in optimo ſtatu diutiſſimè valere nos jubeat.

Jucundiſſimæ mihi fuerunt tuæ litteræ, ídque ipſum ſanè multis de cauſis. Primùm, quòd tuæ, hoc eſt &c. Deinde, quòd mirificam quandam tuæ erga me voluntatis ſignificationem habebant. Adde etiam, quòd perbellè ſcriptæ, ſpem mihi attulerunt non dubiam, talem te aliquando fore, qualem ego te, vel ingenio, vel diligentiâ tuâ fretus, multis futurum prædicâſſem.

Maximâ ſum ex tuis litteris affectus voluptate, non eo ſolùm, quòd ſuaviſſimè ſcriptæ magnam tuæ erga me obſervantiæ ſignificationem haberent (quanquam id ipſum, pro eo ſanè ac debuit, fuit gratiſſimum) ſed quod eâ verborum ubertate, atque elegantia eſſent contextæ, ut meam de ſtudiorum tuorum curſu opinionem planè confirmarent; atque haud ſcio, an etiam vincerent.

Ex tuis litteris, quæ me de tua valetudine reliquíſque tuis rebus erudierunt, magnam cepi voluptatem: propterea quòd & elegantes ipſæ ſunt, neque tantum latinè, ſed etiam polìtè ſcriptæ, & tuam erga me benevolentiam, quam ego ſemper feci plurimi, magnopere præ ſe ferunt. Itaque nihil mihi potuit optatius accidere.

Gratiſſimæ tuæ litteræ mihi fuerunt, quæ & veteris noſtræ amicitiæ memoriam mihi renovârunt, & declarârunt in te non parùm adhuc amoris erga me ipſum reſidere: quo mihi nil optatius, neque jucundius accidere potuit: tibíque hoc de me eſſe perſuaſum volo, ſi quem mihi aliquando locum tibi gratificandi dederis, magno me abs te affectum beneficio eſſe arbitraturum. Tu ut valeas, & me diligas, magnopere abs te peto.

Ego nullius litteris æquè delector, ac tuis, ex quibus multiplicem capio tum fructum, tum voluptatem. Primùm, ſive mecum litigas, ſive rides, ſive laceſſis, diſcedo doctior. Nihil enim abs te proficiſcitur adeò neglectum, quod aliorum quantâlibet curâ poſſit æquari. Deinde &c.

Formulæ

Formulæ Finiendi.

Ex Cicerone.

Non tenebo te pluribus, ponam in extremo, quod ſentio.

Hæc tibi erunt curæ, quemadmodùm oſtendis.

Si hæc accipies, ut ab optimo animo, ac deditiſſimo tibi ſcripta eſſe judices.

Habes totum reipublicæ ſtatum.

Habes, ùt breviſſimè potui, genus judicii & cauſam abſolutionis.

Habes cauſam opinionis meæ.

Habes rationem mearum ſententiarum.

Habes ferè de rebus ruſticis.

Hæc habebam ferè, quæ te ſcire vellem.

Hæc erant ferè, quæ tibi nota eſſe vellem.

Hæc ferè ad eas litteras, quas eodem exemplo binas accepi.

Hæc ad te in præſenti ſcripſi, ut ſperes te aſſequi id, quod optâſſes.

Ex Cicerone & aliis.

Epiſtolam ita concludam. Epiſtolæ ita finem faciam, imponam.

Habes, quæ ſcire cupiebas, vale.

Habes ferè de rebus omnibus, vale.

Hæc habui, quæ de his rebus ad te ſcriberem.

Hæc ferè ad eas litteras, quas accepi abs te proximè.

Extremum illud eſt, ut te orem & obſecrem.

Finem ſcribendi faciam, ſi te primùm monuero, ut me diligas.

Sed ne longior: vale, & me, ut facis, ama.

Plura otioſus: hæc ſubitò & variè diſtractus.

Epiſtolæ clauſula hæc erit; ut benevolentiam in me tuam perpetuò conſerves.

Reliquum eſt, ut â te petam, ut me de rebus tuis omnibus quàm ſæpiſſimè facias certiorem, quo nihil gratius exſpectare â te poſſum.

Hæc ad te in præſenti ſcripſi, ut ſperes te aſſequi id, quod optâſſes.

Formulæ amicos in extremis Litterarum ſalutandi.

Salutabis ex me patrem officiosè.

Eum â me perofficiosè ſaluta.

Eum

Eum meis verbis amanter ſaluta.
'ratribus â me ſalutem plurimam nuntiato.
'ratribus ex me ſalutem multam dicito.
Salutato parentes meo nomine.
Mihi apud amicos vicarius ſis quæſo ſalutator.
Salvebit â me Michaël officiosè & accuratè.
Bernardo NN. precaberis â me læta omnia & felicia.
Humaniſſimis & integerrimis viris Joanni NN. & Joanni NN. olim ſcholæ noſtræ alumnis', officiosè â nobis ſalutem dicito.
Salutem â me Henrico NN. & ſi quem alium benevolentem videris, dicito.
Eximios viros Petrum NN. & Paulum NN. etiam atque etiam ſalvere jube.
D. Joannem NN. præſtanti eruditione & integritate virum, jubebis â me ſalvere plurimùm.
Petrum NN. noſtrum eximiâ ſpe, ſummaéque virtutis adoleſcentem ſaluta meis verbis officiosè.
Amicos omnes, ſed inprimis noſtrum NN. jubebis â me ſalvere plurimùm.
Ad Georgium NN. ſi quid dederis litterarum, adſcribes â me illi ſalutem plurimam.
In ſalutandis amicis quoniam non vacat nunc pluribus ſcribere, vices meas obeas velim.
Salvebit â me NN. & reliqui, quos iſtìc me nôſſe putes.
Contubernalem noſtrum NN quando videris, volo, ac vacabit, paucis verbis, ſuo ipſius more, â me jube ſalvere plurimùm.
Joanni NN. ſi aliquando opportunum fuerit, ſalutem â me dicito, quam propriis illi litteris nuntiare voluiſſem, ſi, ubi locorum ageret, compertum habuiſſem.
Adoleſcenti multis animi fortunaéque dotibus ornatiſſimo Joanni Antonio NN. precaberis â me ſalutem plurimam, & felicem ſtudiorum ſucceſſum.
Amicis meis verbis ſalutem nuntiato, nominatim verò humaniſſimis, & integerrimis viris Abrahamo NN. & Iſaaco NN. quorum, cùm iſtìc agerem, ſuaviſſimâ conſuetudine valdè oblectabar, ſalutem ex me impertire plurimam.
Mathiæ NN. meis verbis ſalutem impertias velim; quæque â me proficiſci poſſunt, omnia pollicearis ac deferas.

Totam familiam tuam per te meis verbis salutatam volo.
Terentia tibi salutem.
Dionysio plurimam salutem.
Vale, & Duditio meo salutem.
Patri tuo multam salutem.
Patri tuo & matri multam salutem.

Formulæ salutandi quempiam alterius nomine.

NN. officiosè te jubet salutari - jubet te salvere plurimùm - jussit tibi multam adscribi salutem - plurimam tibi impertit salutem - impertiri te jussit plurimâ salute - annuntiat tibi ac tuis salutem - jussit me tibi salutem scribere.
NN. precatur tibi ac tuis omnia felicissima.
Precatur tibi omnia evenire prosperrimè.
Nihil non optat tibi faustum ac lætum.

Salvebis à NN. nostro, adolescente mihi summè dilecto, & nostrî observantissimo. Jam epistolam complicaveram, cùm adiret me fortè Bartholomæus Tribuarius noster, qui te plurimùm jussit meis verbis salvere.

Formulæ resalutandi, & excusandi epistolam negligentiùs scriptam.

Fratres Pauli NN. per me tuis verbis salutati vicissim te meis verbis officiosè resalutant.

Petro NN. & Paulo NN. abs te salutem dixi, qui lætissimi audiêrunt, remittúntque salutem ingenti fœnore cumulatam.

Joannes Wolffgangus NN. quam tuis verbis salutem dixi, libenter accepit, & vicissim te his litteris officiosè salutare jussit.

Petri NN. nostri, per me diligenter salutati, dederunt hoc mihi negotii, ut te vicissim juberem suo nomine salvere plurimùm.
Epistolæ character neglectior testis est summæ nostræ festinationis.
Hæc exaravi multis districtus negotiis, animóque curis valde impedito.
Ex tempore scripsi hæc, & incogitantiùs, alioqui nec meditatus satìs probus scribendi artifex.

Hæc

Hæc ſcripſi raptim, & plusquàm ex tempore, fortè oblato tabellario: ſcribam aliàs accuratiùs.

Hæc ſubitò; cùm incidiſſem caſu in tabellarium itineri jam accinctum.

Hæc ſcripſi feſtinanter, feſtinans, properans, animo alia cogitante; quod velim ignoſcas.

Hæc in ſumma vacui temporis inopia ſcripſi.

Dictavi hanc ad te epiſtolam; non ſcripſi, quòd jam eſſem ſcribendis litteris defatigatus. Rectè vale.

Hæc ſcripſi præproperè, & perturbatè, quod ex litteris ipſis, & ſenſu facilè conjicis: quæſo feſtinationi meæ, & brevitati litterarum des veniam.

Formulæ Valedicendi, & poſt Vale aliquid ſubjiciendi.

Vale. Valeto. Valebis.

Bene vale. Rectè vale. Vale feliciter.

Vale rectiſſimè. Vale etiam atque etiam.

Fac valeas. Fac, ut valeas. Da operam, ut valeas.

Maximè da operam, ut valeas.

Cura, ut valeas, etiam atque etiam.

Valetudinem tuam fac cures diligenter.

Fac, ut tuam & Tulliæ valetudinem cures.

Tu velim tuam & Tulliæ valetudinem cures.

Te oro etiam atque etiam, mi frater, ut valeas.

Quantam diligentiam in valetudinem tuam contuleris, tanti me â te fieri judicabo.

Quantùm me diligis, tantùm fac, ut valeas, *vel* quantùm te â me ſcis diligi, tantùm &c.

Indulge valetudini tuæ.

Valetudini tuæ, omni ratione cura, ut inſervias.

Valetudini tuæ, ſi me & omnes tuos valere vis, diligentiſſimè ſervias.

Bene valere te cum omnibus tuis precor.

Vale felix & fauſtus, vir omnium humaniſſime.

Incolumem te nobis diu ſervet Chriſtus Optimus Maximus.

Vale, & ſtude. Vale, & reſcribe. Vale, & Deum time. Vale, & me, ut ſoles, dilige.

Vale, & tuî amantem redama.

Fac valeas, méque mutuò diligas.

Fac valeas, méque ames.
Vale, & me ſolito amore fac proſequare.
Vale, & ſi me amas, labores ama & ſtudia.
Vale, & huc ad nos quàm primùm advola.
Vale, & ſcribe ad me quàm frequentiſſimè.
Vale, & me tuî amantiſſimum viciſſim ama.
Vale, & litterarum ſtudiis incumbe diligenter.
Vale, & nos ſæpiùs tuis litteris, ſi eſt otium, ſaluta.
Cura, ut valeas, & me, ut amas, ama.
Cura ut valeas, méque ames amore illo tuo ſingulari.
Vale, & nos ama, ſi par pari referre velis, amore omnino non vulgari.
Bene valeat Petrus NN. cui omnibus me modis, & ex animo commendo.
Vale, & ſi me amas, ad nos, ùt facis, de rebus omnibus frequenter ſcribe.
Vale mi ſuaviſſime NN. & tibi perſuade, te â me non vulgariter amari.
Vale, plura ad te ſcribam, cùm, quas avidè exſpecto, tuas aliquando accepero litteras.
Bene vale, doctiſſime NN. cui me totum, quantus ſum, dico conſecróque.
Valete, mea deſideria! valete.
Vale, & commenda me precibus Domino, mutuum orationis beneficium impenſurus.
Bene vale in Chriſtò JESU, & me ex animo tibi faventem redamare perge.
Bene vale noſtrî memor, præſertim in precibus.
Vale, & boni conſulas has litteras plusquàm extemporarias.
Vale, & tumultuariam hanc reſponſionem æqui boníque conſulas.
Vale, & ſi quod liberiùs, & impudentiùs effutivi, da veniam homini non aliter inſtituto.
Vale, & nos dilige: quod te ita facere non dubito, ut nihil habeam tuo in me amore nec certius, nec jucundius.
Valebis ipſe, & humaniſſimum virum Tobiam NN. cum univerſa familia bene valere jubebis.
Fac, ut diligentiſſimè te ipſum cuſtodias.
Vale, ſed percommodè hoc mihi nunc in mentem venit.
Vale; ſed heus tu, ferme præterierâram, quod imprimìs dictum oportuit.
Vale: ſed heus mane pauliſper; omiſi, quod non minùs libenter leges, quàm cetera.
Vale: ſed ô me oblivioſum! nunc

nunc demum occurrit animo, quod primo loco dictum oportuit.

Vale: sed obsignaturo epistolam illud percommodè venit in mentem, quod omissum dolerem.

Vale; jam obsignabam epistolam, cùm alteras tuas ad me litteras reddit veredarius; itaque resignavi, & eâdem operâ binis tuis respondeo, ac primùm de &c.

Vale; jam parabam obsignare litteras: sed quia præter spem otii nonnihil obtigit, libet etiam diutiùs garrire tecum.

Post hujusmodi verò revocationem solemus ferè addere:

Rursum vale. Iterum vale. Vale iterum atque iterum.

§. VI.

Qualis Epistolarum stilus sit?

Quæ scribendi ratio Epistolas maximè deceat, selectæ quædam animadversiones de universo Epistolarum genere docent. Secundùm illas Epistola

I. Sit *perspicua*, ne interprete vel Oedipo conjectore opus sit. Malè enim ingeniosus est, ad cujus acumen capiendum opus est ingenio. Maximum certè in sermone vitium est, quem aut omnino non, aut ægrè admodùm percipimus. Id quod evitari poterit, si verba usurpentur propria, usitata, & ritè collocata.

II. Sit *pura* & *æquabilis*, ac nativâ quâdam facilitate fluens, ut neque nimia cum cura, neque prorsus sine cura, ipsiusmet Ciceronis exemplo, scripta videatur.

III. Sit *simplex* & *plana*, ac quotidiano sermoni similis, non ad pompam & ostentationem ingenii composita: nisi quòd pro rerum, personarúmque dignitate interdum paulò altiùs liceat assurgere, ac rem seriam, gravem, atque eruditam Orationis splendore illustrare.

IV. Sit *venusta*, jocísque modicis, ac honestis salibus respersa quandam spiret gratiam, nec adagia, allusionésque ad veterum dicta, & sententias argutas omnino respuat.

V. Sit *decora*, & tuæ pariter, ejúsque, ad quem ſcribis, perſonæ accommodata, argumento etiam, & loco, temporíque conveniens.

VI. *Deſcriptiones* ac *Circumſtantiæ* perſonis, rebus, factísque ſint congruentes, nec res aliqua magìs vel exaggeretur, vel deprimatur, quàm ratio ejus ac dignitas poſtulant. Proinde grandia elatiùs, humilia ſubmiſſiùs, ſeria graviùs, læta hilariùs, triſtia triſtiùs efferenda ſunt.

VII. *Affectuum* quoque naturæ accommodanda oratio, ut in *exhortando* ſis acris ac vehemens, in *conſolando* blandus, in *ſuadendo* gravis, in *narrando* perſpicuus, in *petendo* verecundus, in *commendando* officioſus.

VIII. Vitetur *inconcinna verborum trajectio*, *frequens vocalium concurſus*, *conſonantium multarum conflictus*, item *ejusdem litteræ aut ſyllabæ vel dictionis odioſa repetitio*.

IX. *Periodi* nec æquo ſint longiores, nec breviores; ſed mediocritate quadam aures juſtè impleant, ut & memoria comprehendi, & ſinè moleſtia proferri queant. Porrò periodi periodis, ac membra membris aptè jungenda ſunt per *particulas*, ut extrema mediis, media primis, ac ſingula ſibi invicem reſpondeant. Denique pedes jucundâ varietate inter ſe, præcipuè in periodorum clauſulis, miſceri debent.

§. VII.

Quænam Exercitationes Epiſtolico Generi ſerviant?

Allatis hactenus ſcribendæ Epiſtolæ præceptis multa accedat Lectio, *multiplex* Scriptio, *&* Imitatio.

I. Lectio.

Lectio in præſtantiſſimis Epiſtolarum ſcriptoribus conſideratè evolvendis verſatur. In hoc ſcribendi genere eminent inter Veteres *Cicero* & *Plinius*, inter Recentiores *Paulus Manutius*, *Muretus*,

tus, *Sadoletus*, *Bembus*, *Angelus Politianus* &c. In Epiſtolarum autem lectione ad tria maximè advertenda mens, & calamus adhibendus eſt:

1. Ad *dictionem*, in qua voces, phraſes, particulæ, & ſelecta verborum collocatio ſpectanda eſt.

2. Ad *ornamenta dictionis*, ubi proverbia, ſententiæ, acutè dicta, joci & urbani ſales, aptæ ex rebus vulgaribus ſimilitudines, mitiores figuræ ac tropi occurrere ſolent.

3. Ad *formulas*, quæ duplicis ferè generis ſunt; aliæ, quibus diverſæ inter ſe partes cohærent; ùt ſunt formulæ *exordiendi*, *finiendi*, *proponendi*, *partiendi*, *digrediendi* &c. aliæ, quæ rem ipſam certâ ratione oculis pro materiæ diverſitate ſubjiciunt, ùt ſunt formulæ *ſuadendi*, *laudandi*, *reprehendendi*, *commendandi*, *ſalutandi*, *gratulandi* &c. quas paſſim in quavis Epiſtola deprehendas.

II. Scriptio.

Scriptio varias complectitur exercitationes, quæ, ut Tirones artem Epiſtolicam probè condiſcant, ſæpiùs tractandæ ſunt: Inter illas eſt

1. *Verſio* tum ex Latina in vernaculam, tum ex hac in Latinam: Exercitatio iſta diſcrimen inter utriusque linguæ epiſtolas oſtendit, ſimul utriusque ſcribendæ rationem facillimè ſuggerit.

2. *Variatio*, ubi Epiſtola aliis caſibus, verbis, phraſibus ac ornamentis effertur. Conferantur ea, quæ ſupra ad *Syntaxin variantem* dicta ſunt.

3. *Coarctatio* Epiſtolæ, quæ eſt *preſſa*, *atque adſtricta eorum*, *quæ cum ambitu ab Auctore dicta ſunt*, *expoſitio*. Hac in Exercitatione requiritur, 1) ut lectiſſimæ voces ſint, & magna ſignificandi virtute præditæ, ne epithetorum ſupplementis frequenter egeant. 2) Ne quicquam adhibeatur, quod, ſalvo eodem ſenſu, poſſit removeri. 3) Ut rerum ſententia adſtrictis brevibúsque phraſibus exponatur. Aſſumamus e. g. aliquam ex Tullio epiſtolam, & quod circumſcriptè ab ipſo dictum eſt, preſſiùs conciſiúsque efferamus.

Cicero Titium amicum de obitu filii mœrentem consolatur L. 5. ad Fam. Epist. 16.

M. T. CICERO TITIO S. D.

Etsi unus ex omnibus minimè sum ad te consolandum accommodatus, quòd tantum ex tuis molestiis cepi doloris, ut consolatione ipse egerem: tamen, cùm longiùs à summi luctûs acerbitate meus abesset dolor, quàm tuus; statui nostræ necessitudinis esse, meaéque in te benevolentiæ, non tacere tanto in tuo mœrore tamdiu: sed adhibere aliquam modicam consolationem, quæ levare dolorem tuum posset, si minùs sanare potuisset. Est autem consolatio pervulgata quidem illa maximè, quam semper in ore, atque in animo habere debemus, Homines nos ut esse meminerimus, eâ lege natos, ut omnibus telis fortunæ proposita sit vita nostra: neque esse recusandum, quominùs eâ, qua nati sumus, conditione vivamus: neque tam graviter eos casus feramus, quos nullo consilio vitare possimus: eventisque aliorum memoriâ repetendis, nihil accidisse nobis novi cogitemus. Neque hæ, neque ceteræ consolationes, quæ sunt à sapientissimis viris usurpatæ, memoriaéque literis proditæ, tantum videntur proficere debere, quantum status ipse nostræ civitatis, & hæc prolatio temporum perditorum: cùm beatissimi sint, qui liberos non susceperunt; minùs autem miseri, qui his temporibus amiserunt, quàm si eosdem bona, aut denique aliqua republicâ perdidissent. Quòdsi tuum te desiderium movet, aut si tuarum rerum cogitatione mœres; non facilè exhauriri tibi istum dolorem posse universum puto. Sin illa te res cruciat, quæ magìs amoris est, ut eorum, qui occiderunt, miserias lugeas: ut ea non dicam, quæ sæpissimè & legi, & audivi, nihil mali esse in morte, in qua si resideat sensus, immortalitas illa potiùs, quàm mors ducenda sit: sin sit amissus; nulla videri miseria debeat, quæ non sentiatur: hoc tamen non dubitans confirmare possum, ea misceri, parari, impendére reipublicæ, quæ qui reliquerit, nullo modo mihi quidem deceptus esse videatur. Quid est enim jam non modò pudori, probitati, virtuti, rectis studiis, bonis artibus, sed omnino libertati ac saluti loci? Non, me hercule, quemquam audivi hoc gravissimo, ac pestilentissimo anno adolescentulum aut puerum mortuum, qui mihi non à Diis immortalibus ereptus ex his miseriis, atque ex iniquissima conditione vitæ videretur. Quare si tibi unum hoc detrahi potest, ne quid iis,

quos

quos amâsti, mali putes contigisse; permultum erit ex mœrore tuo diminutum. Relinquetur enim simplex illa jam cura doloris tui, quæ non cum illis communicabitur, sed ad te ipsum propriè referetur: in qua non est jam gravitatis ac sapientiæ tuæ, quam tu à puero præstitisti, ferre immoderatiùs casum incommodorum tuorum, qui sit ab eorum, quos dilexeris, miseria, malóque sejunctus. Etenim eum semper te & privatis in rebus, & publicis præstitisti, tuenda tibi ut sit gravitas, & constantiæ serviendum. Nam quod allatura est ipsa diuturnitas, quæ maximos luctus vetustate tollit, id nos præripere consilio, prudentiáque debemus. Etenim si nulla unquam fuit liberis amissis tam imbecillo mulier animo, quæ non aliquando lugendi modum fecerit: certè nos, quod est dies allatura, id consilio anteferre debemus: neque exspectare temporis medicinam, quam repræsentare ratione possimus. His ego litteris si quid profecissem, existimabam, optandum quiddam me esse assecutum: sin minùs fortè valuissent; officio tamen esse functum benevolentissimi atque amicissimi: quem me tibi & fuisse semper existimes velim, & futurum esse confidas. Vale.

Eadem Epistola stilo conciso expressa.

Quantum ex tuis molestiis cepi dolorem! egerem consolatione, dum amico hanc cupio impendere. Utrumque nostrûm hæc luctûs acerbitas tangit, sinè me affligi non potes; dolorem, gaudiúmque habemus communia. Sed cùm mœror vix loqui sinat, benevolentia tacere non patitur. Vincat illa, & si dolorem sanare non possit, consolando sublevet. Pervulgata illa consolatio quidem: homines nos esse, eâ lege natos, ut moriamur. Scopum esse hanc vitam, in quem omnibus fortuna telis collineet. Non recusandum, quominus eâ, quâ nati sumus, conditione vivamus. Non tam graviter ferendum, quod nequeat vitari. Aliorum eventis metiendos esse nostros, cogitandum, nihil novi accidisse nobis. Sed ista mitto, quanquam sapientûm litteris prodita. Ipsa te nunc civitas suo poterit squalore solari, illa temporum perturbatio tuæ esse perturbationis remedium; quando beatissimus, qui non genuit; minùs miser, qui liberos amisit. Quodsi tuarum rerum cogitatione mœres, difficile erit, exhauriri dolorem; sin occumbentium luges miserias, remedium spero. Amoris hoc vulnus est: sanaberis, ubi cognoveris, nihil mali esse in morte. Quin immortalitas hæc potiùs, quàm mors du-

 cenda,

cenda, si quis in illa sensus resideat; sin sit amissus, nulla debet videri miseria, quæ non sentitur. Illud non dubius confirmavero, ea misceri, parari, impendére reipublicæ, quæ qui reliquerit, deceptus non sit. Estne aliquis libertati ac saluti locus? Pudor, probitas, virtus, recti studium, bonæ artes exulant. Si quis aut puer, aut adolescentulus hâc ætate vitam, simul ille miserias plures reliquit, beneficium Diis iste debet immortalibus, malis ereptus, non traditus est. Permultum tuo erit ex mœrore imminutum, si, quos amâsti, nihil illis mali putes contigisse. Hanc tibi cogitationem modò detrahi patiaris, & dolorem vicisti. Tuenda tibi est gravitas, & constantia serviendum; namque te semper & privatis præstitisti rebus, & publicis, ut id nunc deceat. Consilio, prudentiáque tibi præripiendum est, quod sinè te tempus poterit. Luctus enim etiam maximos ipsa vetustas atterit. Quod diuturnitas factura est, virtute præoccupes. Imbecillis illa animi mulieres sanat; te non possit consilium? Medicina à tempore exspectanda non est, quam ratio repræsentat.

4. *Amplificatio* Epistolæ, quâ, *quæ concisè & pressius ab Auctore dicta sunt, copiosius efferuntur.* Faciunt hoc 1) per μερισμόν, sive partium singularum enumerationem. E. g. Catholica Religio ubique viget, enumera omnes provincias ac regna, in quibus Catholici degunt. 2) Per *circumstantias quis, quid, ubi*, &c. 3) Per longiores *periphrases* & *descriptiones*. 4) Per *Periodos*, ac ceteros amplificandi fontes. Sic concisè more suo Plinius L. 2. Ep. 3. facultatem dicendi in Isæo commendat:

Plinii Epistola stilo conciso.

Magna Isæum fama præcesserat, major inventus est. Summa est facultas, copia, ubertas. Dicit semper ex tempore; sed tanquam diu scripserit. Sermo Græcus, imò Atticus. Præfationes tersæ, graciles, dulces; graves interdum, & erectæ. Poscit controversias plures, electionem auditoribus promittit, sæpe etiam paratus surgit. Jam incipit, statim omnia, ac penè pariter ad manum. Sensus reconditi, occursant verba; sed qualia? quæsita & exculta. Multa lectio in subitis, multa scriptio elucet. Prooemiatur aptè, narrat apertè, pugnat acriter, colligit fortiter, ornat excelsè. Postremò docet, delectat, adficit. Quid maximè? dubites.

Crebra

Crebra ἐνθυμήματα, syllogismi circumscripti, & effecti, quod stilo quoque effici magnum est. Incredibilis memoria, repetit altiùs, quæ dixit ex tempore, ne verbo quidem labitur. Ad tantam ἕξιν studio & exercitatione pervénit. Nam diebus & noctibus nihil aliud agit, nihil audit, nihil loquitur. Annum sexagesimum excessit, & adhuc scholasticus tantùm est. Quo genere hominum nihil aut simplicius, aut sincerius, aut melius. Nos enim, qui in foro, verísque litibus terimur, multum malitiæ, quamvis nolentes, addiscimus. Schola & Auditorium, & ficta causa, res inermis, innoxia est, nec minùs felix, senibus præsertim.

Eadem Epistola amplificata stilo CICERONIANO.

Quam Isæus suæ apud me eloquentiæ existimationem popularis famæ judicio collegerat, hanc non tantùm æquare præsens, verùm etiam superare compertus est. Summa in ipso cùm facultas dicendi, tum ubertas spectatur, & copia. Sermo illi non præmeditatus ad dicendum; sed extemporaneus, velut ex scripto, memoriáque affluit. Nec Græcâ tantùm, verùm inter Græcos quoque Atticâ dictione promptus est. Nihil ipsius præfationibus tersius, dulciúsque: nihil quoque, cùm assurgere libuit, gravius eisdem, erectiúsque facilè repereris. Poscit, ubi res tulerit, controversias ad differendum plures; neque electionem sibi vendicat, sed offert auditori. Qui, ut primùm delegerit, sæpe nihil cunctatus ad dicendum progreditur. Nec deinde, ut rerum sententiarúmque anxius, aut quærendo hæsitat, aut eloquendo luctatur; sed occursantibus ultro verbis, sensibúsque reconditis orationem fundit. Pleraque, tanquam ab instructa eloquentiæ penu, quæsita atque exculta arte depromuntur. Multam ipsius dictio cùm lectionem, tum scriptionem sapit. In proœmio aptus, in narratione apertus, in contentione acris, & in conclusione fortis; nec ad docendum minùs, quàm delectationem ac movendum est accommodatus. Meritò, qua in re potissimùm excellat, dubitetur. Et profectò, sive enthymematum vim nervúmque spectes, sive illam etiam circumscriptam syllogismorum efficaciam, nihil effluit, quod acri, expolitóque censeas stilo indignum. Cui quædam accedit memoriæ promptitudo, prorsus, ùt in extemporali opere, incredibilis. Altiùs, quæ ex tempore dixit, repetentem audias, & simul nec verbo quidem labentem obstupescas.

Ad hanc tantam illum ἕξιν ſtudium, atque exercitatio quotidiana perduxit &c.

III. *Imitatio.*

Quæ tria inter legendum obſervanda ſunt, *dictio*, *ornamenta*, *formulæ*, eadem imitationi ſervire variis modis poſſunt. Si quid è verbis, phraſibúsque placuit, finge locum, ubi adhiberi idem poſſit, ſi debilior es, parem; ſi robuſtior, etiam diſparem. Legis e. g.

Da operam, ut valeas. Propediem te videbo. Jam diu ignoro, quid agas. Tu tibi deeſſe noli. Lacrymæ tempore exareſcunt, dolor recrudeſcit.

1. His, ubi res, locúsque tulerit, ne literâ quidem mutatâ citra reprehenſionem uti poteris.

2. In re diſpari non minor earum gratia; quid enim ſic loqui prohibeat, ſi non phraſi eâdem, Tullianâ certè elegantiâ: *Dabo operam, ut bellum finiatur. Propediem exſpectamus pacem. Jam diu quiete deſtituimur. Craſſus ſibi in hoc bello minimè deeſſe viſus eſt. Accepta in bello vulnera tempore ſanantur. Bellorum citatrices licèt obductæ, levi nonnunquam offenſione recrudeſcunt.*

3. In *ornamentis* quoque ac *formulis* tam in re ſimili, quàm diſſimili eadem imitatio maxime inter provectiores locum habet. Sic ad Tironem ſcribit Q. Cicero L. 16. Ep. 8.

Q. CICERO TIRONI S.

Magnæ nobis eſt ſollicitudini valetudo tua. Nam, tametſi qui veniunt, ἀκίνδυνα μὲν, χρονιώτερα δὲ nuntiant, tamen in magna conſolatione ingens ineſt ſollicitudo, ſi diutiùs à nobis abfuturus eſt is, cujus uſum & ſuavitatem deſiderando ſentimus. Attamen, quanquam videre te totâ cogitatione cupio, tamen te penitus rogo, ne te tam longæ navigationi, & viæ per hiemem, niſi bene firmum committas, néve naviges, niſi exploratè. Vix in ipſis tectis & oppidis frigus infirmâ valetudine vitatur, nedum in mari & via ſit facile abeſſe ab injuria temporis.

ψύχος

Ψύχος δὲ λεπτῷ χρωτὶ πολεμιώτατον,

inquit Euripides. Cui tu, quantum credas, neſcio: ego certè ſingulos ejus verſus, ſingula teſtimonia puto. Effice, ſi me diligis, ut valeas, & ut ad nos firmus ac valens quàm primùm venias. Ama nos, & vale. Q. filius tibi ſalutem dicit.

In his quædam cum virtute imitaberis, quædam mutabis, quædam etiam omittes. Avertatur itaque ad belli, de quo cœpimus, inſtitutum hæc oratio:

Suſceptum à te bellum magnæ nobis haud immeritò curæ eſt. Etſi enim, qui ad nos tranſeunt, ἀκίνδυνα μὲν, χρονιώτερα δὲ *nuntiant: tamen in hac conſolatione ingens dolor ineſt; ſi diutiùs nos optata pax remoretur, cujus uſum ac ſuavitatem deſiderando tantùm percipimus. Verùm licèt pacem videre totâ cogitatione cupiam; rogo tamen, ne præproperè, nec niſi rebus ante bello firmatis, de pace cum hoſte conſtituas; cui vix imbecillo, nedum adhuc valenti credendum ſatìs exiſtimo. Quantùm poteris, ab omni te injuria abeſſe convenit &c.*

§. VIII.

Quid in Titulis atque Subſcriptionibus obſervandum?

Humanitatis leges Epiſtolam ſcripturos monent, ut decórum maximè in exordio litterarum * in contextu ** in Clauſula *** tum verò in titulis **** ſollicitè obſervent. De complicandis autem, obſignandíſque Epiſtolis aliquid monere, ſupervacaneum videtur; oculis hìc opus eſt.

* Epiſtolam ipſam præcedit titulus honoris in caſu Vocativo, qui familiæ, conditioni, ac dignitati perſonæ, ad quam ſcribitur, conveniat. e. g.

Sereniſſime Princeps.	Illuſtriſſime Comes,
Domine Clementiſſime!	Domine Gratioſiſſime!

** In Epiſtolarum contextu multi hodie aptiùs ad linguæ Latinæ indolem & veterum morem abſtractas locutiones devitant;

vitant; aut pro ipsis personis ponunt, quoties nempe ipsa abstracta commodum sensum pariunt: ita Muretus ep. 70. *Majestas TUA ad me scribere dignata est.* Similiter scribunt: *Majestatem tuam venerabor*, *Dignitati TUAE serviam*, *Amplitudinis TUAE studiosus sum.* Item: fecisti me certiorem, vir excellentissime, pro: *Excellentia vestra me certiorem fecit.* Qui verò abstractis locutionibus in tertia etiam persona utuntur liberiùs, v. g. *Dominatio vestra*, *vestra Serenitas*, *Reverentia*, *Paternitas vestra*, *Nobilitas*, *Amplitudo*, *dignitas vestra &c.* Illi receptæ inter suos consuetudini meritò serviunt, sobriéque malunt sapere, quàm aliorum dignitatem supercilio scholastico despicere videri.

*** Ad calcem litterarum recentiori more adjungimus nomen nostrum cum officiosa quadam formula, quæ tum personæ, ad quam scribimus, tum nobis conveniat. e. g.

ILLUSTRIS, EXCELLENTISSIMIQUE
NOMINIS TUI.

Cultor perpetuus.

Interdum: *ad officia quævis paratissimus*, *promptissimúsque*; *addictissimus*, *deditissimus*, *studiosissimus*, *obstrictissimus*, *devinctissimus*, *obedientissimus*, *subjectissimus*, *submissus*, *amantissimus*, *&c. servus*, *cliens*, *filius*, *frater*, *cultor &c.*

Alii repetunt abstractas locutiones, e. g. *Serenitatis*, *Excellentiæ*, *Dominationis*, *Reverentiæ* &c. *Cultor*, *Servus* &c. universè videndum, quid de his talibus sentiat is, ad quem scribimus, & illius opinioni genus litterarum nostrarum accommodandum est.

**** Rationes Titulorum, quos fronti Epistolarum inscribimus, & delicatæ admodùm sunt hodie, & multis mutationibus obnoxiæ. Tirones eo in genere consulant peritorum sententiam, vel libros eam rem deditâ operâ pertractantes adeant. Vide *Buchlerum*, *Appendicem ad Promptuarium Latinitatis* &c. Item Neu-eröffnetes Europäisches Titular-Buch &c.

PRO-

PROSODIA
PARS I. POETICAE
EMMANUELIS ALVARI
SOCIETATIS JESU
DE INSTITUTIONE
GRAMMATICA
LIBER III.
DE
SYLLABARUM DIMENSIONE,
NOVIS ANIMADVERSIONIBUS AUCTUS, ET ILLUSTRATUS.

Prolegomena.

DE LITTERIS, TONIS, ET SYLLABIS.

Versus ex pedibus constat: Pedes è Syllabis: At Syllabæ, de quibus nunc agendum est, fiunt ex litteris, vel unâ vel pluribus: ut I. E. Runt. Litteræ partim sunt vocales, partim consonantes.

Vocales sunt sex, A, E, I, O, U, Y.

Ex Vocalibus fiunt sex Diphtongi, AE, AU, EI, EU, OE, YI, ùt præmium, aurum, hei, Europa, pœna, harpyia.

Con-

Consonantes in *Mutas* & *Semi vocales* dividuntur.
Mutæ sunt octo: B, C, D, G, K, P, Q, T.
Semivocales itidem octo: F, L, M, N, R, S, X, Z.
Ex his quatuor sunt *Liquidæ*: L, M, N, R.

Sed M, & N, raró liquescunt, ídque in Græcis tantùm dictionibus, ùt: Tecmessa, Cycnus.

Duæ, X, Z, sunt *Duplices*, hoc est, valent duas consonantes; X, Cs, vel *Gs*; Z, Sd.

Veteres Z per duplex SS. reddebant, ùt: Massa, Patrisso, pro Maza, Patrizo.

F, præposita liquidis, L & R, vim habet mutæ, & syllabam facit communem.

Georg. 4. - - Stridet *rĕfluentibus* undis.
Aen. 11. - - mollia colla *rĕflectunt.*
Hor. 1. Serm. Sat. 4. portásque *rĕfregit.*
Ideo hanc plerique mutis adscribunt.

S, quamvìs immunis, ac sui juris sit (neque enim inter liquidas aut duplices numeratur) interdùm tamen liquescit, ùt suo loco dicemus.

H, sítne littera, an aspirationis nota, dubium, controversúmque est; in carmine vix ejus habetur ratio.

I. inter duas Vocales posita consonans est, atque duplex I valet, ùt: *Major*, *ajo*, *Maja*, *pejor*. Veteres I geminabant: *Maiior*, *Aiio*, *Maiia*, *peiior*. Vide *Quint.* L. 1. c. 3. *Priscianum* etiam L. 1. c. 4.

J & U, cùm vocalibus præponuntur, eásque comprimunt, fiunt consonantes, ùt: J*anua*, jec*ur*, *conjicio*, jo*cus*, ju*dex*, va*tes*, ve*lox*, vi*ta*, vo*x*, vu*ltus*.

Jota Græcorum nunquam est consonans. Quare in *Jason*, *Jambus*, *Jaspis* & ceteris, quæ planè sunt Græca, prima littera vocalis est.

Jod apud Hebræos semper consonans est, cùm vocalibus præponitur, ùt: *Joannes*, *Jacobus*. Itaque qui hæc atque alia ejusdem generis nomina per J consonantem efferunt, optimè quidem pronuntiant; qui verò per I vocalem, Græcos imitantur. Claudianus Græcorum more dixit: *Ne laceres versus, dux Jäcobe, meos.* Antiquis

tiquis tamen Poëtis major habenda est fides. Hor. L. 1. Sat. 5. *Credat Judæus Apella.*

U, post Q, litteram semper liquescit, ùt: *Quare*, *quæro*, *quia* &c. At post G, & S, modò liquescit, ùt: *Lingua*, *langueo*, *anguis*, *extinguo*, *suadeo*, *suavis*: modò integra est, suámque vim retinet, ùt: *Exiguus*, *suus*.

Litteræ liquescunt, cùm vim robúrque vocalis, aut consonantis amittunt.

DE TONIS, SIVE ACCENTIBUS.

Prosodia docet syllabarum quantitatem. Fundamentum hujus, & omnium de quantitate regularum est *auctoritas*, seu exemplum veterum Poëtarum, quâ præterea utimur, quando regulæ deficiunt, vel ignorantur. A Prosodia dependet *Accentus* sive *Tonus*.

Accentus est pronuntiandi ratio, quâ syllaba vel attollitur, vel deprimitur, ac proprio nomine *Tonus* vocatur.

Tonus sive *Accentus* est triplex: *Acutus*, *Gravis*, & *Circumflexus*.

(a) *Acutus* est, qui syllabam acuit & attollit, ac notatur lineolâ obliquâ in dextram ascendente, ùt: *Dóminus*.

(b) *Gravis* est, qui syllabam gravat, & deprimit: ac signatur lineolâ obliquâ in dextram descendente, ùt: *doctè*.

(c) *Circumflexus* est, qui syllabam longiori morâ effert; signum verò ejus ex superiorum notâ conflatur, ùt: *amâre*.

(Nota ejus ideo ex accentu acuto & gravi componitur; quia syllabam pariter & attollit cum acuto, & deprimit cum gravi. Unde longiori hìc tractu omnino opus est, quàm in acuto: nec proinde acutus cum circumflexo confundendus.)

TONORUM REGULAE.

Monoſyllaba dictio, ſi brevis aut poſitione longa ſit, acuitur; ùt: *vír*, *méns*. At naturâ longa circumflectitur; ùt: *môs*, *ſpês*.

In Diſſyllabis poſterior gravatur; prior autem, ſi naturâ fuerit longa, & brevis ſequatur, circumflectitur; ùt: *Rôma*, *Crêta*: aliàs acuitur; ùt: *Déus*, *bónus*, *Réges*.

In Polyſyllabis, penultimâ brevi, acuitur antepenultima, ùt: *Dóminus*, *dícere*. Penultima autem, ſi producatur, ſequente quidem brevi, circumflectitur, ùt: *Amâre*, *perôſus*. Longâ autem ſequente, acuitur, ùt: *ampléĉti*, *ſacérdos*. Ceteræ omnes ſyllabæ in polyſyllabis gravantur.

(a) Excipe compoſita in fis, fit, quæ in ultima ſimplicis accentum retinent, ùt: *calefís*, *calefít*.

(b) Etiam interrogatio interdum accentum transfert, præſertim cùm affectus eſt vehementior; ùt: *Siccine ais Parmenó?*

(c) Voces Enclicitæ rejiciunt accentum ſuum in ſyllabam præcedentem; ùt: *Lumináque*, *laurúsque* DEI.

(Non tamen hoc locum habet in *pleraque*, *quisque*, *ubique*, & ſimilibus: cujus cauſa eſt, quod *que* in iſtis non ſit enclitica. Nam ſunt hæ voces compoſitæ quidem, unam tamen rem ſignificantes. Contra quàm fit in *lumináque*, *laurúsque*, quæ valent, *&* *lumina*, *&* *laurus*: ut ſint duæ voces duarum rerum indices.)

Quædam in ultima, differentiæ causâ, vel circumflectuntur; ùt Ablativi, *Poëtâ*, *gloriâ*; & Genitivi 4tæ declin. *fructûs*, *anûs*, contracti ex antiquis, *fructuis*, *anuis*. Item Nominativi, Accuſativi, & Vocativi Plurales, *fructûs*, *anûs*, contracti ex *fructues*, *anues*. Vel acuuntur; ùt Adverbia, *aliquó*, *continuó*, *palám*, *docté*, *uná* & ſimilia: ſed in conſequentia orationis Acutus mutatur in Gravem, ùt fit apud Græcos. *Ergô* pro *cauſâ* circumflectitur in poſteriori.

Accentûs igitur nota communiter, differentiæ ergo, apponitur; ídque non tantùm in ultima ſyllaba fit; ùt in iis, quæ jam vidimus, ſed interdum etiam in penultima; ùt: *óccido*, & *occîdo*. Qui accentus paſſim apponunt, ex Grammaticorum præ-

præceptis ſcribunt: qui in eo haud ita religioſi ſunt, differentiam aliunde colligendam eſſe exiſtimant.

Quidam & ſyncopen paſſa circumflectunt; ùt: *Amâſſe, decrêſſe.* In cujusmodi interdum id fit diſcriminis cauſâ, ùt in Genitivo *noſtrûm.*

Græca Græco accentu meliùs efferri cenſent *Donatus, Serviúsque:* quod ſic reſtringunt *Marius Victorinus*, & *Alvarus*, ſi ſint planè Græca, & iisdem omnino litteris proferantur; ùt παραλιπομένων, paralipoménon; λιθόστρωτος, lithóſtrotos; ὀρθογραφία, orthographía.

Syllabæ partim breves, partim longæ, partim communes.

I. Syllabæ, quas temporibus metimur, aut ſunt *breves*, aut *longæ*, aut *communes.*

II. Tempus eſt ſpatium, intervallúmque, quo ſyllaba pronuntiatur. Syllaba brevis ex uno tempore ſive ſpatio conſtat, ùt: *ăt, ſĕd.* Longa ex duobus, ùt: *āh! ēn!* Communis eſt, quæ in verſu tum brevis, tum longa eſſe poteſt, quales ſunt priores in *ātlas, cȳclops:* mediæ in *tenēbræ, pharētra.*

III. Nulla vocalis apud Latinos perpetuò brevis, aut longa eſt. Apud Græcos e & o (Epſilon, & Omicron), quæ E & O breve valent, perpetuò ſunt breves, ùt *Origĕnes, Herodŏtus, Macedŏnes:* η & ω (Ita & Omega) quæ ε & ο longum valent, ſemper ſunt longæ, ùt mediæ ſyllabæ in *erēmus, idōlum.*

PRAECEPTA GENERALIA DE SYLLABARUM BREVITATE ET LONGITUDINE.

PRAECEPTUM I.

DE VOCALI ANTE VOCALEM.

Vocalis *ante vocalem* in latinis dictionibus brevis eſt, ùt: *Pŭer, fŭit, rŭit.*

Aen. 11. Disce *pŭer* virtutem ex me, verúmque laborem.

Aen. 2. Urbs antiqua *rŭit* multos dominata per annos.

Sic: Varĭus, alĕa, lĕo, frŭor, orĭor, mulĭer, mĭhi, dŭo, dĭes, melĭor &c.

Exceptiones.

I. *Fio* I. habet longum, nisi sequatur R. sin R sequatur, breve est, ùt.

Ovid. l. 1. *Trist. El.* 7. Omnia jam f*īent*, f*ĭeri* quæ posse negabam.

II. Interrogandi ac dandi casus quintæ declinationis E ante I producunt, ùt: *Diēi*, præter r*ĕi*, *spĕi*, *fidĕi*, ùt:

Aen. 9. Nunc adeo melior quoniam pars acta *diēi.*
Prud. in Symmach. Necquicquam superat *spĕi. Glycon.*

III. Genitivus in *ius* habet I longum in soluta oratione: in carmine tum breve, tum longum, ùt: *Illĭus*, *unīus*, *totīus*, *&c.* Præter *alterĭus*, quod ubique I habet breve; *alīus* verò longum.

Virg. 1. Georg. *Illĭus* immensæ ruperunt horrea messes.
Horat. l. 1. *ep.* 1. *Nullĭus* addictus jurare in verba Magistri.

(Sic: Utrĭus, neutrĭus, utrĭusque, solĭus, ipsĭus &c.)

(a) *Cāi*, *Pompēi*, *Vultēi*, & si qui sunt similes vocandi casus, penultimam habent longam, ùt:

Mart. l. 6. Quod peto, da *Cāi*, non peto consilium.

(b) *Ohe* primam habet communem, ùt:
Mart. l. 4. *ŏhe*, jam satis est, *ōhe* libelle.

Appendices de Græcis Vocibus.

I. *Aër*, *chorēa*, *platēa*, *Cytherēa*, *elegīa*, *Darīus*, & alia hujus generis, quæ vocalem ante vocalem longam habent, græca sunt.

Ovid. Met. 1. Terra feras cepit, volucres agitabilis *āër.*
Aen. 1. Parce metu *Cytherēa*, manent immota tuorum.

(Talia sunt: Dīus, Enȳo, Nāis, Lāis, Brisēis, Minōis, Machāon, Lycāon, Pīerides, Amphīon, Io, & quæ terminantur in Lāus, à λαὸς, ùt: Nicolāus, Menelaus.) &c.

(a

(a) *Chorea*, *platea*, interdum à Poëtis corripiuntur, ùt:

Aen. 6. Pars pedibus plaudunt, *chorĕas*, & carmina dicunt.
Hor. l. 2. *ep.* 2. Puræ sunt *platĕæ*, nihil ut meditantibus obstet.

(b) Nonnunquam solutâ Diphthongo, ει in e longum mutatur, ut κυθέρεϊα, ἐλεγέϊα, cythereia, elegeia, ùt:

Ovid. Met. 4. Exigit indicii memorem *Cytherēia* pœnam.
Idem. Eclog. 3. Flebilis indignos *Elegēia* solve capillos.

II. *Idea*, *Andreas*, *Sophia*, *Philosophia*, *Symphonia*, *Etymologia*, *Orthographia*, & alia quàm plurima vocalem ante vocalem corripiunt, licèt eadem nomina acutâ penultimâ multi viri docti more Græcorum in soluta oratione pronuntient, ùt:

Hor. in Art. Ut Grajas inter mensas *symphonĭa* discors.

Animadversiones.

Græcè discat, oportet, qui Græcorum Nominum quantitates scire voluerit: sæpe tamen moribus obtemperandum est contra id, quod Græca Prosodia requireret. De omni hac in re controversia, quæ Grammaticos in diversa trahit, hæc videntur verisimilia:

ia, *ium*, *ius*.

(a) Productè efferuntur Nomina mulierum, quæ in *ia* exeunt, v. g. λαοδάμεια, Laodamīa. Θάλεια, Thalia, ἱπποδάμεια, Hippodamīa, ἰφιγένεια, Iphigenīa, &c.

(b) Item Appellativa, v. g. ἐλεγεία, elegīa, ἀντιπάθεια, antipathīa, &c.

(c) Item ex Accentu Græcorum in ία *ia* desinentia, v. g. μανία, manīa, &c.

(d) Producuntur item ab aliquibus ξενοδοχεῖον, Xenodochīum, νοσοκομεῖον, nosocomīum, παιδαγωγεῖον, Pædagogīum &c. item: ἄρειος, Arīus, βασίλειος, Basilīus, δάρειος, Darius, ἡράκλειος, Heraclīus, βακχεῖος, Bacchīus. &c. sed hæc potiùs ex more; nam alia iisdem apud Græcos litteris scripta iidem correptè pronuntiant, v. g. Galatĭa, Heliconĭus, monopolĭum, græcè γαλάτεια, ἑλικώνειος, μονοπώλειον. In his itaque per syncopen è Diphtongo una vocalis demitur, ut possint corripi, in aliis relinquitur. A multis verò omnia ejusmodi nomina Græce in ειος, & εια, latinè in ius & ia exeuntia corripiuntur.

ea, eum, eus.

(a) Producuntur, quæ apud Græcos in εια, apud Latinos in *ea* terminantur: v. g. μήδεια, Medēa, ὀδύσσεια, Odyſsēa, καλλιώπεια, Calliopēa.

(b) Item, quæ Græcè in ειον, latinè in *eum* finiuntur, v. g. σίγειον, Sigēum, πρυτανεῖον, Prytanēum; huc ex more & accentu pertinet ἰδέα, idēa.

(c) Terminatio Græca in ειος, Latina in *eus* in omnibus ferè producitur, v. g. πυταγόρειος, Pythagorēus, &c. σαλομόνειος, Salomonēus, γιγάντειος, gigantēus &c. (in paucis Adjectivis κατὰ συγκοπὴν hoc E corripitur, v. g. à καισάρειος, Cæſarĕus.

PRAECEPTUM II.

Diphthongus longa eſt tum in Græcis, tum in Latinis dictionibus, ùt: *Aeneas*, *Meliboēus*, *praēmium*, *laus*.

Aen. 1. Miratur molem *Aēneas* magalia quondam.
Idem. Ecl. 1. O *Meliboēe*, Deus nobis hæc otia fecit.

Exceptio. Præpoſitio *Præ*, compoſita, cùm vocalem præcedit, brevis eſt, ùt:

Aen. 7. Stipitibus duris agitur, ſudibúsque *praĕuſtis*.

(Sic: Praĕambulo, praĕeo, praĕeſſe, praĕopto, praĕemo, praĕhabeo, praĕaſper, praĕacutus, &c. ùt: Ovid. Met. 7. Quos ubi viderunt *prĕaacuta* cuſpidis haſtas.)

PRAECEPTUM III.

Vocalis *ante duas conſonantes*, vel ante unam *duplicem*, vel ante I, ſequente aliâ vocali ejusdem dictionis, longa eſt poſitione, ùt: *Tērra*, *ārma*, *Arāxes*, *gāza*, *Mājora*, *Trōja*.

Aen. 3. *Tērra* procul vaſtis colitur Mavortia campis.
Aen. 2. Hoſtis hăbet muros, ruit alto à culmine *Trōja*.
Aen. 6. Diſcite juſtitiam moniti, & non *tēmnere* divos.
Ovid. 3. *Triſt.* & 5. Quò quisque eſt *mājor*, magìs eſt placabilis iræ.

Ap

Appendices.

I. Si altera consonans fuerit in fine præcedentis dictionis, altera in principio sequentis, vocalis nihilominùs longa erit, ut: *At pius.* A longum est positione duarum consonantium T. & P, quamvis sint in diversis dictionibus.

Aen. 1. At *pius* Aeneas per noctem plurima volvens.

II. Si utraque consonans, aut una duplex fuerit in principio sequentis dictionis, nihil ferè præcedéntem vocalem brevem juvabit.

Horat. 1. *Sat.* 3. - - - & mihi dulces.
Ignoscent, si quid *peccaverŏ stultus*, *amici.*
Aen. 2. Vitam in tenebris, *luctúquĕ trahebam.*

Peccavero, *luctúque* ultimas habent breves, quamvis duæ consonantes sint in principio sequentium dictionum.

EXCEPTIO I. DE LIQUESCENTIBUS.

Vocalis brevis ante mutam & liquidam ejusdem dictionis, in carmine communis est, ùt: *Cyclops;* at in soluta oratione, cùm penultima est, corripitur, ùt: *Volŭcris*, *tenĕbræ.*

Aen. 8. Ferrum exercebant vasto *Cyclopes* in antro.
Met. 3. Et primò similis *volŭcri*, mox vera *volūcris.*

(*Sic*: cerēbrum, fēbris, āprilis, cūprum, vertēbra, āgrestis, pātrius, perēgrinus, alăcris, āpricus, āprugnus, ēbrius, măcrum, sōbrius, Hēbræus, hȳbrida, prōbrum, rūbrum, nīgrum, ātrox, lābrum, fābrum, glābrum, lūcrum, lugūbris, salēbræ, ātlas &c.

Appendices.

I. Vocalis E ànte F & liquidas, frequenter corripitur, ùt: Reflecto, refluo, reflo, reflagito, refringo.

Aen. 2. Nec priùs amissam respexi, animúmque *rĕflexi.*
Ovid. Met. 5. Inque caput crescit, longósque *reflectitur* ungues.

II. *Ab-luo*, *ob-ruo*, *sub-levo*, *ad-nitor*, & cetera ex iisdem Præpositionibus composita nunquam primam corripiunt: necesse est enim, ut muta & liquida ad sequentem vocalem spectent, ùt: *tene-bræ*, *fune-bris*, &c. in *abluo* muta ad sequentem vocalem pertinet.

M & N, raro liquescunt, ídque in Græcis dictionibus duntaxat, ùt: Tecmessa, Cycnus, Terapna, Ichneumon.

Hor. l. 2. *od.* 4. Forma captivæ dominum *Tēcmessa.* (Sapph. est.)
Id. l. 4. *od.* 3. Donatura *Cȳcni*, si libeat sonum. (Asclep. est.)
Sil. l. 8. Ecce inter primos *Terăpnæo* à sanguine clausi.

EXCEPTIO II.

I inter duas vocales in compositis, bĭjŭgus, quadrĭjŭgus, simplex consonans est, non duplex: quare meritò præcedens vocalis corripitur.

Aen. 16. Interea *bĭjugis* infert se Lucagus albis.
Georg. 3. Centum *quadrĭjugos* agitabo ad flumina currus.

Verbis à *jacio* compositis, ùt *abjicio*, *rejicio*, *dejicio*, *subjicio* &c. Poëtæ interdum detrahunt alterum I, ut syllabam corripiant.

Aen. 10. Sic ait: atque oculos Rutulorum *rĕjicit* arvis.
Stat. Theb. 4. Tela manu *reĭcitque* canes in vulgus hiantes.
Sil. l. 3. Arjetat in primos, *obĭcitque* immania membra.

PRAECEPTUM IV.

DE PRAETERITIS DISSYLLABIS.

Præterita *dissyllaba* habent priorem longam, ùt: vēni, vīdi, lūsi.

Aen. 2. *Vēnit* summa dies, & ineluctabile tempus.
Georg. 1. *Vīdi* lecta diu, & multo spectata labore
Degenerare tamen.
Aen. 1. - - vanâ spe *lūsit* amantem.

(Sic: Lēgi, vōvi, pāvi, suēvi, fūdi, sprēvi, sīvi, lūsi, quīvi, sēdi, crēvi, nōvi, fōvi, fāvi, cūdi, lēvi, līvi, trūsi, trīvi, fōdi, ēgi, frēgi, nōvi, strāvi, mīsi, fūgi, flēvi, &c. cum compositis perlēgi, perlēgimus, assuēvi, confōdi, profūdi, attrīvi, consēdimus, exēgerat. &c.

Exceptio.

Sto, do, scindo, fero, rapiunt bibo, findo priores.
Hinc stĕti, dĕdi &c.

Mart. l. 1. Dixit, & ardentes avido *bĭbit* ore favillas.
Hor. A. P. Multa *tŭlit*, fecitque puer, sudavit, & alsit.
Aen. 1. Imperium sine fine *dĕdi*.

Appendix.

Compositum *abscīdi* habet penultimam communem.

Ovid. Met. 1. Nam cœlo terras, & terris *abscĭdit* undas.
Lucan. l. 4. *Abscīdit* nostræ multum sors invida laudi.

PRAE-

PRAECEPTUM V.

DE PRAETERITIS GEMINANTIBUS PRIMAM SYLLABAM.

Cùm prima ſyllaba præteriti geminatur; eadem, & ſecunda brevis eſt, niſi obſtent duæ conſonantes, ùt: cĕcĭni, cĕcĭdi, dĭdĭci, pĕpŭli.

Georg. 4. Tityre, te patulæ *cĕcĭni* ſub tegmine fagi.
Georg. 1. Non aliàs cœlo *cĕcĭderunt* plura ſereno
Fulgura,
Hor. A. P. Et quod non *dĭdĭci* ſanè neſcire fateri.

(Sic: tŭtŭdi, tĕtĭgi, pĕpĕri, pŭpŭgi, *cum compoſitis:* contŭdi, repŭli, addĭdĭci &c.) *cum duabus conſonantibus* fĕfēlli, pĕpērci, tĕtēndi, tŏtōndi, ſpŏpōndi, pŏpōſci. &c.)

Exceptio.

Excipiuntur *cĕcīdi* à cædo, *pĕpēdi* à pedo, in quibus ſecunda longa eſt; ùt in iis etiam, in quibus duæ conſonantes ſequuntur, ùt: *cŭcūrri, mŏmōrdi, fĕfēlli.*

Juven. Sat. 4. Ebrius ác petulans, qui nullum fortè *cĕcīdit*
Dat pœnas.
Aen. 6. Tempora dinumerans; nec me mea cura *fĕfēllit.*

PRAECEPTUM VI.

DE SUPINIS DISSYLLABIS.

Supina duarum ſyllabarum habent priorem longam, ùt: *vīſum, mōtum, lūſum.*

Aen. 5. Terribiles *vīſu* formæ, lethúmque, labórque.
Aen. 1. Quos ego: ſed *mōtos* præſtat componere fluctus.
Hor. 1. *Sat.* 5. *Lūſum* it Mæcenas: dormitum ego, Virgiliúsque.

(Sic: Nōtus, fōtus, vōtus, lōtus, pōtus, lātus, trūſus, rōſus, rīſus, rāſus, ſprētus, ſuētus, trītus, nātus, fātus, &c. *cum Compoſitis, & Derivatis:* Ignōtus, devōtio, lōtio, pōtio, arrōſus, insūtus, contrītus, nātura, contūſio, mōmentum, fōmentum, jūmentum, adjūmentum &c.)

Exceptio.

Rătum, ſătum, dătum, ſĭtum, lĭtum.
At reor, atque ſero, do junge, ciere, linóque.
ĭtum, rŭtum, quĭtum, ſĭtum.
Ire, ruóque, queo, ſivi rapuêre priores.

Ovid. 1. *Met.* Non tantùm ſegetes, alimentáque debita dives
Poſcebatur humus, ſed *ĭtum* eſt in viſcera terræ.
Idem 2. *Met.* Hìc sĭtus eſt Phaëton, currûs auriga paterni.
Aen. 2. Sat patriæ, Priamóque *dătum*.

Appendices.

I. *Cĭtum* à *cieo*, ſecundæ declinationis, priorem brevem habet, unde *concĭtus*, *excĭtus*, penultimâ brevi.

Aen. 9. Ferte *cĭti* ferrum, date tela, &ſcandite muros.
Met. 2. Nec fruitur ſomno, vigilantibus *excĭta* curis.
Aen. 12. Altior inſurgens, & curſu *concĭtus* heros.

Cītum verò à *cio*, quarti ordinis, priorem producit: unde *concītus*, *excītus*, penultimâ longâ.

Lucan. *l.* 5. Unde ruunt toto *concīta* pericula mundo.
Idem *l.* 1. Rupta quies populis, ſtratiſque *excīta* juventus.

II. *Ruo* nunc facit *rŭĭtum* ſupino; priſcis ſeculis *rŭtum* fecit, unde extant compoſita: *dirŭtum*, *erŭtum*, *obrŭtum*.

Ovid. in Epig. *Dirŭta* ſunt aliis, uni mihi Pergama reſtant.

III. *Stătum* videtur priorem habere communem, inde enim *ſtătus*, *ûs*: & *ſtătus*, *a*, *um*, priori brevi oriuntur; & compoſita, quæ per I efferuntur, ipſum corripiunt, ùt: *præſtĭtum*.

Ovid. Faſt. 4. Hic *ſtătus* in cœlo multos permanſit in annos.
Idem Faſt. 1. Muſa quid à faſtis non *ſtăta* ſacra petis?
Lucan. *l.* 3. Tunc res immenſò placuit *ſtătura* labore.

(a) Inde etiam ſtaturus, conſtaturus, & quæ per a efferuntur, eandem producunt.

Martial. *l.* 10. *Conſtătura* fuit Megalenſis purpura centum.

(b) Quæ tamen compoſita per *i* efferuntur, ùt: conſtituo, reſti-

ſtituo, i corripiunt, utì & ſtatio, ſtatua, ſtabulum, ſtatura (Subſtant.) ſtabilis, ſtativa &c.

Aen. 1. Itur in antiquam ſylvam *ſtăbula* alta ferarum.

Aen. 6. Unus, qui nobis cunctando *reſtĭtuis* rem.

PRAECEPTUM VII.

DE SUPINIS POLYSYLLABIS.

Supina in tum polyſyllaba, præcedente u, habent penultimam longam, ùt: *ſolūtum*, *indūtum*, *ſtatūtum*.

Aen. 9. Lumina rara micant; ſomno vinóque *ſolūti*
Procubuêre.

(*Sic:* Volūtum, conſūtum, conſpūtum, complūtum, dilūtum, argūtum, tribūtum, acūtum, *cum compoſitis:* tribūtarius, argūmentum, ſūtor, conſtitūtio.)

Item in itum, in præteritis in *Vi* per V conſonantem, ùt: *munivi*, *munītum*, *faſtidivi*, *faſtidītum*, *petivi*, *petītum*.

Ovid. 2. *Pont. el.* 3. En ego non paucis quondam *munītus* amicis.

Idem Triſt. 1. *&* 6. - - laudatus abunde,
Non *faſtidītus* ſi tibi, lector! ero.

Idem l. 1. *Pont.* *&* 4. Utque Machaoniis Pæantius artibus heros
Lenīto medicam vulnere ſenſit opem.

(*Sic:* quæsītus, oblītus, victus, audītus, polītus, nutrītus, sancītus, finītus.)

Exceptio.

Agnovi tamen & cognovi, agnĭtum, cognĭtum, penultimam brevem habent.

Ovid. Triſt. 1 *&* 4. Nunc mihi ſunt propriis *cognĭta* vera malis.

PRAECEPTUM VIII.

Supina in itum à præteritis in ui, per u vocalem,

lem, habent penultimam brevem, ùt: *monui*, *monĭtum*. &c.

Aen. 6. Discite justitiam *monĭti*, & non temnere divos.

Ovid. l. 1. *de pont.* & 3. Pœna etiam *merĭto* parcior illa meo est.

Aen. 8. Quadrupedante putrem *sonĭtu* quatit ungula campum.

(*Sic*: alĭtus, molĭtus, pinsĭtus, domĭtus, fruĭtus, genĭtus, nocĭtus, abolĭtus, tacĭtus, placĭtus, parĭtus, verĭtus &c. *Huc pertinet*: fugĭtum.)

PRAECEPTUM IX.

DE DERIVATIS.

I. Derivata sequuntur naturam eorum, à quibus derivantur, *lĕgebam*, *lĕgam*, *lĕge*, *lĕgito*, primâ brevi, quia oriuntur à præsenti *lĕge*, *lĕgis*, cujus prior itidem brevis est.

II. *Lēgeram*, *lēgissem*, *lēgero*, *lēgisse*, primâ longâ, quia à Præterito *lēgi* nascuntur, cujus prior etiam longa est.

III. *Arātrum*, *simulācrum*, *ambulācrum*, *lavācrum*, *volutābrum*, *involūcrum*, penultimâ longâ, quia à supinis *arātum*, *simulātum*, *ambulātum*, *lavātum*, *volutātum*, *involūtum* deducuntur, quorum penultima similiter longa est.

IV. Redĭtus, exĭtus, introĭtus, penultimâ correptâ, quia supina, unde fiunt, eandem habent brevem.

Exceptio.

Multa, quæ suæ originis naturam non sequuntur, usu, assiduáque Poëtarum lectione sunt discenda, cujusmodi sunt: *Fōmes*, *mōbilis*, *lāterna*, *rēgula*, quæ primam habent longam; cùm verba: *Fŏveo*, *mŏveo*, *lăteo*, *rĕgo*, à quibus proficiscuntur, eandem corripiant.

Contra

Contra *Lŭcerna*, *ărista*, *sŏpor*, *vădum*, primam corripiunt, cùm verba *lūceo*, *āreo*, *sōpio*, *vādo*, à quibus declinantur, eandem producant.

[*Sic* (a) *longa sunt à brevibus:* hūmanus ab hŏmo, vox vōcis à vŏco: rex rēgis & rēgula à rĕgo, sēdes à sĕdeo, mācero & măcer, hūmor ab hŭmus, jūcundus à jŏcus. &c.

(b) *Brevia à longis*: ăcerbus ab ācer, dux dŭcis à dūco, dĭcax à dīco, săgax à sāgio, ŏdium ab ōdi, nŏta à nōtum, mŏlestus à mōles, dĭsertus à dīssero &c.

PRAECEPTUM X.
DE COMPOSITIONE.

Composita brevitatem vel longitudinem simplicium sequuntur. In *consĕquor*, *effŏdit* E ante Q, & O ante D brevis est, quia in simplici *sĕquor*, *fŏdio*, etiam corripitur.

In præterito *effōdi* producitur, quia in simplici *fōdi* itidem longa est.

Attĭgi, *concĭdi*, *diffĭdi*, *elĭbi*, *rescĭdi*, I, litteram habent brevem, quia in simplicibus *tetĭgi*, *cecĭdi &c.* eadem vocalis corripitur.

Oblĭtum, *insĭtum*, *circumdătum*, *desĭtum*, penultimam ob eandem causam habent brevem; nam à *lĭtum* fit *oblĭtum*.

Aen. 11. Quàm facilè accipiter, saxo sacer ales, ab alto *consĕquitur* pennis sublimem in nube columbam.

Ovid. l. 1. *Met.* *Effŏdiuntur* opes, irritamenta malorum.

Appendices.

(a) Quantitas simplicium servatur in compositis, quamvis vocales mutentur: sic concĭdo, excĭdo, incĭdo, recĭdo, à cădo penultimam corripiunt; elĭgo, selĭgo à lĕgo.

Contra concīdo, excīdo, incīdo, occīdo, recīdo, à cædo eandem producunt: sic allīdo, collīdo, à lædo: exquīro, requīro, à quæro: obēdio, obēdis ab audio.

Ovid. Trist. 1. & 2. Scilicet *occĭdimus*, nec spes est ulla salutis

Juvenal. Sat. 7. *Occīdit* miſeros crambe repetita Magiſtros.
Hor. A. P. - - - ambitioſa recīdet
Ornamenta, parùm claris lucem dare coget.

(b) Hæc à ſimplicibus longis orta corripiuntur: dejĕro, pejĕro à jūro: pronŭba, innŭba, à nūbo: fatidĭcus, maledĭcus, cauſidĭcus, veridĭcus, à dīco, is: ſemisŏpitus à sōpitus; nihĭlum à ni & hīlum.

Hor. l. 2. Sat. 3. Stultitiâ ne erret, *nihĭlum* diſtabit, an irâ.
Mart. l. 3. *Epigr.* Eſſe *nihil* dicis, quidquid petis, improbe Cinna,
Si nil, Cinna, petis, nil tibi, Cinna, nego.

(c) *Connūbium* à *nūbo* ſecundam ſyllabam habet communem.

Geo. 3. Hectoris Andromache Pyrrhin, *connūbia* ſervas?
Aen. 1. *connŭbio* jungam ſtabili, propriámque dicabo.

(Participium *ambītus, a, um* longum, nomen *ambĭtus, ûs*, breve.)

Admonitio.

a) Hæ de Compoſitis & derivatis regulæ magnopere inculcandæ ſunt; nam plurimarum vocum quantitatem indicant. Multa ſimplicia vel primitiva è pronuntiatione compoſiti vel derivati, & contrà agnoſci poſſunt. Sic v. g. primam intelliges eſſe brevem in diſſyllabis ſimplicibus: *ăgo, ămo, ĕdo, bĭbo, cŏquo, cŏlo, rĕgo, tĕgo, ſtrĕpo*, &c. quia compoſita, mediâ brevi, efferuntur: *adĭgo, adămo, comĕdo, ebĭbo, concŏquo, recŏlo, dirĭgo, detĕgo, perſtrĕpo.* Primam longam habent: *rōdo, vēlo, hālo, fīdo, cūdo, trūdo, lūdo, pōno*, quia mediâ longâ dicitur: *arrōdo, revēlo, inhālo, confīdo, recūdo, retrūdo, collūdo, compōno.*

b) In triſyllabis ex pronunciatione tertiæ perſonæ compoſiti, ùt: *fŏveo, mŏveo, fŭgio, răpio, căpio, jăceo*. &c. primâ ſunt brevi, quia ſic effertur media in *confŏvet, admŏvet, refŭgit, erĭpit, incĭpit, adjăcet*, &c. Longâ: *rīdeo, mūgio, mūnio, fīnio:* quia ſic effertur *irrīdet, immūgit, præmūnit, defīnit*, &c.

DE

DE PRAEPOSITIONUM COMPOSITIONE.

Ab		ăbeo, - *Ad*		ădeo, - *Ante*		antĕfero.
Circum		circŭm-- *In*		ĭnuro, - *Ob*	ùt	ŏbeo.
	ùt	ago, - *Præter*	ùt	prætĕr - *Re*		rĕpendo.
Per		pĕreo, -		eo, -		
Sub		ſŭbeo, - *Super*		ſupĕraddo		breves ſunt.

Item A Græca præpoſitio, ùt: *Adamas*, *ădytum*, *ătomus*.

Ovid. 2. *de A.* Cede repugnanti, cedendo victor ăbibis.

Ovid. *l.* 1. *Pont. el.* 2. Sic inconſumptum Tityi, ſempérque rĕ*naſcens*
Non pĕr*it*, ut poſſit ſæpe pĕr*ire* jecur.

Idem 2. *de Art.* Nec quæ *pratĕriit*, iterum rĕ*vocabitur* unda.

Idem Faſt. 3. Immolat hunc Briareus factâ ex ăd*amante* ſecuri.

Exceptio.

Rēfert, hoc eſt, intereſt, ſeu neceſſe, *RE* habet longum.

Mart. l. 9. Multum, crede mihi, *rēfert* à fonte bibatur.

Virg. Georg. 2. - - - neque enim numero comprêhendere *rēfert*.

Præpoſitiones longæ.

A, E, DE, DI, SE, longæ ſunt, ùt: *āmitto*, *ēludo*, *dēduco*, *dīgero*, *sēparo*.

Ovid. Pont. 1. Ipſa Meduſa oculis veniat licèt obvia noſtris,
āmittet vires, ipſa Meduſa ſuas.

Ovid. Triſt. 1. Carmina proveniunt animo *dēducta* ſereno.

Idem Faſt. 1. Tempora *dīgereret* cùm conditor urbis, in anno
Conſtituit menſes quinque bis eſſe ſuo.

Exceptio.

Dĭſertus & *dĭrimo* di corripiunt.

Mart. l. 6. Quod tam grande Sophos clamat tibi turba togata;
Non tu, Pompei, cœna *dĭſerta* tua eſt.

Æn. 3. Cede Deo, dixitque, & prælia voce *dĭremit*.

cede Deo

PRO Præpoſitio.

PRO Præpoſitio brevis eſt apud Græcos, ùt: *prŏpontis*, longa apud Latinos, ùt: *prōficio*, *prōdeo*.

Ovid. Triſt. I. Verba miſer fruſtra non *prōficientia* perdo.

Idem Met. I. Jámque nocens ferrum, ferróque nocentius aurum *Prōdierat*.

Idem de Pont 4. Miſit in has ſi quos longa *prŏpontis* aquas.

Exceptio.

Corripe quæ *fundus*, *neptis*, *fugió*que, *nepós*que,
Et *fari*, *faſſus*, *fateor*, *fanúm*que creârunt.
Huc *prŏfugus* ſpectat, cui junge *prŏfano*, *prŏtervus*;
Huc *prŏficiſcor* ades, *prŏperare*, *prŏcella*, *prŏfectò*:
Túque *prŏpago* genus. Vitis *prōpago* recede.

Hor. I. *Sat.* 6. Infans námque pudor prohibebat plura *prŏfari*.

Idem A. P. Serpit humi, tutus nimiùm, timidúsque *prŏcellæ*.

Propert. l. 3. Magnum iter ad doctas *prŏficiſci* cogor Athenas.

Appendix.

Prŏpino, *prŏcuro* primam habent communem: *profundo* rariſſimè eandem producit.

A in Compoſitione.

Si prior pars compoſiti A vocali terminetur, producitur, ùt: *Trāno*, *trāduco*, *trādo*.

Tibull. l. I. Me mea paupertas vitæ *trāducat* inerti?

E in Compoſitione.

Si prior pars compoſiti E vocali terminetur, ferè brevis eſt, ùt: *liquĕfacio*, *tepĕfacio*, *nĕfas*, *ſtupĕfacio*, &c.

Juv. Sat. 13. Credebant hoc grande *nĕfas*, & morte piandum,
Si juvenis vetulo non aſſurrexerit.

Ovid.

Ovid. de Pont. I. Sic mea perpetuis *liquĕfiunt* pectora curis;
Ignibus admotis ùt nova cera ſolet.

Excipe Nēquis, nēqua, nēquod, nēquam, nēquitia, nēquaquam, nēquando, vidēlicet, venēficus, venēfica, ēheu.

Aen. 12. *Nēqua* meis eſto dictis mora: Juppiter hâc ſtat.
Ovid. in Epiſt. Barbara narràtur veniſſe venēfica tecum.
Virg. Ecl. 3. *Ēheu* quàm pingui macer eſt mihi taurus in arvo.

I vel Y in Compoſitis.

Si prior pars compoſitionis in I vel Y deſinat, corripitur, ùt: *omnĭpotens*, *trĭpes*, *bĭpes*, *Palĭnurus*, *Epĭdaurius*, *Polўdorus*.

Aen. 10. Tum pater *omnĭpotens*, rerum cuî ſumma poteſtas.
Ovid. de Pont. I. Afferat ipſe licèt molles Epidaurius herbas,
Sanabit nullâ vulnera cordis ope.
Mart. l. 5. Carpere *causĭdicus* fertur mea carmina; qui ſit,
Neſcio: ſi ſciêro, væ tibi *causĭdice*.

Exceptiones.

I. I *longum habent*: ibīdem, ubīque, īdem, (*pronomen virile*) bīgæ, quadrīgæ, bīduum, trīduum, sīquis, sīqua, sīquod, ſcīlicet, īlicet, tibīcen, melīphyllon, Trīnacria.

Mart. l. I. Difficilis, facilis, jucundus, acerbus, & *īdem*.
Ovid. Triſt. I. *Scīlicet* ùt fulvum ſpectatur in ignibus aurum,
Tempore ſic duro eſt inſpicienda fides.
Idem Faſt. I. Pauper *ubīque* jacet.
Ovid. Triſt. l. 4. Parva necat morſu ſpatioſum *vīpera* taurum.
Idem. *Sīqua* meis fuerint, ùt erunt, vitioſa libellis,
Excuſata ſuo tempore, lector, habe.

[*Ubicunque* frequentius habet I breve. *Mart. l.* I. Quid tecum cupis eſſe meos *ubĭcunque* libellos. *Ovid.* tamen produxit *Met. l.* 7. Servus *ubīcunque* eſt &c.]

II. Si I fixum non fuerit, ſed pro genere & caſu mutetur, longum erit, ùt: *quīdam*, *quīvis*, *quīlibet*, *tantīdem*, *plerīque*.

Mart. l. 3. Rumpitur invidiâ *quīdam*, chariſſime Juli,
Quòd me Roma legit, rumpitur invidiâ.

Ovid. Pollicitis dives *quīlibet* esse potest.

Hor. 1. *Sat.* 6. Ut *plerīque* solent, naso suspendis adunco
Ignotos.

O in Compositis.

O in Græcis dictionibus priorem compositi partem claudens corripitur, ùt: *Carpŏphorus*, *Cymŏthoë*, *Argŏnauta*, *Philŏmelus*, *Therŏmedon*, *pŏdagra*.

Mart. l. 3. Plus habuit Didymus, plus *Philŏmelus* habet.

Ovid. de Pont. 1. Non tibi, *Therŏmedon*, crudúsque rogabitur Atreus,
Quíque suis homines pabula fecit equis.

Id. ibid. Tollere nodosam nescit medicina *pŏdagram*.

Excipe: Quæ per ω (Omega) apud Græcos scribuntur, longa sunt. Γεωμέτρης, Geometra, λαγώπυς, lagopus, &c.

Mart. l. 7. Si meus auritâ gaudet *lagōpode* Flaccus.

Aen. 6. *Mīnōtaurus* inest, Veneris monimenta nefandæ.

DE INCREMENTO SINGULARI NOMINIS.

Quid sit Incrementum.

Si Genitivus singularis par fuerit Nominativo syllabarum numero, nullum erit incrementum, ùt: *Musa*, *musæ*; *Dominus*, *domini*.

Sin longior fuerit, tum penultima Genitivi incrementum erit, quæ in omnibus casibus utriusque numeri semper Genitivi quantitatem servat, ùt: *Sermo*, *sermōnis*, *sermoni*, *sermōnes*, *sermōnibus*: ubique O longum est, præter *bōbus*, ubi O producitur, quamvis in Genitivo singulari corripiatur *bŏvis*.

Ovid. de Pont. l. 1. Cernis, ùt in duris (& quid *bŏve* firmius) arvis
Fortia taurorum corpora frangat opus?
Idem ep. 3. Non profecturis littora *bōbus* aras.

Appendix.

Iter, ſupellex, & compoſita ex Caput, litteris PS finita duplici augentur incremento, ùt: *Itĭnĕris*, *ſupellēctĭlis*, biceps, *bicĭpĭtis*.

[*Nota.* Quæ de Nominum, ac præcipuè Verborum incrementis ſequuntur, Tironibus alioqui cùm è Primitivis, tum uſu nota ſunt pleraque. Quæ fortaſſe cauſa fuit, ut ceteri clariſſimi Nominis Grammatici de his ne mentionem quidem faciant. Quare his non inhærendum, ſed hinc ſtatim ad ultimas ſyllabas transgrediendum exiſtimem.]

Incrementum primæ Declinationis.

A incrementum primæ declinationis longum eſt, ùt: *Aulāi*, *pictāi*, *terrāi*.

Lucr. l. 6. Et quota pars homo *terrāi* ſit totius unus?
Aen. 9. Dives equûm, dives *pictāi* veſtis, & auri.

Incrementum ſecundæ Declinationis.

E, I, U, incrementa ſecundæ declinationis corripiuntur, ùt: *miſer*, *misĕri*; *vir*, *vĭri*; *ſatur*, *ſatŭri*.

Aen. 3. Non ignara mali, *misĕris* ſuccurrere diſco.
Aen. 12. Pro ſe quisque *vĭri* ſummâ nituntur opum vi.

[*Nomina ſecundæ:* liber, aſper, puer, proſper, Trevir. &c.]

Exceptio.

Iber, *Ibēri* penultimam habet longam, & ex eo compoſitum *Celtĭber*, *Celtibēri*.

Luc. l. 4. Interea domitis Cæſar remeabat *Ibēris*.
Mart. l. 1. Vir *Celtibēris* non tacende gentibus. *Jambic.*

Incrementa tertiæ Declinationis.

A incrementum ſingulare tertiæ Declinationis longum eſt, ùt: *Nobilitas, bonitas, mendax, pax, calcar, & Ajax.*

Ov. de Pont. l. 1. Magna tamen ſpes eſt in *bonitāte* DEI.
Idem ibid. el. 2. Maxime, qui tanti menſuram nominis imples,
Et geminas animi *nobilitāte* decus.
Id. Ibid. el. 7. - Non *mendāci* ſi quidquam credis amico.

[Sic: Aeſtas, felicitas, honeſtas, comitas, poteſtas, & infinita ejusmodi. Vectígal, Titan, lăquear, tribúnal, lacúnar, lupánar, fallax, petax. &c.]

Exceptiones.

I. *In vocibus latinis.* Corripe Maſculina in Al, & Ar, ùt: *Sal, Annibal, Amilcar.*
Par cum compoſitis, *hepar,* cum *nectăre, bacchar.*
Cum *văde*, *mas* & *anas*, queîs junges *lár*que *jubár*que.

Mart. l. 3. *Epigr.* Innocuos permitte *săles.*
Aen. 1. Vela dabant læti, & ſpumas *sălis* ære ruebant.
Hor. A. P. Verſibus *impăriter* junctis querimonia primùm:
Poſt etiam incluſa eſt voti ſententia compos.

II. *In Græcis vocibus.* Item Græca in A & As, ùt: Poēma, ſtemma, Pallas, *adis,* & quæ conſonantem habent ante S, ùt: trabs, arabs.

Et *dropax, anthrax, atrax,* cum *ſmilăce, climax,*
His *atăcem, panăcem, colăcem, ſtyrăcemque, facémque,*
Atque *abăcem, corăcem, phy̆lacem,* compoſtáque nectes.

Juv. Satyr. 8. *Stemmăta* quid proſunt, quid prodeſt, Pontice! longo
Sanguine cenſeri?
Hor. A. P. Non ſatìs eſt, pulchra eſſe *Poēmăta*, dulcia ſunto.
Ov. Faſt. 4. Nam modò Thurilegos *Arăbas*, modò ſuſpicit Indos.

Appen-

Appendix.

a) *Græca in A* corripiuntur, ùt: dogma, ſtroma, aroma, ſcomma, rheuma, diadema, phlegma, glaucoma, periſtroma. &c.

b) Item *Græca in As*, ùt: lampas, monas, nomas, trias, olympias, hebdomas, Dryas &c. *Duplex conſonans ante S*: lælaps, daps.

E incrementum Tertiæ.

E incrementum ſingulare tertiæ declinationis breve eſt, ùt:

Degener, atque *vetus*, *pulvis*, cum *funĕre*, *nex*, *grex*.
Perſ. Sat. 5. Pelliculam *vetĕrem* retines, & fronte politus
Aſtutam vapido geſtas ſub pectore vulpem.
Ovid. Triſt. l. 1. Quo *pĕde* cœpiſti, ſic bene ſemper eas.
Aen. 4. *Degenĕres* animos timor arguit.
Virg. Georg. 2. Pomáque *degenĕrant* ſuccos oblita priores.

[*Sic*: Pauper, teres, verber, ſidus, abies, mulier, ſiſer, piper, cadaver, cucumis, paries, vomis. &c.

Exceptiones.

I. Genitivus *enis* penultimam habet longam, ùt: *Ren*, *rēnis*, *Siren*, *ſirēnis*.

Ver, & *Iber*, *locuples*, *hæres*, *mercés*que, *quiés*que.
Lex, *vervex*, *halec*, *ſeps*, *plebs*, *Rex*, inſuper *halex*.
Juv. Sat. 1. *Vervēcum* in patria, craſſóque ſub aëre naſci.
Ovid. Met. 1. Sponte ſuâ, ſine *lēge*, fidem rectúmque colebat.
Hor. A. P. Res geſtæ *Rēgúmque*, ducúmque, & triſtia bella
Quo ſcribi poſſent numero, monſtravit Homerus.

II. Item peregrina in El, ùt: *Michaël*, & Græca in Er & Es, ùt: *Crater*, *Rhamnes*, *tapes*, *ſoter*, *luter*, *lebes*, præter *aër* & *æther*.

Aen. 1. *Cratēres* magnos ſtatuunt, & vina coronant.
Ovid. Faſt. 3. Sextus ubi è terrâ clivoſum ſcandet olympum
Phœbus, & alatis *æthĕra* carpet equis.

I vel Y Incrementum Tertiæ.

I vel Y Incrementum ſingulare tertiæ declinationis breve eſt, ùt:

Fulmen, *origo*, *pugil*, *nomen*, cum *ſanguĭne*, *princeps*,
Et *chlamys*, atque chalybs: homĭnem cum pollĭce junges.

Ov. de Pont. l. 1. Cùm feriant unum, non unum *fulmĭna* terrent.
Id. Faſt. l. 3. O quàm de tenui Romanus *origĭne* crevit?
Id. Triſt. l. 1. Icarus Icariis *nomĭna* fecit aquis.
Id. Ibid. el. 3. Jámque quieſcebant voces *homĭnúmque* canúmque,
Lunáque nocturnos alta regebat equos.

[*Sic:* Stipes, gurges, ceſpes, ordo, carmen, fomes, iris, palmes, lapis, lenímen, cólumen &c.]

Exceptiones.

I. Genitivus in *Inis* vel *Ynis* à nominibus Græcis penultimam producit, ùt: *Delphin*, *Phorcy*, *Salamis*.

Item: *Neſis*, *Nesīdis*, *Gryphs*, *Grȳphis*, *vibex*, *vibīcis:*
Glis, *glīris*, *dis*, *lis*, *ſamnis*, quibus adde *Quirītem*.

Aen. 6. Noctes atque dies patet atri janua *Dītis*.
Eclog. 2. Orpheus in ſylvis, inter *Delphīnas* Arion.

II. Nomina in Ix vel Yx ſyllabâ finita penultimam Genitivi habent longam, ùt: *felix*, *bombyx*, *cervix*.

Aen. 3. Vivite *felīces*, quibus eſt fortuna peracta
Jam ſua.
Hor. A. P. Humano capiti *cervīcem* pictor equinam
Jungere ſi velit, & varias inducere plumas.

III. I breve ſervârunt *hiſtrix*, cum *fornĭce*, *varix*,
Coxendixque, *cilix*, *chœnix*, *natrix*que, *calix*que,
Atque *calix* Danaûm, nectes *Erȳcém*que, *nĭvém*que,
Sardonȳchi ſociatur *onyx*, *pix* hæret utrique,
Et *ſalĭces*, *ſilĭces*, *larĭces*, ſit *Bebrȳcis* anceps:
Sed brevibus junges in *Gis* cùm patrius exit;
Coccyx coccȳgis, *maſtix* maſtīgis amabit.

Lucian.

Lucian. l. 2. Armenios, *Cilĭcásque* feros, taurósque ſubegi.
Id. l. 3. Nunc *pĭce*, nunc liquidâ rapuêre incendia cerâ.

O incrementum Tertiæ.

O incrementum ſingulare tertiæ declinationis longum eſt, ùt:

Unio, ſol, Telamon, pictor, vox, atque *ſacerdos.*

Virg. Georg. 1. Sol tibi ſigna dabit, *sōlem* quis dicere falſum
Audeat?

Hor. A. P. - - *Pictōribus* atque Poëtis
Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.

Ov. de Pont. l. 3. Vos etiam ſeri laudabunt ſæpe *nepōtes.*

Exceptiones.

I. Græca in On, quæ in obliquis habent omicron, corripiuntur, ùt: *Philémon, Palæmon, ſindon, Pandion, Agamemnon, Jaſon, Amázon,* & multa alia, quæ uſu ſunt diſcenda.

Ov. de Pont. l. 1. Cùm bene ſint clauſæ caveâ *Pandiŏne* natæ,
Nititur in ſylvas quæque redire ſuas.

Aeneid. 2. Pulſant, & pictis bellantur *Amazŏnes* armis.

[*Sic:* Aríon, Icon, Pyracmon, Caſtor, artĕmon, Actæon, dæmon, Oríon, Lycáon. &c.]

a) Latini interdum N litteram omittunt, ùt: *Macĕdo, Macedŏnis, Agamemno, Agamemnŏnis.*

Stat. Theb. 11. Conclamant Danai, ſtimulátque *Agamemnŏ*
valentes.

b) Quæ verò per Omega ſcribuntur, longa ſunt, ùt: *Simon, Agon, Sidon, Solon, Naſo.*

Ovid. de Pont. l. 1. Et mala *Nasōnem*, quoniam meruiſſe
videtur,
Si non ferre doles, at meruiſſe dole.

[*Sic Græcorum diſſyllaborum magna pars,* ùt: Zenon, Triton, Conon, Thraſo, Theon, Minos, Juno, Dion, Ammon, Dido, Lacon, Spadon. &c. *Orion* & *Aegon* variantur.

II. Genitivus in *oris* à nominibus Græcis, & Latinis neutris, præter *os ōris*, penultimam habent brevem, ùt *Neſtor*, *marmor*, *pectus*, *ebur*, *corpus*, quibus adduntur *memor*, *arbor*, *lepus*, & ex πῦς ποδὸς, *pus podos*, compoſita, ùt: *tripus*. Item: *Bos*, *compos*, & *impos*.

Ovid. de Pont. l. I. Crede mihi Pylio *Neſtŏre* major ero.
Virg. in Epigr. Sic vos, non vobis, fertis aratra *bŏves*.
Horat. A. P. Omne ſupervacuum pleno de *pectŏre* manat.
Idem ibidem. Grajis ingenium, Grajis dedit *ōre* rotundo
Muſa loquī, præter laudem, nullius avaris.
Ovid. de Pont. l. I. Ménsque magìs gracili *corpŏre* noſtra valet.
Idem ibidem. Neſcio, quâ natale ſolum dulcedine cunctos
Ducit, & *immemŏres* non ſinit eſſe ſuî.

III. Corripiuntur etiam *Cappadox*, *præcox*, & quæ conſonantem habent ante S, ùt: *Scrobs*, *Aethiops*, *Dolops*, præter *Cyclops*, *Cercops*, *hydrops*.

Aen. 2. Hìc *Dolŏpum* manus, hic ſævus tendebat Achilles.
Ovid. Met. I. Tela reponuntur manibus fabricata *Cyclōpum*.

U incrementum Tertiæ.

U incrementum tertiæ declinationis breve eſt, ùt:

Dux, *ligur*, & *pecus*, *intercus*, cum *præſule turtur*.
Georg. 4. Magnanimósque *dŭces*, totiúsque ordine gentis.
Sil. l. 10. Dulcia præbebat *trŭcibus* ſpectacula Pœnis.
Juv. Sat. 11. Annoſam ſi fortè *nŭcem* dejecerat Eurus.

[*Sic*: Exul, redux, murmur, furfur, turtur, tradux, &c.]

Exceptio.

Interrogandi caſus, *udis*, *uris*, *utis*, penultimam habent longam, ùt: *Palus*, *palūdis*, *tellus*, *ūris*, *virtus*, *virtūtis*. Quibus addenda ſunt: *Pollux*, *lux*, & *frugis*, *frugi*, & ceteri obliqui.

Virg. Ecl. 3. Quid domini facient, audent cum talia *fūres*?
Tibull. l. 2. *Ecl.* I. *Lūce* ſacrâ requieſcit humus, requieſcit arator.

Ovid.

Ovid. 1. *Trist.* Ablatum mediis opus est *incūdibus* istud,
Defuit & scriptis ultima lima meis.
Aen. 6. Et dubitamus adhuc *virtūtem* extendere factis.

[*Sic:* Senectus, juventus, rus, thus, subscus, salus, mus. &c.]

DE INCREMENTO PLURALI NOMINIS.

Penultima Genitivi vel Dativi Pluralis numeri dicitur incrementum plurale, cùm uterque casus est longior Nominativo ejusdem numeri, ùt: *Musæ*, *Musarum*; *ambo*, *amborum*, *ambobus*; *quis*, *quæ*, *quod*, *quibus*; *res*, *rerum*, *rebus*.

PRAECEPTUM I.

A, E, O, incrementa multitudinis longa sunt, ùt: *hārum*, *rērum*, *rēbus*, *aliorum*, *virōrum*.

Aen. 1. Durate, & vosmet *rēbus* servate secundis.
Hor. A. P. Qui mores hominum *multōrum* vidit, & urbes.
Ovid. de Pont. 1. - - non sum, qui segnia ducam
Otia: mors *nōbis* tempus habetur iners.
Juv. Sat. 8. - - miserum est, *aliōrum* incumbere famæ.

PRAECEPTUM II.

I & U, incrementa multitudinis corripiuntur, ùt: *quĭbus*, *trĭbus*, *virĭbus*, *fluctĭbus*, *lacŭbus*.

Ovid. Fast. 4. Sunt delicta tamen, *quĭbus* ignovisse velimus.
Hor. A. P. *Versĭbus* exponi tragicis res comica non vult.
Idem ibid. Sumite materiam vestris, qui scribitis, æquam
Virĭbus, & versate diu.
Hor. A. P. Qui variare cupit rem prodigialiter unam,
Delphinum sylvis appingit, *fluctĭbus* aprum.

DE VERBORUM INCREMENTO.

Quid sit Incrementum Verbi.

I. Secunda persona singularis, modi indicativi, norma est, ad quam verborum incrementa diri-

guntur, cui ſi verbum ſit æquale, nullum erit incrementum, ùt: *amat*, *amant*; quia diſſyllaba ſunt, ſicut *amas*, (quæ norma & regula eſt incrementorum) nullum habent incrementum. Sin Verbum longius ſit unâ ſyllabâ, unum habebit incrementum, ùt: a-*ma*-mus, a-*ma*-tis, quorum penultima incrementum eſt: nam ultima nunquam dicitur incrementum: ſi duabus ſyllabis augeatur, duo erunt incrementa, ùt: a-*ma*-*bi*-tis, a-*ma*-*bi*-mus: ſi tribus, tria, ùt: a-*ma*-*ve*-*ri*-mus, a-*ma*-*ve*-*ra*-tis: ſi denique quatuor, totidem erunt incrementa, ùt: au-*di*-*e*-*ba*-*mi*-ni.

II. In verbis Deponentibus fingenda eſt vox activa, ad quam verborum incrementa dirigantur.

III. Ultima ſyllaba, ùt modò diximus, nunquam eſt incrementum: Prima verò eſt, ſi norma ipſa ſit monoſyllaba, ùt: *Das*, *fles*; *da*mus, *da*tis, *da*bam, *da*re, & cetera diſſyllaba unum habent incrementum: eodem modo, *fle*bam, *fle*mus, *fle*re, *fle*tis. &c.

PRAECEPTUM I.

A in omni Verborum incremento producitur, ùt: *properāmus*, *mutātur*, *ſervāre*, *teneātis*, *celebrābit*.

Ovid. Met. 10. Seriùs aut citiùs metam *properāmus* ad unam.
Hor. A. P. Iram - - colligit, & ponit temerè, & *mutātur* in horas.
Id. 1. *ep.* 20. Quis enim invitum *ſervāre* laboret?
Idem A. P. Riſum *teneātis* amici.
Æn. 2. Trojáque nunc *ſtāres*, Priamíque urbs alta maneres.

Exceptio.

Exceptio.

A primum duntaxat incrementum verbi do, das corripitur, ùt *dămus*, *dătis*, *dăre*, *dăbunt*, *dăti*: ob quam causam pronunciamus, *circumdămus*, *circumdăta*, *venundo*, *venundăre*, *pessumdo*, *pessumdăbo*, & cetera penultimâ brevi.

Ovid. l. 1. *Trist.* - - Consilium résque, locúsque *dăbunt*.
Idem. el. 5. Cúmque novâ mores sunt tibi luce *dăti*.
Aen. 2. His lacrymis vitam *dămus*, & miserescimus ultro.

[*Redundāmus* autem, *redundābo*, *redundāre* &c. longa sunt: Non enim à *do*, *das*, *dedi*, sunt, sed ab *undo*, *undas*, *undavi*. Sic etiam *abundāre*, *exundāre*, *inundāre*.]

PRAECEPTUM II.

E in omnibus Verborum incrementis producitur, ùt: *flēbam*, *rēbar*, *lacerēris*, *precētur*, *moriētur*, *nascētur*, *relevētur*. &c.

Hor. A. P. Parturient montes, *nascētur* ridiculus mus.
Idem ibid. ˉ ˘ Deósque *precētur* & oret,
Ut redeat miseris, abeat fortuna superbis.
Ov. de Pont. 1. Non est in medico semper, *relevētur* ut æger.
Hor. A. P. Si vis me *flēre*, dolendum est
Primùm ipsi tibi.
Ov. de Pont. 2. Acer, & ad palmæ per se cursurus honores,
Si tamen *hortēris*, fortiùs ibit equus.
Idem Fast. 1. Linguis animísque *favēte*.

Exceptiones.

I. E ante R breve est in quovis Præsenti, & Imperfecto tertiæ Conjugationis, ùt: *cupĕres*, *fugĕre*, *vivĕret* &c. Reris tamen & rere producitur, ut: *loquerēris*, *prosequerēre*.

Hor. 1. *ep.* 1. Virtus est vitium *fugĕre*, & sapientia prima.
Ov. Trist. 1. *Vivĕre* me dices, salvum tamen esse negabis,
Id quoque, quòd vivam, munus habere DEI.
Id. Ib. el. 1. Vitaret cœlum Phaëton, si *vivĕret*, & quos
Optârat stultè, *tangĕre* nollet equos.
Idem ibid. Ut neque *respicĕres*, neque *solarēre* jacentem.

II. E

II. E ante *ram*, *rim*, *ro*, corripitur, ùt *amavĕram*, *amavĕrim*, *amavĕro*, *fecĕram*, *fecĕrim*, *fecĕro*. De ceteris personis idem esto judicium, ùt *amavĕris*, *amavĕrit*, *amavĕrimus*, *amavĕramus*, *ĕram*, *ĕratis*, *ĕrimus*, à *sum*.

Ovid. l. 1. *Trist.* Hæc mihi semper *ĕrunt* imis infixa medullis.

Id. de Pont. 3. Tunc igitur meriti morietur gratia vestri,
Cùm cinis absumpto corpore factus *ĕro*.

Id. Met. 3. *Fecĕrat* exiguas jam sol altissimus umbras.

Hor. A. P. - - cui lecta potenter *ĕrit* res,
Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo.

III. *Beris* & *Bere* semper corripitur, ùt *celebrabĕris*, vel *celebrabĕre*, *mordebĕris*, vel *mordebĕre*.

Ovid. Trist. 1. Tu, cave, defendas, quamvis *mordebĕre* dictis.

Aen. 2. Semper honore meo, semper *celebrabĕre* donis.

Appendix.

Poëtæ in præterito Indicativi E literam ante *runt* syllabam pro suo jure interdum corripiunt.

Aen. 3. Obstupui, *stetĕruntque* comæ, & vox faucibus hæsit.

Hor. ep. 1. Dii tibi divitias *dedĕrunt*, artémque fruendi.

[Ne tamen putent novi Poëtæ, idem sibi passim licere, in brevi præsertim poëmate.)

PRAECEPTUM III.

I, in quovis Verborum incremento corripitur, ùt *vadĭmus*, *peregĭmus*, *tundĭtur*, *audiebamĭni*.

Aen. 2. *Vadĭmus* haud dubiam in mortem.

Ov. de Pont. 1. Nos quoque præteritos sinè labe *peregĭmus* annos.

Virg. Ecl. 3. *Claudĭte* jam rivos, pueri, sat prata biberunt.

Exceptio.

Penultima præteriti in *ivi*, longa est, ùt *petīvi*. Et primum incrementum quartæ conjugationis, ut: *ībam*, *ībo*, *īto*, *subīmus*, *scīmus*, *venīmus* præsentis temporis; nam *imus* in præterito corripitur, ùt *venĭmus*.

Aen.

Aen. 6. Tu ne cede malis, ſed contra audentior *īto.*
Hor. A. P. *Scīmus*, & hanc veniam petimúſque, damúſque viciſſim.
Ov. de Pont. 1. - - Sic ad tua verba revixi,
Ut ſolet infuſo vena *redīre* mero.
Id. Triſt. l. 1. Nullus ad amiſſas *ībit* amicus opes.
Id. Met. 1. Flumina jam lactis, jam flumina nectaris *ībant.*

[Hæc etiam I longum habent: *nolīto*, *nolīte*, *nolīmus*, *nolītis*, *velīmus*, *velītis*, *sīmus*, *sītis*, & quæ ex ipſis componuntur, ùt: *poſsīmus.*]

Appendix.

Tempora conjunctivi modi ſyllabis *rimus* & *ritis* finita, habeántne penultimam brevem an longam, certant non ſolùm recentiores, ſed etiam veteres Grammatici. Tu, ſiquid tibi recitandum erit, ne ſermonem des Auditoribus, conſuetudini regionis ſervies.

PRAECEPTUM IV.

O in verborum incrementis ſemper producitur; U ſemper corripitur, ùt: *facitōte*, *sŭmus*, *volŭmus.*

Ovid. Met. 5. Cúmque loqui poteris, matrem, *facitōte*, ſalutes.
Hor. ep. 1. Nos numerus *sŭmus*, & fruges conſumere nati.

DE ULTIMIS SYLLABIS.

Syllabæ, quæ ultimum locum tenent, partim poſitione, ùt *prudēns*, *præcōx*; partim diphthongo, ùt *Mūſæ*; partim privatis præceptionibus cognoſcuntur, de quibus nunc agendum eſt.

A, in fine.

A finita longa ſunt, ùt: *ultrā*, *fruſtrā*, *præſtā*, *anteā*, *trigintā*, quanquam hæc Numeralia correpta reperiuntur interdum.

Ov. de Pont. l. 1. Hostis adest dextrâ, lævâque *à* parte timendus.
Idem ibid. l. 2. Lingua sile, non est *ultrā* memorabile quidquam.
Hor. 2. *Sat.* 2. -- Nam *frustrā* vitium vitaveris illud,
Si te aliò pravum detorseris.

Corripe *Ejă, ită, posteă, quiă*, item casus omnes in A, ùt: *famă, obsoniă*, præter Ablativum, ùt: de *prorā*, & Vocat. Græcos, ùt: o *Aeneā*, o *Atlā, Calchā, Pallā*.

Aen. 4. *Famă* malum, quo non aliud velocius ullum.
Hor. A. P. Singulă quæque locum teneant *sortită* decenter.
Ov. Trist. Judicis officium est, ùt res, *ită* tempora rerum
Quærere.
Virg. Ecl. 2. ˘ ¯ ˘ trahit *suă* queinque voluptas.
Aen. 6. Nunc animis opus *Aeneā*; nunc pectore firmo.

E in fine.

E litterâ finita corripiuntur, ùt: *fontĕ, mentĕ, deniquĕ, nempĕ, commisissĕ*.

Ovid. de Pont. 3. Gratiùs ex ipso *fontĕ* bibuntur aquæ.
Stat. l. 5. Jam senior, sed *mentĕ* virens.
Hor. A. P. Deniquĕ sit quodvis simplex duntaxat & unum.
Idem ibid. Commisissĕ cavet, quod mox *mutarĕ* laboret.

Exceptiones.

I. Producuntur (a) omnia primæ & quintæ declinationis, ùt ô *Anchisia̅dē, speciē, Calliopē, rē, diē*, cum compositis: *quarē, meridiē*. Item *famē, cetē, tempē*.

(b) Omnia verba secundæ conjugationis, imperativi modi, singularis numeri, ùt: *docē*. *Cavĕ* autem tutiùs corripitur.

(c) Omnia monosyllaba, *mē, tē, sē, dē, nē*, (ut non.) Sed ēnclitica, quĕ, nĕ, vĕ, cum adjectionibus pte, ce, te, ùt *suaptĕ, hiscĕ, tutĕ*, corripies.

Aen. 6. Tros *Anchisiadē*, facilis descensus averni.
Hor. A. P. Decipimur *speciē* recti.
Idem A. P. Primo *nē* medium, medio *nē* discrepet imum.
Ov. de Pont l. 1. *Estque* pati pœnam, quàm meruisse, minus.

Hor.

Hor. 1. *ep.* 2. Ut jugulent homines, ſurgunt *dē* nocte latrones.

Idem ep. 7. Verba probas, & facta *docē*, vel junior audi.
Ov. Triſt. 1. Tu *cavē* defendas, quamvis mordebere dictis.
Virg. in epiſt. *Tantanĕ* vos generis tenuit fiducia veſtri?

II. Longa ſunt præterea *ferē*, *fermē*, *ohē*, & adverbia à nominibus adjectivis ſecundæ declinationis (ſed quæ à nominibus tertiæ, brevia ſunt ùt facilĕ) *valde*, *à validus*, *latè*, *ſummè*. *Benĕ tamen & malĕ corripiuntur.*

Juven. Nulla *ferē* cauſa eſt, in quâ non fœmina litem
Moverit.
Hor. 2. *ep.* 2. Bonus *ſanē* vicinus amabilis hoſpes.
Idem A. P. Purpureus, *latē* qui ſplendeat, unus & alter
Aſſuitur pannus.
Catull. carm. 76. Nam quæcunque homines *benĕ* cuîquam aut dicere poſſunt
Aut facere; hæc à te dictáque, factáque ſunt.

I. in fine.

I. Vocali terminatà longa ſunt, ùt: *aurī*, *humī*, *humilī*, *fierī*, *animī*.

Hor. A. P. Nunquam te fallant *animī* ſub vulpe latentes.
Aeneid. 3. Sternitur, exanimiſque tremens procumbit *humī* bos.
Aen. 3. *Aurī* ſacra fames quò non mortalia cogis
Pectora!
Hor. A. P. Migret in obſcuras humilī ſermone tabernas.

Corripe nisĭ, quasĭ, & Græca in I vel Y, ùt: *Palladĭ*, *Daphnĭ*, *Molĭ*, *Alexĭ*. Mihĭ verò, tibĭ, ſibĭ habent ultimam communem: ibĭ, ubĭ, cuĭ diſſyllabum, frequentiùs brevem.

Virg. Ecl. 2. O Corydon, o *Alexĭ*, trahit ſua quemque voluptas.
Silius l. 13. Ipſa quidem virtus *ſibĭmet* pulcherrima merces.
Hor. in Epod. Reddit *ubī* Cererem tellus inarata quot annis.
Ovid. de Pont. 1. Fert *ubĭ* perpetuas obruta terra nives.

O in fine.

O finita ambigua ſunt, ùt; *quandŏ*, *vigilandŏ*, *nolŏ*.

Horat. A. P. Indignor, *quandōque* bonus dormitat Homerus.
Mart. l. 5. *Nolŏ* mihi ponas Rhombum, mullúmve bilibrem;
Nolō Boletos: ostrea *nolŏ*: tace.
Ov. de Ponto 1. Pœnitet, ō si quid miserorum creditur ulli,
Pœnitet & facto torqueor ipse meo.

Exceptio. Longa tantùm sunt 1.) Monosyllaba, ùt *stō*, *dō*. 2) Dativus & Ablativus, *somnō*, *Mercuriō*. 3) Græca, quæ habent Omega, ùt: *Androgeō*, *Athō*, *Cliō*, *Alectō* &c. item *ergō* pro causâ, *adeō* & *ideō*. 4) Adverbia à nominibus orta, ùt *subitō*, *meritō*. Sed *modŏ* cum compositis, ùt: *postmodŏ* &c. *citŏ*, *imŏ*, *sciŏ*, *duŏ*, *nesciŏ* ultimam habent brevem tantùm; adverbium *serō*, conjunctio *verō* communem.

Aen. 4. Omnia *Mercuriō* similis, vocémque, colorémque
Et flavos crines.
Mart. l. 3. Tam *subitō* corvus, qui modò cygnus erat.
Hort. A. P. Verborum vetus interit ætas,
Et juvenum ritu florent *modŏ* nata, vigéntque.
Idem ibid. Qualis ab *inceptō* processerit, & sibi constet.
Mart. l. 5. *Prō* meritis cœlum tantis, Auguste, dederunt
Alcide *citŏ* Di, sed tibi *serŏ* dabunt.
Tibull. Heu *serō* revocatur amor.

U in fine.

U finita longa sunt, ùt: *Diū*, *metū*, *manū*, *vultū*, *Panthū*.

Ov. Trist. 1. Dum juvat, & *vultū* ridet fortuna sereno,
Indelibatas cuncta sequuntur opes.
Hort. A. P. Vos exemplaria Græca
Nocturnâ versate *manū*, versate diurnâ.
Ov. de Pont. 1. Multa *metū* pœnæ, pœnâ qui pauca coërcet,
Et jacit invitâ fulmina rara *manū*.
Aen. 10. Anceps pugna *diū*, stant obnixa omnia contra.

B, D, T, in fine.

B, D, T, litteris terminata corripiuntur, ùt: *ăb*, *sĕd*, *ăt*, *manĕt*.

Aen.

Aen. 2. ¯ ¯ Quantum mutatus *ăb* illo.
Ovid. de Pont. 1. Omnis *ăt* in magnos culpa Deos ſcelus eſt.
Hor. A. P. Offenduntur enim, quibus eſt equus, & pater & res,
Nec, ſi quid fricti ciceris *probăt*, & nucis emptor,
Aequis accipiunt animis.
Aen. 1. *Manet* altâ mente repôſtum.
Ov. Triſt. 2. Et latro, & cautus præcingitur enſe viator,
Ille *sĕd* inſidias, hic ſibi *portăt* opem.

C in fine.

C litterâ finita longa ſunt, ùt: *sīc*, *hōc*, *hīc* (adverbium) *hāc*, *hūc* &c.

Hor. 2. *Sat.* 2. *Hāc* urget lupus, *hāc* canis angit.
Aen. 3. *Sīc* oculos, *sīc* ille manus, *sīc* ora ferebat.

Exceptio. Corripe *donĕc*, *nĕc*. Hic pronomen virile commune eſt. *Făc*, tutiùs corripitur.

Ovid. Triſt. 1. *Donĕc* eris felix, multos numerabis amicos.
Mart. l. 3. *Epigr.* Ebrius es, *nĕc* enim faceres id ſobrius unquam.
Ovid. Faſt. 1. Jane *făc* æternos pacem, pacíſque miniſtros.
Virg. Aen. 6. Hic vir *hĭc eſt*. *Idem.* Eſt *hĭc*, eſt animus lucis contemptor.

L in fine.

L finita brevia ſunt, ùt: *ſimŭl*, *nihĭl*, *ſemĕl*, *Aſdrubăl*.

Hor. A. P. Tu *nihil* invitâ dices, faciéſve Minervâ.
Idem ep. 1. Quo *ſemĕl* eſt imbuta recens ſervabit odorem
Teſta diu.
Ov. Triſt. 1. At *ſimŭl* intonuit, fugiunt: nec noſcitur ulli,
Agminibus comitum qui modò cinctus erat.

Exceptio. *Sāl*, *nīl*, *ſōl*, longa ſunt: item pleraque peregrina, ùt: *Nabāl*, *Danīel*.

Virg. Georg. 1. Per duodena regit mundi *ſōl* aureus aſtra.
Mart. l. 10. *Nīl* aliud video, quo te credamus amicum.
Stat. Ach. 4. Non *sal*, oxyporúmve, caleúſve.

M in fine.

M finita olim corripiebantur; hodie eliduntur, ùt: *millium.*

Ennius Aen. 10. Insignita ferè dum millia *milliŭm* octo Duxit.
Ov. 3. *de Art.* Metáque ferventi circŭmeunda rotâ.
Lucr. l. 4. Ut *puĕror-*um ætas improvida ludificetur.

N in fine.

N litterâ finita longa sunt, ùt: *sīn*, *Tītan*, *Sirēn*, *Salamīn*, *Actæōn*, & cetera tertiæ declinationis, quæ in *on* exeunt; item Accusativus Græcus nominum in *AS*, *ES*, *E*, ùt: *Aeneān*, *Anchisēn*, *Calliopēn*, & Genitivus multitudinis, cujusvis declinationis, ùt: *Epigrammatōn*, *Paralipomenōn.*

Ov. Met. 3. *Actæōn* ego sum, dominum cognoscite vestrum.
Idem de Pont. I. *Nōn* omnes Fabios abstulit una dies.
Luc. l. I. Unde venit *Titān*, & nox ubi sidera condit.
Aen. I. Et sævum *Aeneān* agnovit Turnus in armis.

(*Sic*: Pygmaliōn, Laomedōn, canōn, icōn, sindōn, agōn, Tritōn, Ariōn.
Accus. Græc. Musicēn, Grammaticēn, Plasticēn, Epitomēn, Rhetoricēn. &c.
Genit. Græc. plur. Thematōn, Cimmeriōn, hæreseōn, peristromatōn.)

Exceptio. Corripe 1) *ăn*, *ĭn*, *forsăn*, *forsităn*, *tamĕn*, *attamĕn*, *vidĕn*; item *en* syllaba finita, quæ faciunt genitivo *inis*, ut: *nomĕn.*

2) Græca in on, quæ ad secundam nostram declinationem spectant, ùt: *Peliŏn*, *Iliŏn*, *Erptiŏn.*

3) Omnes accusandi casus, quæ à nominibus ultimam brevem habentibus proficiscuntur, ùt: *Scorpiŏn*, *Thetĭn*, *Ityn*, *Majăn*, *Aeginăn.*

Ovid. Trist. I. Est etiam miseris pietas, & *ĭn* hoste probatur.

Idem de Pont. l. 1. Hoc mihi si Superi, quorum sumus omnia, credent,
Forsităn exiguâ dignus habebor ope.
Ovid, Met. 7. Tantáque nox animi est, *Itўn* huc accersite, dixit.
(*Sic:* Parĭn, Poësĭn, Syntaxĭn, genesĭn, parænesĭn, charybdĭn, &c.

R in fine.

R litterâ terminata corripiuntur, ùt: *sempĕr*, *notiŏr*, *ocyŏr*, *cŏr*, *tenetŭr*, *moveatŭr*, *Amilcăr*. &c.

Ovid. de Pont. 1. Sed sum quàm Medico *notĭor* ipse mihi.
Aen. 1. *Sempĕr* honos, noménque tuum, laudésque manebunt.
Ov. de Rem. am. A cane non magno sæpe *tenetŭr* aper.
Id. de Pont. 1. Cernis, ùt ignavum corrumpant otia corpus,
Ut capiant vitium, ni *moveantŭr*, aquæ.
Id. Ibidem. Sit *pigĕr* ad pœnas princeps, ad præmia velox.
Aen. 12. Fugit *ōcyŏr* Euro.

Exceptio. Producito cūr, fār, fūr, Ibēr, lār, nār, vēr, pār cum compositis, ùt compār, dispār, impār, & græca quæ faciunt genitivo *eris*, ùt: aēr, æthēr, cratēr.
Hor. Serm. 2. Ludere *pār*, *impār*, equitare in arundine longâ.
Idem A. P. ˉ ˉ ˘ ˘ amphora cœpit
Institui, currente rotâ, *cūr* urceus exit?
Mart. l. 5. Callidus effractâ nummos *fūr* auferet arcâ.
Virg. Georg. 3. Ipsis est *aēr* avibus non æquus, & illæ
Præcipites altâ vitam sub nube relinquunt.
(Celtibĕr à Martiali corripitur: l. 10. Ducit ad auriferas quòd me Salo *Celtibĕr* oras.)

AS in fine.

AS syllabâ finita longa sunt, ùt: *dās*, *ampullās*, *nefās*, *Aeneās*, *Pallās*, (antis.)

Hor. A. P. Projicit *ampullās*, & sesquipedalia verba.
Ov. de Pont. 2. *Tranquillās* etiam naufragus horret aquas.

Mart. l. 3. Tu magnus, quòd *dās*, imò ego, quòd recipis.
Virg. Georg. 3. Quippe etiam festis quædam exercere diebus
Fās & jura sinunt.

Exceptio. Corripe Græca, quorum Genitivus in *adis* exit, ùt: *Arcăs*, *Pallăs*, (ădis) *Iliăs*, *Plejăs*. Item Accusativos plurales tertiæ declinationis nominum Græcorum, ùt: *Troăs*, *Delphinăs*, *Heroăs*.

Ov. 3. *de Art.* - - quis nôsset Homerum,
Iliăs æternum si latuisset opus?
Idem de Pont. 1. Quatuor autumnos *Pleiăs* orta facit.
Virg. Ecl. 5. Permistos *heroăs*, & ipse videbitur illis.

(*Sic:* Tempestās, adamās, comitās, felicitās, prosperitās. &c.
Græca in as, adis: Moenăs, olympiăs, hebdomăs, lampas, Dryas, monas. &c.
Accus. plur. Græcus: Rhetorăs, dæmonăs, hebdomadăs, lampadăs, Dryadăs, olympiadăs, Cyclopăs.)

ES in fine.

ES syllabâ terminata longa sunt, ùt: *spēs*, *putēs*, *glaciēs*, *Anchisēs*, *locuplēs*, *triciēs*. &c.

Ovid. de Pont. 1. Sæpe aliquem solers medicorum cura reliquit.
Nec *spēs* huîc venâ deficiente cadit.
Hor. 1. *ep.* 16. Néve *putēs* alium sapiente, bonóque beatum.
Ovid. Met. 1. Et ventis *glaciēs* adstricta pependit.
Mart. l. 12. Aegrotas uno *deciēs*, & sæpiùs anno.

Exceptio. Corripe 1) nomina tertiæ declinationis, quæ crescunt in obliquis, penultimâ brevi, ùt: *hospěs*, *ĭtis*, *milěs*, *peděs*, *divěs*, *sospěs* &c. Præter abiēs, ariēs, Cerēs, pariēs, pēs cum compositis, ùt: cornipēs, sonipēs.

2) Es à verbo sum, cum compositis, ùt: *potěs*, *aděs*. Item *peněs*.

3) Græca neutra, ùt *cacoëthěs*, & nominandi, vocandíque casus plurales Græcorum, ùt: *Arcaděs*, *Troěs*, *Amazoněs*, *dæmoněs*, *Macedoněs*, *Lacóněs*, *Phrygěs* &c. quæ tamen more Latinorum construi, & produci possunt.

Ovid. Met. 1. Vivitur ex rapto: nec *hospěs* ab hospite tutus.
Hor. 1. Sat. 3. Omnia magna loquens, modò sit mihi mensa *tripěs*, &
Concha salis puri.

Idem

Idem A. P. ˉ ˉ ˉ ſi volet uſus,
Quem *penĕs* arbitrium eſt, & jus, & norma loquendi.
Virg. Ecl. 7. Populus in fluviis, *abiĕs* in montibus altis.
Juv. Sat. 1. ˉ ˉ ˉ Tenet inſanabile multos
Scribendi *cacoëthĕs*; & ægro in corde ſeneſcit.

IS vel YS in fine.

IS vel YS finita corripiuntur, ùt: *pulvĭs*, *ſcribentĭs*, *affabilĭs*, *juſſerĭs*, *Tiphy̆s*.

Hor. 4. *Od.* 7. *Pulvĭs* & umbra ſumus.
Ovid. Triſt. 1. Carmina ſeceſſum *ſcribentĭs* & otia quærunt.
Aen. 3. Nec viſu facilis, nec dictu *affabilĭs* ulli.
Hor. A. P. Decipimur ſpecie recti: *brevĭs* eſſe laboro,
Obſcurus fio.
Juv. Sat. 3. Græculus eſuriens, in cœlum *juſſerĭs*, ibit.
Ov. de Pont. 1. Nec mihi *Tiphy̆s* erat rector, nec Amyntore natus
Quas fugerem docuit, quas ſequerérve vias.

Exceptio. Producuntur 1) omnes caſus multitudinis, ùt: *virīs*, *armīs*, *mœſtīs*, *nobīs*, *queīs* pro quibus. 2) Nomina, quorum genitivus exit in *īnis*, *entis*, *ītis* penultima longâ, ùt: *Salamīs, Salamīnis, Simoīs*, Simoëntis, *līs*, *lītis*. 3) Secundæ perſonæ, numeri ſingularis, indicativi modi, quartæ conjugationis, ùt: *audīs*, *ſentīs*. 4) Hæ voces: *Gratìs quivīs* (per omnes caſus) *glīs*, *vīs* (nomen & verbum) *velīs*, *sīs*, cum compoſitis, ùt: *poſsīs* &c. *quamvīs*, *nolīs*, *adsīs*, *utervīs*. &c.

Mart. 1. *Epigr.* Non facis hoc *gratīs:* accipĭs, ut taceas.
Hor. 2. *Sat.* 5. Eripiet quivīs oculos citiùs mihi, quàm te.
Idem A. P. Grammatici certant, & adhuc ſub judice *līs* eſt.
Ov. de Pont. 1. Qui vincit ſemper, *victīs* ut parcere poſſit.
Idem. l. 3. Corpora debentur *moeſtīs* exsanguia buſtis,
Effugiunt ſtructos nomen, honórque rogos.
Mart. l. 3. *Neſcīs*, heu neſcis dominæ faſtidia Romæ.

OS in fine.

OS finita longa ſunt, ùt: *ōs*, oris, *honōs*, *magnōs*,

gnōs, *domōs*; *herōs*, *Trōs*, *Androgeōs* &c. quæ per omega ſcribuntur.

Ov. Met. 1. *ōs* homini ſublime dedit, cœlúmque videre
Juſſit, & *erectōs* ad ſidera tollere vultus.
Hor. A. P. - - mortalia facta peribunt,
Nedum ſermonum ſtet *honōs*, & gloria vivax.
Ov. de Pont. 1. Jure venit *cultōs* ad ſibi quisque Deos.
Idem ibid. - ˘ ˘ non cenſus, non clarum nomen avorum,
Sed probitas *magnōs* ingeniúmque facit.
Virg. Georg. 1. - - - ſæpe exiguus mus.
Sub terris poſuítque *domōs*, atque horrea fecit.

Exceptio. Corripe 1) ŏs (oſſis) compŏs, & impŏs, & Græca neutra, ùt: *chaŏs*, *melŏs*, *Argŏs*.

2) *os* finita, quæ ad ſecundam declinationem Latinorum tranſeunt, ùt *Tyrŏs*, pro *Tyrus*, *Arctŏs*, *Iliŏs*.

3) Omnes Genitivos, à quibuscunque rectis proficiſcantur, ùt: *Arcadŏs*, *Palladŏs* &c.

Ovid. 1. *de Art.* Inſequere, & voti poſtmodò *compŏs* eris.
Aen. 6. Et *chaŏs*, & Phlegeton, loca nocte ſilentia latè.
Luc. l. 3. Et *Tyrŏs* inſtabilis, pretioſáque murice Sidon,
Ov. Faſt. 4. Alta jacet vaſti ſuper ora *Typhoeŏs* Aetna.

US in fine.

US ſyllaba terminata brevia ſunt, ùt: *censŭs*, *vulgŭs*, *ſauciŭs*, *cernimŭs*, *intŭs* &c.

Ov. Faſt. 1. In pretio pretium nunc eſt, dat *censŭs* honores,
Censŭs amicitias; pauper ubique jacet.
Id. de Pont. 1. *Sanciŭs* ejurat pugnam gladiator, & idem
Immemor antiqui vulneris arma capit.
Lucr. l. 2. Et quaſi longinquo fluere omnia *cernimŭs* ævo.
Ovid. de Pont. 1. Quamvis *Deŭs* omnia nôrit.
Hor. Sat. 1. *Tantalŭs* à labris ſitiens fugientia captat
Flumina.
Ov. Met. 14. *Vulgŭs* amicitias utilitate probat.

Exceptio. Longa ſunt (a) Monoſyllaba, ùt: *plūs*, *jūs*, *thūs*, *rūs*. &c.

(b) Quæ

(b) Quæ crescunt in obliquis penultimâ longâ, ùt: *tellūs, ūris, salūs, ūtis, palūs, ūdis.*

(c) Nominativus, Accusativus, & Vocativus pluralis nominum quartæ conjugationis, ùt: *sensūs, occasūs.*

(d) Græca nomina, quorum Genitivus terminatur in *untis*, ùt: *Opūs, Amathūs*, & quæ ex πᾶς ποδὸς componuntur, ùt: *melampūs.*

(e) Quæ ex oos contrahuntur, ùt: Panthoos, *Panthûs.*

(f) Genitivus à fœmininis in o, ùt: Manto, *Mantûs.*

Huc etiam JESUS sacrosanctum Domini, atque Redemptoris nostri nomen spectat.

Juv. Sat. 6. *Plūs* aloës, quàm mellis habet.
Hor. 2. *Sat.* 7. Romæ *rūs* optas, absentem rusticus urbem.
Juv. Sat. 3. Scire volunt secreta *domûs*, atque inde timeri.
Ov. de Pont. 1. Quod mare, quod *tellūs*, appone quod educat aër,
Nil tibi, quod nobis esuriatur, erit.
Idem ibid. ¯ ¯ quem solis ab ortu,
Solis ad *occasūs*, utraque terra tremit.

Nota. US finita non contracta ab os syllabâ profecta corripiuntur, ùt: *Pamphagŭs*, πάμφαγος, Oribasus, polypus, quorum ultimam Aeoles per os scribunt, unde latinis per us effertur, ultimâ brevi.

Hor. Epod. Polypŭs, an gravis hirsutis cubet hircus in alis.
Id. l. 1. *Stat.* 3. Delectant: veluti Balbinum *polypŭs* agna.

Appendix.

DE VOCATIVIS, ADJECTIVIS, VERBIS MEDITATIVIS, ET PATRONYMICIS.

I. Vocativi Propriorum desinentium in *ius*, quantitatem penultimæ, quæ in Nominativo est, non mutant in carmine; ùt: Mercŭri, Virgĭli, Ovĭdi, Domĭti, Fabrĭci, Maurĭci; quantumvìs in Prosa ex doctissimorum sententia pronuncietur, Mercúri, Virgíli, Ovídi, Domíti, Fabríci, Mauríci, cum accentu acuto in penultima, medio tamen quodam tono. Nimirum hi Vocativi, Apocopen passi, sunt positi pro Mercúrie, Virgílie, Ovídie, Domítie, Fabrície, Maurície, &

& sic tonum ordinarium omnium casuum suorum reliquorum servant. *Scaliger*, *Lipsius*, *Valerius* &c.

II. Adjectiva in *inus* exeuntia quæ producunt penultimam, sunt

(1) deducta à nominibus rerum animatarum, ùt: *vitulīnus*, *arietīnus*, quod alii tamen excipiendo corripiunt, *anserīnus*, *equīnus*, *canīnus*, *ostrīnus*, *coracīnus*, *vulpīnus*, *lupīnus*. Conf. infra *arietinus*.

(2) Nominatim etiam sequentia, quorum nonnulla etiam naturam Substantivorum habent: *clandestīnus*, *intestīnus*, *mediastīnus*, *internecīnus*, *festīnus*, *morticīnus*, *marīnus*, *vicīnus*, *orcīnus*, *peregrīnus*, *inquilīnus*, *libertīnus*, *matutīnus*, *pulvīnus* ein Polster, *vespertīnus*, *divīnus*, *supīnus*, *cisternīnus*, *genuīnus*, *opīnus*, *adulterīnus*, *inopīnus*, *camīnus*, *catīnus*, ein Schüssel, *echīnus*, *gelasīnus*, lächelend, *laurīnus*, *fungīnus*, *covīnus*, ein Streit-Wagen, *collīnus*, à colle.

* *Mediastīnus*, i. subst. ein Hauß-Knecht. *Mediastīnum panniculum* vocant, *qui dividit medium pectus & pulmones*, Germ. das Zwerg-Netz. *Diutinus*, langwierig; *serotinus*, spät, langsam; *hornotinus*, heurig, rectiùs corripiuntur.

(3) Distributiva numeralia: *bīnus*, *trīnus*, *quīnus*.

(4) Cognationum nomina; ùt: *sobrīnus*, *consobrīnus*, *amitīnus*.

(5) Denique propria ac gentilia, ùt: *Augustīnus*, *Justīnus*, *Sibillīnus*, *Aventīnus*, *fescennīnus*, *Ticīnus*, *Fucīnus*, *Venusīnus*, *Canusīnus*, *Gabīnus*, *Collatīnus*.

Corripiuntur autem reliqua omnia, quæ materiam significant, seu quæ à rebus inanimatis deducuntur, ùt: *fagĭnus*, *crystallĭnus*, *adamantĭnus*, *coccĭnus*, *acĭnus*.

Item hæc: *crastĭnus*, *pristĭnus*, *pampĭnus*, *faticĭnus*, *vaticĭnus*, *fraxĭnus*, ein Eschen-Baum, *cophĭnus*, ein Korb.

III. Verba Meditativa, vel desiderativa in *urio* antepenultimam corripiunt omnia, ùt: *Esŭris*, *lectŭris*, *scalptŭris*, *cœnatŭris*, *partŭris*, *dormitŭris*, *syllatŭris*, i. e. syllam imitari cupis. Sed *ligūris*, *scatūris*, *abligūris*, *cucūris*, i. e. galli

gal-

gallinacei vocem edis, non ſunt meditativa, ideóque penultimam ſuam producunt.

IV. Patronymica in *ades*, & *ides* terminantia corripiunt penultimam, ùt *Aeneădes*, *Hippotădes*, *Atlandĭdes*, *Scipiădes*, *Aeolĭdes*, *Abramĭdes*, *Iſacĭdes*. &c.

(a) Excipe formata à nominibus in *eus* & in *des* deſinentibus, ùt: *Pelīdes*, *Oenīdes*, *Neoclīdes*, quæ penultimam producunt, quia ex contractione facta eſt à nominibus in ευς & ης.

(b) Fœminina in ēis, aïs, oïs, ine, & ione deſinentia, penultimam producunt, ùt: *Thesēis*, *Aenēis*, *Ptolemāis*, *Latōis*, *Nerīne*, *Acrisiōne*, *Neptunīne*, *Nonacrīne*.

PARS II. POETICAE.

DE PEDIBUS, VERSIBUS ET ARTE METRICA.

CAPUT I.

DE PEDIBUS.

Pes eſt Pars verſûs certo ſyllabarum numero atque ordine definita.

Pedes duarum ſyllabarum. 4.

Spondeus ¯ ¯ pōſſūnt, ōmnēs.
Pyrrhichius ˘ ˘ mălĕ, ăgĕ.
Choreus vel
Trochæus ¯ ˘ ārmă, vīncŏr.
Jambus ˘ ¯ vĭrōs, rŏgās.

Pedes trium ſyllabarum 8.

Moloſſus ¯ ¯ ¯ Aēnēās, cōntēndūnt.

Tribrăchys ˘ ˘ ˘ făcĕrĕ, tŭmĭdŭs.
Dactylus ¯ ˘ ˘ cōrpŏră, māxĭmŭs.
Anapæſtus ˘ ˘ ¯ ănĭmōs, căpĭūnt.
Bachíus, ˘ ¯ ¯ dŏlōrēs, părābūnt.
Antibacchíus, ¯ ¯ ˘ aūdīrĕ, mātūrŭs.
Creticus vel Am-
phimăcer ¯ ˘ ¯ māxĭmōs, aūdĭūnt.
Amphibrăchys ˘ ¯ ˘ pŏēmă, cădēbăt.

Pedes quatuor ſyllabarum. 16.

Proceleusmaticus ˘ ˘ ˘ ˘ ăbĭĕtĕ, rĕpĕtĕrĕ.
Diſpondeus ¯ ¯ ¯ ¯ ōrātōrēs, īntērrūmpēns.
Antiſpaſtus ˘ ¯ ¯ ˘ cŏrōnārĕ, ĭnārdēſcĭt.
Chorijambus ¯ ˘ ˘ ¯ Nōbĭlĭtās, īntĕrĭmēns.
Dijambus ˘ ¯ ˘ ¯ sĕvērĭtās, prŏpīnquĭtās.
Ditrochæus ¯ ˘ ¯ ˘ prīncĭpālĭs, dīmĭcārĕ.
Jonicus à minore ˘ ˘ ¯ ¯ gĕnĕrōsī, Dĭŏmēdēs.
Jonicus à majore ¯ ¯ ˘ ˘ dēfēndĕrĕ, ēnōrmĭtĕr.
Epítritus primus ˘ ¯ ¯ ¯ sălūtābūnt, rĕpūgnāvī.
Epít. ſecund. ¯ ˘ ¯ ¯ cōmprŏbābānt, cōndĭtōrēm.
Epítritus tert. ¯ ¯ ˘ ¯ clāmāvĕrānt, dīſcōrdĭæ.
Epitritus quartus ¯ ¯ ¯ ˘ pūgnābāmŭs, ōrātōrĕ.
Pæon primus ¯ ˘ ˘ ˘ vīrgĭnĕŭs, āſpĭcĭtĕ.
Pæon ſecundus ˘ ¯ ˘ ˘ pŏtēntĭă, dŏcēbĭmŭs.
Pæon tertius ˘ ˘ ¯ ˘ ănĭmātă, mŏrĭāmŭr.
Pæon quartus ˘ ˘ ˘ ¯ călămĭtās, mĭsĕrĭcōrs.

CAPUT II.

DE VERSIBUS.

I. *Verſus* eſt oratio certo genere, numero, atque ordine pedum alligata. In verſibus obſervandæ ſunt: Scanſio, Cæſura, & Eliſio.

(a) *Scanſio* dicitur juſta enumeratio pedum, quibus verſus conſtat, e. g.

Tum brevis occa - ſus, or - tusque in - tercipit hora.
Dactylus, ſpondeus, ſpondeus, ſpondeus, dactylus, choreus.

(b) *Cæſura* eſt decora dictionis in verſu per pedes interſectio, ita ut ultima vel penultima ſyllaba novum pedem inchoët, e. g.

Sēmpĕr hŏ | nōs nō | mēnquĕ tŭ | ūm, lāu | dēsquĕ mă | nēbūnt. Virg.

Not. Cæſurâ carentes verſus inſipidi & aſperi ſunt. e. g.
Illico | mulcent | aures | dulcia | carmina | Divûm. |

(c) *Eliſio* dicitur, quando vocalis, diphthongus, & m ante vocalem vel diphthongum abſorbentur, e. g.

Quam multæ in ſylvis avium ſe millia condunt
Quondam etiam victis redit in præcordia virtus.

Not. Eliſio non obſervata hiatum facit.

Verſus eſt multiplex: hic tantùm de Hexametro, Pentametro & Jambico.

De Verſu Hexametro.

Hexametrum carmen conſtat ſex pedibus, quorum quintus dactylus eſt, ſextus ſpondeus vel Choreus, reliqui dactyli vel ſpondei.

- ◡ ◡ | - ◡ ◡ | - ◡ ◡ | - ◡ ◡ | - ◡ ◡ | - ◡
- - | - - | - - | - - | | - -

Sed fugit interea fugit irreparabile tempus. *Virg. 3. Georg.*
Major ſum, quàm cuî poſſit fortuna nocere. *Ovid. 6. Met.*

(Genus Hexametrum dicitur quoque *Heroicum*, quia hoc verſu Heroum geſta deſcribi ſolent.)

Obſervationes.

I. Quinta regio nonnunquam *ſpondeum* patitur, & verſus *ſpondaicus* appellatur: in hoc tamen caſu dactylus in quarta regione poni ſolet.

Chara Deûm ſoboles, *magnum Jovis incrementum. Virg.*
Sunt apud infernos tot *millia formoſarum. Prop.*


II. Hexameter ac Pentameter ne terminetur voculâ monoſyllabâ, niſi ſit enclitica, aut duæ concurrant monoſyllabæ, aut judicium, & pronuntiatio ſuavitatem ex monoſyllabâ percipiat; ùt in his:

Principibus placuiſſe viris non ultima *laus eſt.*
– – non omnes, eadem mirantur, *amántque.*
Sternitur, exanimíſque tremens procumbit *humi bos. Virg.*
Parturiunt montes, naſcetur *ridiculus mus. Hor.*

III. Nec exeat in quadriſyllaba & pentaſyllaba, niſi nomen ſit proprium, aut verſus ſpondaicus.

De Verſu Pentametro.

Pentametrum carmen, quod ferè Hexametrum comitatur, quinque pedes habet, quorum duo primi dactyli vel ſpondei pro cujusque arbitrio ſunt, adjunctâ ſyllabâ longâ, quæ cæſura vel ſemipes dicitur; ceteri perpetuò ſunt dactyli, quibus ſemipes iterum adjungitur, ut ex utroque ſemipede quintus pes fiat: vel tertio loco eſt ſpondeus.



Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris. *Ov.* I. *Triſt.*
Interdum doctâ plus valet arte malum. *Ov.* I. *de Pont.*
A cane non magno ſæpe tenetur aper. *Ov. de Rem.*

(Pentametrum ſubjicitur Heroico, & tum appellatur Elegiacum carmen, ſeu Elegia, quæ olim lugubre carmen ſignificabat: hodie cuivis materiæ accommodatur.)

Obſervationes de Verſu Elegiaco.

I. Apud Latinos Hexameter cum Pentametro, quantùm fieri poteſt, perfectam ſententiam, vel certè integrum colon abſolvat, ne verbum aliquod in tertium uſque verſum temerè rejiciatur.

II. In Pentametro prius hemiſtichium vocabulo ſuo finiatur: nam ingrati ſunt verſus hujus generis:

Troja virûm & *virtutum* omnium acerba cinis. *Catull.*

Hæc

Hæc quoque noſtræ ſententia mentis erat. *Diom.*

III. Neutrum hemiſtichium commodè deſinit in monoſyllabum, niſi vel aliud monoſyllabum præcedat, vel eliſio aſperitatem pronunciationis mitiget; ſic *aſperi ſunt*:

O Di reddite *mi* pro pietate mea. *Catull.*
Nam quæcunque homines bene cuiquam aut dicere poſſunt,
Aut facere, hæc à te dictaque, factaque ſunt.

Elegantiores hi:

Magna tamen *ſpes eſt* in bonitate DEI. *Ovid.* 1. *de Pont.*
Præmia ſi ſtudio conſequar iſta, *ſat eſt*. *Ovid.* 5. *Triſt.*
Invitis oculis littera lecta *tua eſt*. *Ovid.* 1. *de Pont.*

IV. Pentameter ne terminetur triſyllabo, aut vocabulo plurium ſyllabarum, nec temerè Adjectivo, aut participio in NS.

V. Evitentur verſus Leonini, & Rhopalici, qui à monoſyllaba incipientes gradatim creſcunt. e. g.

Leon. Quærebant *flavos* per nemus omne *favos*.
Rhop. Spes Deus æternæ ſtationis conciliator.

De Verſu Jambico.

Carmen Jambicum, in quo ob numerorum facilitatem Tirones exerceri commodè poſſunt, locis imparibus, ſive, ùt vocant, digitis (1. 3. 5. 7.) Jambum, ſpondeum, item Tribrachyn, Anapæſtum, aut Dactylum; paribus autem (2. 4. 6. 8.) Jambum aut Tribrachyn recipit. Nomen habet à pede Jambo: qui quò frequentior in hoc genere eſt, eò venuſtior eſt verſus.

Sunt autem verſus *Jambici* vel *quaternarii*, qui quatuor; vel *ſenarii*, qui ſex; vel *octonarii*, qui octo conſtant regionibus.

Jam-

Jambus quaternarius.

1	2	3	4
˘ –	˘ –	˘ –	˘ –
– –	˘ ˘ ˘	– –	˘ ×
˘ ˘ –		˘ ˘ –	
– ˘ ˘		– ˘ ˘	
˘ ˘ ˘		˘ ˘ ˘	

Ut priſca gens mortalium,
Solutus omni fœnore
Neque horret iratum mare. *Hor. Epod. Od.* 2. *v.* 2. 4. 6.

Jambicus ſenarius.

1	2	3	4	5	6
˘ –	˘ –	˘ –	˘ –	˘ –	˘ –
– –	˘ ˘ ˘	– –	˘ ˘ ˘	– –	˘ ˘ ˘
˘ ˘ –		˘ ˘ ˘		˘ ˘ –	
– ˘ ˘		˘ ˘ –		– ˘ ˘	
˘ ˘ ˘		– ˘ ˘		˘ ˘ ˘	

Beatus ille, qui procul negotiis
Paterna rura bobus exercet ſuis:
Neque excitatur claſſico miles truci. *Hor. Ep. Od.* 2.

Jambicus Octonarius.

1	2	3	4	5	6	7	8
˘ –	˘ –	˘ –	˘ –	˘ –	˘ –	˘ –	˘ –
– –	˘ ˘ ˘	– –	˘ ˘ ˘	– –	˘ ˘ ˘	– –	˘ ˘ ˘
˘ ˘ ˘		˘ ˘ –		˘ ˘ –		˘ ˘ –	
– ˘ ˘		– ˘ ˘		– ˘ ˘		– ˘ ˘	
˘ ˘ –		˘ ˘ ˘		˘ ˘ ˘		˘ ˘ ˘	

Pecuniam in loco negligere, maximum interdum eſt lucrum.
Terent Adelph. II. 2. 8.

Obſervationes.

1. Genere jambico octonario ſoli comici utuntur, quin tamen in obſervandâ pedum quantitate haud admodùm religioſi ſint.
2. Raró apud Tragicos in quinta regione jambum invenies: amant pro eo Spondeum, ſive Anapæſtum.

CA-

CAPUT III.
DE ARTE METRICA.

Cognitâ ſyllabarum quantitate, & generaliori de pedibus & verſibus doctrinâ, ſupereſt, ut in pangendis verſibus Tirones exerceantur, id quod præcipuis quibusdam obſervationibus aggrediuntur:

I. Ob oculos quaſi ponendus eſt typus pedum ſeu metrorum illius generis, quo placet uti.

II. Si vocabulum aliquod non congruat carmini, aliud ſubſtituendum eſt *ſynonymum*, vel *cognatum*, vel commodâ *periphraſi* utendum.

III. Ut expleatur verſus, adduntur *Nominativi* verbum vel antecedentes vel ſequentes, *Adverbia*, *Ablativi abſolutè poſiti*, *Ablativi cauſæ* vel *inſtrumenti*, *Periphraſis*, *Patronymica*, *Enallage*, aliæque figuræ Grammaticæ & ſyntacticæ.

Inquirantur item Epitheta: id eſt, Adjectiva, quæ Subſtantivis differentiæ vel ornatûs cauſâ adjiciantur: verùm

1. Uni Subſtantivo non duo aut plura addantur,
2. Nec otioſa, ſed ex rei natura deprompta, & materiæ accommodata.
3. Ea venuſtè ante Subſtantiva, ſi commodè fieri poteſt, collocentur.
4. Vel ab illis non ſinè gratia per interjectas orationis partes ſeparentur.

Sunt autem in carmine vitanda:

I. Hiatus, vel ingratus vocalium concurſus.

II. Earundem litterarum, vel ſyllabarum repetitio.

III. Multa ſimiliter cadentia & deſinentia,

IV. Monoſyllaborum ab initio maximè verſûs coacervatio.

V. Soni rhythmici ſive in iisdem, ſive in alternis verſibus.

VI. Eliſiones nimis crebræ & horridæ in primam præcipuè verſus ſyllabam, vel in ultimum ejus pedem cadentes.

VII. Duriores Tmeſes, id eſt, compoſitæ vocis diſſectiones.

VIII. Cæſuræ neglectus, de quo ſupra.

Maximè

Maximè omnium autem elaborent Tirones in perdiſcendâ aptiori vocum mutatione, quæ mutatio ipſa eſt ſyntactica Enallages figura, quâ orationis partes ejúsque attributa tamdiu verſantur, variéque commutantur, dum ad propoſitum carmen nihil abſit, nihil redundet. Alia porro eſt commutatio ſententiarum, alia vocum; priorem in ornatâ Syntaxi deſcripſimus, nunc poſterior in variatione Verbi, Nominis, & Participii præcipuè ſita exhibetur.

Membrum I.

DE MUTATIONE SEU ENALLAGE VERBI.

SECTIO I.

Mutatur Verbum in Nomen.

Fit hæc mutatio, cùm verbum primitivum, aut compoſitum aut ſimplex, mutatur in nomen Subſtantivum, cui deinde verbum aliud è Syntaxi, Lectione Auctoris, vel ſuo cujusque judicio additur, v. g. loco

Aeſtuo, immani torreor *æſtu*.
Alo, miſeris *alimenta* miniſtro.
Doleo, me *dolor* inceſſit.
Dono, multis impertio *donis*.
Glorior, me *gloria* vexat inanis.
Ludo, perdo bona tempora *luſu*.
Palleo, *pallor* in ore ſedet.
Prandeo, recreo per *prandia* vires.
Sileo, indico *ſilentia* linguæ.
Studeo, ad *ſtudia* incumbo.
Torpeo, ignavo torpore ſepultus.
Veſtio, me *veſtibus* induo.

II.

Verbum ſimplex mutatur in compoſitum.

Mutat figuram, ſi è ſimplici facias compoſitum, aut contra, ut ratio verſûs exegerit, nempe cùm ſyl-

ſyllaba una vel aſciſcenda eſt, vel abjicienda. Curandum tamen, ut ne ſignificationem mutet, ſed compoſitum cum ſimplice ſynonymum ſit; ùt ſunt ex præpoſitionibus: *ad*, *con*, *de*, *ex*, *in*, *pro*, *per*, *re*, *ob*. En ſpecimen compoſitorum ejusmodi, ſuo primitivo ſynonymorum.

Augeo, ad-augeo.	*Bibo*, com-bibo.
Bullio, e-bullio.	*Crucio*, ex-crucio.
Curo, pro-curo.	*Doceo*, ad-doceo.
Cavo, ex-cavo.	*Fraudo*, de-fraudo.
Carpo, de-cerpo.	*Horreo*, ex-horreo.
Duro, per-duro.	*Gigno*, pro-gigno.

III.

Verbum Activum mutatur in Paſſivum, & contra.

Mutatur Activum in Paſſivum, & viciſſim, ùt verſui alterutrum magìs ſervit. Tum autem ſæpiùs omittitur Nominativus Pronominum: *ego*, *tu*, *ille* &c. Ablativus verò ſubinde cum Præpoſitione à, nonnunquam ſine ea; aliàs in Dativo ponitur, ùt in ſubjectis exemplis:

(Huc pertinent verba illa, quæ à bonis Auctoribus jam activâ, jam paſſivâ terminatione uſurpantur, ùt: *Impertio, impertior. Luxurio, luxurior. Reverto, revertor. Lacrymo, lacrymor. Aſſentio, aſſentior. Fluctuo, fluctuor. Conſpicio, conſpicior. Munero, muneror.* &c.)

Activa Paſſivis mutata.

Totam hyemem dormio - *Tota mihi dormitur hyems.*

Novam progeniem cœlo alto demittit - *nova progenies cœlo demittitur alto.*

Ars artem ludit - *ars luditur arte.*

Tuta eſt navis, quam modicum flumen fert - *modico qua flumine fertur.*

Obſequium amicos vincit - *obſequio vincuntur amici.*

Sæpe videmus, victos ſuperare victorem - *Victorem à victis ſuperari ſæpe videmus.*

Luxurioſum amorem divitiæ alunt. - *Divitiis alitur luxurioſus amor.*

Collectæ aquæ flumen multiplicant. - *Collectis flumen multiplicatur aquis.*

Uſus conterit ferrum, ſilices tenuat. - *Conteritur ferrum, ſilices tenuantur ab uſu.*

Eadem eſt ratio paſſivi in Activum mutandi.

IV.

MUTATUR VERBI MODUS.

I. Permutari poteſt *Indicativus Conjunctivo*, præſertim in tempore Præſenti, aut Futuro, ſequente aut præcedente particulâ *ſi*, *cùm* &c. v. g. Id non inficier, quod ais, pro *inficior.*

Te rediiſſe *velim*, pro *volo.*
Hic tibi præcipuè purâ *ſit* mente colendus, pro *eſt.*
Vicero, ſi pugnare datur, pro *vincam.*
Occĭdero, nî mittis opem, pro *occĭdam*, *mittas.*
Si dare vis, non *detrectavero* munus, pro *detrectabo.*
Quod *ſoleat* fieri, id facito, pro *ſolet.*
Si pereat miſer æternùm, *ploravero*, pro *plorabo.*

II. Mutantur etiam *Modi* à conjunctionibus, quæ & Indicativum, & Conjunctivum admittunt. v. g.

Si *voles* vel *volueris.* Ubi *voles*, *volueris.* Quando *aderit*, *affuerit.* Cùm *vacabit*, *vacaverit.* Donec *eris*, *fueris*, *felix.* Nî *cedis*, *cedas.* Antequàm *morior*, *moriar.* Priusquàm ignis *ardet*, *ardeat.* Etſi, quamvìs plura *petis*, *petas.* Gratum eſt, quòd *rediiſti*, *redieris.* &c. &c.

III. *Imperativus Modus* ſemper poteſt in Conjun-

junctivum converti, v. g. â me illum convenito, â me *conveneris* illum.

Id concedite superi - id *concesseritis* superi.
Hâc arbore carpe poma - hâc *carpseris* arbore poma.
Nil mihi crede - nil mihi *credideris.*

Id præsertim cum particula *ne* usuvěnit: v. g. ne id facito, *facias*, *feceris.*)

IV. Passim autem mutatur *modus Indicativus* seu *Conjunctivus* suppressis conjunctione *quòd*; verbo necessitatis *debeo*; relativo *qui*; &c. particulis *postquam*, *cùm*, *si*; &c. quibus casibus verbum in Infinitivo, ac in Participio ferè ponitur. Exempla passim offendes.

(a) *Suppresso* Quòd.
Hoc te credibile est Phœbo *didicisse* Magistro. *quòd didiceris.*
Bæotûm in crasso jurares aëre *natum.* *quod natus fuerit.*
Ait, sic *volvere* Parcas. *quòd volvant.*
Advertit laqueos, insidiásque *strui.* *quòd struerentur.*
A se *commissum* negat id scelus. *quòd commiserit.*
Peccatúmque, oculos, est *habuisse* meos. *quòd habuerim* &c.

(b) *Suppressum* debeo *verbum mutatur in dus, ut*:
In non *credendos* corpora versa modos. *qui credi non debent.*
Et victis *servanda* fides. *servari debet.*
Ipse tibi furtim *decipiendus* eris. *decipere te debebis.*
Pulvis ab infuso melle *premendus* erit. *premi deberit.*
Implendus sibi quisque bonis est artibus. *se implere debet.*
Lex est *metuenda* nocenti. *nocens debet metuere legem.*
Accepto *claudenda* est janua damno. *claudi debet.*

(c) *Suppressum* Relativum qui, quæ, quod, *Participium Præsentis.*

Mors strepitum passu non *faciente* venit. *qui non facit.*
*Vincentém*que horrea messem. *quæ vincit.*
Inter geminæ *nantem* confinia mortis (navim ardentem) *quæ nabat.*
Quid nisi suffugium nimbos *vitantibus* essem? (nux) *qui vitant.*

Signa meæ dextræ jam *morientis* erunt. *quæ moritur.*
Tumulum non omnia membra *tegentem.* *qui tegebat.*

(d) *Si, dum, mutatur in Ablativum absolutè positum, ùt:*
Zephyris *mutantibus* auras. *Dum mutant.*
Multùm *latrante* Lycisca. *Dum latrabat.*
Ibo *volente* DEO. *Si DEUS vult.*
Et te *dante* capit judex, si non habet iram. *Si tu des.*
Cunctáque fortunâ rimam *faciente* dehiscunt. *Dum facit rimam fortuna.*
Illa rapit juvenes primâ *florente* juventâ. *Dum floret juventus.*

(Huc pertinent illi Ablativi absolutè positi.
Te consule. *Cùm tu eras consul.*
Laudator temporis acti se puero, *cùm erat puer.*
Insons se judice nemo. *Qui suî judex est.* &c.)

(e) Relativum *qui quæ quod* & *postquàm* mutatur in Participium Præteriti. Relativum item in Participium futuri, ùt:

Divitiis & honoribus *auctos* vidit permultos. *Qui aucti fuerant.*
Phariámque *ingressus* in alnum perdiderat jam jura suî (Pompejus.) *Postquàm ingressus erat.*
Extremo gemmas Oriente *petitas.* *Quæ petitæ fuêre.*
Ensem, non hos *quæsitum* munus in usus. *Qui non quæsitus est.*
Quæsivit cœlo lucem, ingemuítque *repertâ.* *Postquàm reperit.*
Aspice *venturo* lætentur ùt omnia sêclo. *Quod veniet,*
Defensura reos facundia. *Quæ defendet.*
Pomifer autumnus, nebulis *cessurus* & undis. *Qui cedet.*
Poma serit, sero *carpenda* nepoti. *Quæ carpentur.*
Vituli nondum *metuendâ* fronte feroces. *Quæ nondum est metuenda.*

V. I*nfinitivus* etiam aliquando pro Indicativo usurpatur. v. g.

Ménc incepto *desistere* victam? *ego desistam?*
Tu pacem *rumpere?* (subaudi *audebis?*)
Tu nostram *transcendere* fossam *non vereris?* &c. quæ sunt hujusmodi locutiones plerumque figuratæ.

V.

MUTATUR TEMPUS VERBI.

Variè mutari possunt tempora, ùt: 1) dum è *tribus Præteritis* Imperfecto, Perfecto, Plusquamperfecto unum pro alio usurpatur. 2) Loco *præteriti* tempus præsens Indicativi. 3) Loco *præsentis* Præteritum, vel etiam Futurum. 4) Conjunctivi *Præsens* pro Imperfecto. 5) *Infinitivi præsens* pro Præterito. 6) *Gerundia* pro Præsenti Infinitivi. Quanto hæc temporum Enallage ad carminis facilitatem adjumento sit, exemplis patebit.

1) *E tribus præteritis* alterum pro altero adhibetur v. g. *ibamus, ivimus, iveramus. Ferebam, tuli, tuleram.*

Cunctis exulibus mala plura *ferebam.*
Exulibus cunctis nam mala plura *tuli.*
Exulibus cunctis *tuleram* mala plura.
Indulgens animo pes mihi tardus *erat.*
Indulgens animo tardus mihi pes *fuit.*
Indulgens animo *fuerat* pes tardior.

2) Loco *Præteriti* tempus Præsens, quod historicis familiare, etsi nonnisi præterita narrantibus. v. g.

Hæc ubi certa *sedet* sententia, pro *sedit.*
Ut data signa fuêre, pars pedes ire *parat. Paravit.*
Primus *init* bellum. *Iniit.*
Spem vultu *simulat*, *premit* altum corde pavorem. *Simulavit, pressit.*

3) E converso item pro *Præsente vel Futuro* præteritum adhibetur. v. g.

Copia si dabitur pugnandi, *vicimus,* pro *vincimus.*
Rege incolumi mens omnibus una; amisso *rupêre* fidem. Rumpunt. *Virg.* de apibus.
Si monitis pares, rem *restituisti. Restituis.*

(Exemplorum, quibus unum tempus pro altero, quoad sensus patitur, usurpatur, sunt innumera: habe aliqua:

Tota licet veteres *exornent* undique ceræ atria. *Exornarent*, *exornaverint*, *exornâssent*.
Unus Pellæo juveni non *sufficit* orbis. *Sufficiebat*, *sufficit*, *sufficerat*, *sufficerit*.
Nemo sine crimine *vivit*. *Vivebat*, *vixit*, *vixerat*, *vivet*.
Lis paucis verbis interdum maxima *crevit*. *Crescit*, *crescet*.
Nemo diu *gaudet*, qui judice *vincit* iniquo. *Vicit*, *vicerit*, *vincet*, *gaudebit*, *&c*.)

4) In conjunctivo Modo sæpe *Præsens* pro *Imperfecto* adhibetur, v. g.

Nî *faciat*, (Neptunus) ventus mare totum *proruat*. *Proruet*, *nî faceret*.
Intumeas nimiùm, si plus fortuna dedisset. *Intumesceres*.
Non ita *agat*, si vir prudentior esset. *Ageret*.
Res meliùs *cedant*, melius si consilium esset. *Cederent*.

5) *Præsens Infinitivi* in Præteritum vertere magnum est versificatori adjumentum in carmine condendo, v. g.

Quis minor est, quàm *tacuisse* labor? *tacere*.
Proximus ille DEO, qui scit *tacuisse* tacenda. *Tacere*.
Disce oculos *continuisse* tuos. *Continere*.
Non pudeat te *pœnituisse*. *Pœnitere*.
Quàm multis linguam non *tenuisse* nocet. *Tenere*.
Túne audes me *despexisse* poëtam? *Despicere*.
Nolito turpes *inseruisse* jocos. *Inserere* sermoni.

6) Gerundia in *di* post Adjectiva Genitivum regentia; in *dum* post præpositionem *ad*; in *do* cum præpositione *in*: Item supina in *um* & *u*, quibus carent Græci, Græcorum more, i. e. per figuram Hellenismi eleganter in *Præsens Infinitivi* commutantur, ût:

Nescia *fallere*, *fallendi*.
Pugnare avidus, pugnandi.
Timidos studiosus *figere* cervos, *figendi*.
Gnarus cœli *describere* motus, *describendi*.
Evacuare scyphos cupidus, *evacuandi*.
Assiduus *pervolvere* libros, *in pervolvendo*.

La-

Lacrymari promptus. Ad *lacrymandum*.
Explorare hoſtes abiit. *Exploratum vel exploraturus*.

Not. Cùm hæc Helleniſmi ſpecies ad variationem ſimul & elegantiam tantum conferat, ut P. Balde bene obſervârit, Horatii præcipuas quasque elegantias & gemmulas ab Helleniſmo petitas; operæ erit, rem pluribus exemplis illuſtrâſſe. v. g.

In nugas *celer effundi*. Jura *dare ambitioſus*.
Inſontes *punire ferox*. *Inſectari* alios *vehemens*.
Herculeos *fortis tolerare* labores. *Ad tolerandos*.
Mendacia *cudere ſolers*. *Ad cudenda*.
Noſtra *ſequi* veſtigia *lentus*. *Ad ſequendum*.
Aures *obtundere* cantu *importunus*. *In obtundendis*.
Cura datur Meſſapo *claudere* portas. *Claudendi*.
Audax omnia *perpeti*. *Ad perpetiendum*.
Sagax technas *ornare* doloſas. *Ad ornandas*.
Invitus ſtudiis *operam navare* puellus. *Ad ſtudendum*.
Per plateas *curſare* frequens. *In curſando*.
A falſo ſtolidus *diſcernere* verum. *Ad diſcernendum*.
Validam validus *divellere* quercum. *Ad divellendam*.
Diſſimulare iram ſapiens. *In diſſimulanda*.
Sagax *emungere* burſas. *Ad emungendas*.
Mandata Patris ſedulus *exequi*. *In exequendo*.
Argumentando rivalem *vincere* pugnax. *Ad vincendum*.
Lentus & *incipere*, & properus *finire* laborem. *Ad incipiendum*.
Tam *cepiſſe* doloſa, quàm facilis hamo *capi*. *Mulier*.
Suamet *vidiſſe* pericula cœcus. *Ad videnda*.
Res cryſtallina *lædi*, inſueta *domari*. *Oculus*.
Difficiléſque *capi* damæ. *Captu* &c.

Membrum II.

DE MUTATIONE NOMINIS SUBSTANTIVI, ET ADJECTIVI.

DE MUTATIONE NOMINIS.

SECTIO II.

De Mutatione Subſtantivi in Verbum.

Perſæpe Subſtantivum verbale mutari poteſt in verbum, à quo proficiſcitur; cujus Infinitivum præſentis, aut imperfecti, partes Nominativi, aut etiam Accuſativi agat: v. g. mendacium fœdum : *turpe mentiri.* Si verò Dativus ſit aut Ablativus, in Gerundium in do vertitur: hoſtes latratu fugavit: *hoſtes latrando fugavit.* Sic:

Imitatio ſervilis eſt: - ſervile eſt *imitari.*
Triſtis migratio fuit: - Triſte *migrare* fuit.
Quot juvenes perdit inſanus amor? - inſanum perdit *amare?*
Aegritudo moleſta. - *aegrotare* moleſtum.
Sæpe malis medemur oblivione - ſæpe malis *obliviſcendo* medemur.
Sirenes doloſas fugâ vincens. - Sirenes vincens *fugiendo* doloſas.
silentio diſce loqui - diſce *ſilendo* loqui.

II.

MUTATIO CASUS.

Mutatio caſuum fit

I. In *Subſtantivis,* quorum verba varium regimen habent. v. g. criminis accuſo furem, vel *accuſo de crimine furem.* Sic:
De noſtra deſpero ſalute, vel *noſtram deſpero ſalutem.*

Quin

Quin ſpes me deficit ipſa, vel *quin ſpes deficit ipſa mihi.*
Pauper eget nummorum, vel *pauper eget nummis.*
Simul urbe, ac arce potitus, vel *urbémque arcémque potitus.*
Atrum veſcuntur panem, vel *atro veſcuntur pane miſelli.*
Turpibus indignor factis, vel *indignor turpia facta.*
Dono tibi libros Naſonis, vel *Naſonis te dono libris.* &c.

II. Fit etiam mutatio caſuum per figuram Helleniſmi, ſeu more Græcorum, qui cùm Ablativo careant, ejus loco adhibent vel *Genitivum*, ùt in plerisque verbis *copiæ* vel *inopiæ*; vel *Dativum*, ùt in verbis Paſſivis, vel *Accuſativum*, ùt in Nominibus partem ſignificantibus. En horum exempla.

(a) *Ablativus mutatus in Genitivum.*

Abſtinet irarum. pro *irâ.*
Calvum nudare pilorum. *pilis.*
Fons ſcatet aquarum. *aquis.*
Armorúmque Gradive potens. *armis.*
Verborum paucus - donorum parcus.
Judicii rectus - Vindictæ moderatus.
Sententiæ immotus - Conſilii promptus.
Ciborum immodicus - Arcani taciturnus. &c.

(b) *Dativus cum Paſſivis.*

Non audior ulli, *ab ullo* - Nullo mihi cognitus uſu. *à me.*
Magno cantata Maroni Aeneis. *à Marone* Virgilio.
Proles adamata parenti. *à parente.*
Diligor haud equidem, ſed nec faſtidior illi. *ab illo.*
Nemo plus mihi diligitur. *à me.*
Creditur id multis, ſed non mihi. *à multis, à me.* &c.

(c) *Accuſativus partis pro Ablativo.*

Redimitus tempora laurum. *temporibus.*
Lumbos præcincti fune. *lumbis.*
Comas incompoſitus puer. *comis.*
Os humerósque Deo ſimilis. *ore, humerísque.*
Faſſa quidem ſcelus eſt, ſed nil mutata colorem. *colore.*
Stridentia guttura raucus. *gutture rauco.*
Tremit oſſa pavore. *oſſibus.* &c.

III. Mutantur caſus reliqui in Vocativum per Apoſtrophen, ſeu allocutionem perſonæ, alioquin alio caſu efferendæ.

Id quod Poëtis frequens, & metri causâ commodum, v. g. Scipiadas duros bello, & te maxime Cæsar, pro *Maximum Cæsarem.* Sic:

Terretur ſtridore columba, unguibus, *accipiter*! ſaucia facta tuis. *accipitris.*

Corona, quæ poſſet crines *Phœbe* decere tuos. pro *Phœbi crines.*

Volens, *Mars!* tua ſigna ſequar. *Martis ſigna.*

Quis te non fugiat pernicioſa *Venus? pernicioſam Venerem.*

Donec erunt ignes - - diſcentur numeri, *culte Tibulle!* tui. *numeri Tibulli.*

Quidquid graciles hàc mittitis *Indi. Indi mittunt.* &c.

III.

MUTATIO NUMERI.

Numerus Singularis univerſim in pluralem, & hic in ſingularem converti poteſt, ſeu appellativa, ſeu propria, multitudinis aut collectiva ſint nomina. v. g. Quæ te tam læta tulerunt ſæcula? pro *quod te tam lætum ſæculum tulit?*

I. *Appellativorum mutatus numerus.*

Ora natant lacrymis. *os natat.*

Supplex tua Numina poſco. *tuum Numen.*

Incertæ murmura famæ. *murmur.*

Hæc ſunt officiis digna ſepulchra meis. *Hoc ſepulchrum.*

Ibis Cecropios portus. *portum.*

Impulſæ ſegetes Aquilonibus horrent. *Aquilone.*

Non libet auratâ corpora veſte tegi. *Corpus.*

II. *Propria in Pluralem verſa.*

Id poſſunt ipſi riſiſſe Catones. *Cato.*

Nec vereor Minoas, nec Rhadamantos. *Minoëm.* &c.

Ajaces deſunt & Proteſilai. *Ajax.*

III. *Nomina multitudinis in ſingulari.*

Hoſtis habet muros. *hoſtes habent.*

Externis miles Romanus in oris. *milites Romani.*

Extremum Macedo penetravit ad Indum. *Macedones.*

No-

Noſtro resci ..us ab orbe Britannus. *Britanni.*

IV. *Nomina Collectiva cum Plurali.*

Plebis vis ingens eò concurrêre. *concurrit.*
Pars in fruſta ſecant. *ſecat.*
Luduntur uterque. *luditur.*
Frequens ita decrevêre ſenatus. *decrevit.*
Conjurant cum Patriciis ignobile vulgus. *conjurat.*

IV.
DE MUTATIONE GENERIS ET PERSONAE.

I. Mutatur Genus ſubſtantivi, ùt jam nunc de Numero collectivorum Nominum dictum v. g. Pœnorum duo millia cæſi, pro *cæſa.* Grex totus ſcabie unius, & prorigine tacti: pro *tactus.*

II. Sunt item quædam Nomina diverſi Generis, ùt: *hic* pileus, Helleborus, vel *hoc* pileum, Helleborum. *Hæc* barbitus, *hoc* barbiton, &c. Verùm de his paucis ſupra in ſyntaxi.

III. Perſona mutatur, cùm caſus per Apoſtrophen in Vocativum vertitur, v. g. quas tu Rhene rigas, pro *Rhenus rigat.* De quo ſupra.

V.
DE MUTATIONE ADJECTIVI.

Nomen *Adjectivum* mutatur 1) in Subſtantivum. 2) Præſertim, cùm materiam vel poſſeſſionem ſignificat. 3) Quaſi Subſtantivum more Græcorum. 4) In negationem duplicem. 5) Poſitivus in Comparativum, aut viciſſim.

(a) Mutatur Nomen Adjectivum in Subſtantivum, v. g.
Argutum dictum. - *argutia dicti.*
Candidum pectus. - *pectoris* intactus *candor.*
Artificioſum opus. - *ars* operis.

Cle-

Clemens dominus. - domini *clementia.*
Dolosum hominem nosco - nosco *dolos* hominis.
Fumosam vitare tabernam - *fumos* vitare tabernæ.
Fallax vulpes. - vulpis *fallacia.*
Levis puer. - insigni *levitate* puer.
Voluptuosi lassati. - lassata *voluptas.*

[Huc pertinent *Nomina gentilia* ac *patria*, sic:
Bactriani minantur - *Bactra* minantur.
Aegyptii dediti idolis. - idolis *Aegyptus* dedita.
Indi ebur mittunt. - *India* mittit ebur. &c.

2) Nomina, quæ *possessionem* significant: v. g.
Patria ædes. - *Patris* ædes.
Cœlestis Regia. - Regia *cœli.*
Homericus versus - versus *Homeri.*
Junonia avis. - Reginæ *Junonis* avis.

3) Adjectiva *materiam* significantia: v. g.
Eburnea cithara. - citharæ vocalis *ebur.* Sed de his alio loco.

(b) Mutatur Adjectivum per figuram Hellenismi, cùm Substantivè ponitur, in genere neutro, & numero plurali, subsequente Substantivo, v. g.

Abdita res. - *abdita* rerum.
Immensa terræ. - terrarum immensa, marísque.
Profunda fossæ, - fossarum metuenda *profunda.*
Cæruleus pontus - *cærula* ponti.
Roscida nubes. - Irida progenerant *roscida* nubium.
Obscura nemora. - *obscura* nemorum.
Horrida rupes. - *horrida* rupium.
Salebrosa viæ. - *salebrosa* viarum.

(c) Mutatur Adjectivum per æquivalentiam, nempe per particulam *non* & præpositionem *in*, quæ in Nominibus negationi æquivalet. v. g.

Non implacabilis ira, - *placabilis.*
Non indignus honore, - *dignus.*
Non indecoro pulvere sordidus, - *decoro.*
Et doctus, *nec inhumanus*, - *humanus.*
Non immedicabile vulnus. - *medicabile.*
Non incredibilem rem narrat, - *credibilem.*

Non impolitis moribus, - *politis*.
Jus *non insipidum*, - *sapidum*.
Non immemor esto, - *memor*. &c.

(d) Mutatur denique Adjectivum è Gradu Positivo in Comparativum, aut Superlativum: v. g.

Quo non formosior alter.
Quo non immanius ullum flagitium.
Quo justor alter nec pietate fuit, nec bello major & armis.
O térque, quatérque beati.
Tristissima noctis imago.
Fons vitreâ liquidissimus undâ,
Martísque simillimus heros.
Hippolythi pulcherrima proles.

(e) Annectendum hìc est, quòd nonnunquam etiam Adverbia in Adjectiva neutra, vel quasi Adjectiva mutentur, v. g.

Cometes *lugubrè* rubet. *lugubriter*.
Lenè sonant Zephyri. *leniter*.
Camporum æquora *suavè* renident. *suaviter*.
Hæret *inexpletum* lacrymis. *inexpletè*.
Vana tumens. *Vanè*. *Torva* tuens. *torvè*.
Furit *implacabile*. *implacabiliter*.
Lenè subirascens. *leniter*.

Atque hæc ferè sunt, quæ ad vocum mobilium præcipuarum Nominis scilicet, & Verbi mutationem, versificationem aggredienti Tironi adeò necessariam pertinent. Ordo autem quo ad versus feliciter pangendos discipuli instruantur, hic ferè commendatur; 1. Perturbatas versuum voces in justum redigunt numerum. 2. Versus, ubi deficiunt, explent; ubi redundant, pressius efferunt. 3. Mutant verba & phrases. 4. Transferunt genus v. g. Elegiacum in Heroicum; Jambicum in Elegiacum, & vicissim. 5. Græcos Poëtas latinis versibus reddunt. 6. Imitationem in proxima, remotaque materia tentant, utì E. G. *Bapt. Mantuanus* XII. libris Fastorum sacrorum *imitatur Ovidium*. 7. Denique in inveniendis, & conscribendis Poëmatis, v. g. *Elegiis*, *Onomasticis*, *Propempticis*, *Epigrammatis* exercentur. Reliqua ad Artem Metricam spectantia in Poëtica suppeditantur.

Ap-

APPENDIX PHILOLOGICA.

AETATES HOMINUM.

Infans, pòst puer, ac adolescens, tunc juvenis, vir:
Dicitur inde senex; posteà decrepitus.

Quinque sensus hominum.

Gustus & olfactus, auditus, visio, tactus.
Nos aper *auditu* præcellit, aranea *tactu*;
Vultur *odoratu*, lynx *visu*, simia *gustu*.

Quatuor Plagæ mundi.

Ortus, & occasus, septentrio, meridiésque.

Quatuor venti cardinales.

Asper ab axe ruit *Boreas*, furit *Eurus* ab ortu,
Auster amat medium solem, Zephyrúsque cadentem.

Duodecim ventorum nomina.

Flat *Subsolanus*, *Vulturnus*, & *Eurus* ab ortu:
Circius occasum *Zephyrúsque*, *Favonius* afflant:
E solis medio emergunt *Notus*, *Africus*, *Auster*:
Conveniunt *Aquilo*, *Boreas*, & *Caurus* ab ursa.

Quatuor anni tempora.

Ver, æstas, autumnus, hyems dominantur in anno:
Aestas à geminis, *Autumnus* Virgine surgit:
Bruma sagittifero, *Ver* piscibus incipit esse.

Duodecim signa Zodiaci.

Sunt aries,	taurus,	gemini,	cancer,	leo,	virgo,
♈	♉	♊	♋	♌	♍
Libraque,	scorpius,	arcitenens,	caper,	amphora,	pisces.
♎	♏	♐	♑	♒	♓

Septem planetæ.

1. Saturnus ♄		2. Jupiter ♃
3. Mars ♂	4. Sol ☉	5. Venus ♀
6. Mercurius ☿		7. Luna ☽

Post *sim sum* sequitur, pallida luna subest.

Sep-

Septem dies hebdomadis.

Dies ſolis ☉	Dies Lunæ ☽	Dies Martis ♂
Dies Mercurii ☿	Dies Jovis ♃	Dies Veneris ♀
	Dies Saturni (Sabbathi) ♄.	

Duodecim menſes anni.

1) Januarius, dierum 31.	2) Febr. 28. & 29.	3) Martius 31.
4) Aprilis, 30.	5) Majus 31.	6) Junius 30.
7) Julius, *Quintilis* 31.	8) Aug. *Sextilis* 31.	9) Septemb. 30.
10) October 31.	12) November 30.	12) Decemb. 31.

Martius, *Aprilis*, *Majus*, ſunt tempora veris:
Junius æſtatis, pòſt *Julius*, *Auguſtúsque*:
Autumnus *Septembri* eſt, *Octobri*, atque *Novembri*:
Aſt hyemem *Decimus*, *Janus*, *Februarius* adfert.

De Numero dierum cujusque menſis.

April ter denos *Jun*, *Septembérque*, *November*,
Unum plus *reliqui*: viginti *Februus* octo.

VERSUS DE CALENDARIO ROMANO.

Prima dies menſis cujusque eſt dicta *calendæ*;
Sex *Majus Nonas*, *October*, *Julius*, & *Mars*,
Quatuor at reliqui. Dabit *Idus* quilibet octo.
Inde dies alios omnes dic eſſe *calendas*:
Quos retro numerans diees à *menſe ſequente*.

CA-

CALENDARIUM ROMANUM.

Aprilis habet dies 30. *Nonas* 4.

1.	CALENDIS APRILIS.	
2.	Quarto	Nonas (ante) vel Nonarum Aprilis.
3.	Tertio	
4.	Pridie.	
5.	NONIS APRILIS.	
6.	Octavo.	Idus (ante) vel Iduum Aprilis.
7.	Septimo.	
8.	Sexto.	
9.	Quinto.	
10.	Quarto.	
11.	Tertio.	
12.	Pridie.	
13.	IDIBUS APRILIS.	
14.	Decimo octavo	Calendas, vel Calendarum Maji.
15.	Decimo ſeptimo.	
16.	Decimo ſexto.	
17.	Decimo quinto.	
18.	Decimo quarto.	
19.	Decimo tertio.	
20.	Duodecimo.	
21.	Undecimo.	
22.	Decimo.	
23.	Nono.	
24.	Octavo.	
25.	Septimo.	
26.	Sexto.	
27.	Quinto.	
28.	Quarto.	
29.	Tertio.	
30.	Pridie.	

Majus habet dies 13. *Nonas* 6.

1.	CALENDIS MAJI.	
2.	Sexto.	Nonas (ante) vel Nonarum Maji.
3.	Quinto.	
4.	Quarto.	
5.	Tertio.	
6.	Pridie.	
7.	NONIS MAJI.	
8.	Octavo.	Idus (ante) vel Iduum Maji.
9.	Septimo.	
10.	Sexto.	
11.	Quinto.	
12.	Quarto.	
13.	Tertio.	
14.	Pridie.	
15.	IDIBUS MAJI.	
16.	Decimo ſeptimo.	Calendas, vel Calendarum Junii.
17.	Decimo ſexto.	
18.	Decimo quinto.	
19.	Decimo quarto.	
20.	Decimo tertio.	
21.	Duodecimo.	
22.	Undecimo.	
23.	Decimo.	
24.	Nono.	
25.	Octavo.	
26.	Septimo.	
27.	Sexto.	
28.	Quinto.	
29.	Quarto.	
30.	Tertio.	
31.	Pridie.	

TYPUS MENSIUM UNIVERSALIS.

Dies Menſis.	Martius. Majus. Julius. October.	Januarius. Auguſtus. December.	Aprilis. Junius. September November.	Februarius.
I.	Calendæ	Calendæ	Calendæ	Calendæ
II.	6	4	4	4
III.	5	3	3	3
IV.	4	Prid. Non.	Prid. Non.	Prid. Non.
V.	3	Nonæ	Nonæ	Nonæ
VI.	Prid. Non.	8	8	8
VII.	Nonæ	7	7	7
VIII.	8	6	6	6
IX.	7	5	5	5
X.	6	4	4	4
XI.	5	3	3	3
XII.	4	Pridie Idus	Pridie Idus	Pridie Idus
XIII.	3	Idus	Idus	Idus
XIV.	Pridie Idus	19	18	16
XV.	Idus	18	17	15
XVI.	17	17	16	14
XVII.	16	16	15	13
XVIII.	15	15	14	12
XIX.	14	14	13	11
XX.	13	13	12	10
XXI.	12	12	11	9
XXII.	11	11	10	8
XXIII.	10	10	9	7
XXIV.	9	9	8	6
XXV.	8	8	7	5
XXVI.	7	7	6	4
XXVII.	6	6	5	3
XXVIII.	5	5	4	Pridie Cal.
XXIX.	4	4	3	
XXX.	3	3	Pridie Cal.	
XXXI.	Pridie Cal.	Pridie Cal.		

In dem Schalt-Jahr hat der Februarius 29. Tåg; deswegen ſagt man auf den 24. und 25. Februar. Sexto Calendas Martii. Daher der Monath auch Biſſextilis genannt wird.

PARS SECUNDA
DE
EXERCITIIS
STILI BENE LATINI
IN
LECTIONE, SCRIPTIONE ET IMITATIONE AUCTORUM;
DE SCRIBENDIS RITE EPISTOLIS EARUMQUE ARGUMENTIS, ET EXEMPLIS;
DE
CARMINE ELEGIACO ET ILLUSTRIUM POETARUM
ELEGIIS;
DE
PROPRIA GRAECORUM SYNTAXI
DIALECTIS, ET PROGYMNASMATIS PRO SUPREMA GRAMMATICES.

ARGUMENTA ET EXEMPLA, PRAECIPUARUM EPISTOLARUM PRO TRIPLICI ORATIONUM GENERE.

IN GENERE DEMONSTRATIVO.

GRATULATIO.

Form. Exord. Occaſio inſtitutæ gratulationis, vel ſignificatio lætitiæ de proſperis amici rebus, vel excuſatio ſeræ gratulationis. &c.

Antecedens habet nudam gratulationem, vel votum felicis eventûs, vel adhortationem ad amicum. &c.

Connexio argumenta habet gratulationis vel à re ipſa, de qua gratulamur, vel à meritis, vel ipſius rei conditione, difficultate; vel perſonæ, cui gratulamur, ingenio, moribus, doctrinâ, beneficiis, conjunctione & amicitiâ, vel à contrario, à judicio prudentiſſimorum virorum, à teſtimonio noſtro & aliorum &c.

Conſequens pollicetur noſtram benevolentiam, operam, ſtudium, & officia, vel repetit gratulationem, vel continet adhortationem ad partorum conſervationem, & uſum rectum, aut amplificationem, vel petitionem, ut nos & alios amicos commendatos habeat, vel bene ominatur. &c.

Formula finalis. &c.

Nota. Gratulatoriæ pro re, de quâ gratulantur, pro perſona, quæ gratulatur, admodùm diverſa habeant Enthymemata, id quod in plerisque aliis epiſtolis probè notandum eſt.

Epi-

Epiſtola gratulatoria CICERONIS 7. libr. II. ad famil.

ARGUMENTUM.

Ex Cilicia Curioni de tribunatu pl. gratulatur, hortatúrque, ne cujus conſilium ſequatur, ſed quod rectum eſt, conſtanter faciat, nec patiatur ſibi provinciam prorogari. Anno U. C. 702.

M. T. C. Proconſul C. Curioni, Tribuno Plebis, S. D.

Sera gratulatio reprehendi non ſolet, præſertim ſi nullâ negligentiâ prætermiſſa eſt. Longè enim abſum: audio ſerò. Sed tibi & gratulor, &, ut ſempiternæ laudi tibi ſit iſte tribunatus, exopto: téque hortor, ut omnia gubernes & moderêre prudentiâ tuâ; ne te auferant 1. aliorum conſilia. Nemo eſt, qui tibi ſapientiùs ſuadere poſſit, te ipſo: nunquam labêre, ſi te audies. Non ſcribo hoc temerè: cui ſcribam video: novi animum, novi conſilium tuum. Non vereor, ne quid timidè, ne quid ſtultè facias, ſi ea defendes, quæ ipſe recta eſſe ſenties. Quòd in id reipublicæ tempus non incideris, ſed veneris, [judicio enim tuo, non caſu in ipſum diſcrimen rerum contuliſti tribunatum tuum] profectò vides, quanta vis in republica temporum ſit, quanta varietas rerum, quàm incerti exitus, quàm flexibiles hominum voluntates, quid inſidiarum, quid vanitatis in vita, non dubito, quin cogites. Sed, amabo te, cura & cogita nihil novi, ſed illud idem, quod initio ſcripſi: tecum loquere, te adhibe in conſilium, te audi, tibi obtempera. Alteri qui melius dare conſilium poſſit, quàm tu, non facilè inveniri poteſt: tibi verò ipſi certè nemo melius dabit. Dii immortales! cur ego non adſum vel ſpectator laudum tuarum, vel particeps, vel ſocius, vel miniſter conſiliorum? Tametſi hoc minimè tibi deeſt, ſed tamen efficeret magnitudo & vis amoris mei, conſilio te ut poſſem juvare. Scribam ad te plura aliàs. Paucis enim diebus eram miſſurus domeſticos tabellarios: ut, quoniam ſanè feliciter, & ex mea ſententia rempublicam geſſimus, unis litteris totius æſtatis res geſtas ad ſenatum perſcriberem. 2. De ſa-

1. *Aliorum.* Ut M. Antonii.
2. *De ſacerdotio tuo*, de Pontificatu, quem petiit, & obtinuit, patre mortuo, ut in ejus locum ſubrogaretur.

ſacerdotio tuo quantam curam adhibuerim, quanquam difficili in re atque cauſa, cognoſces ex iis litteris, quas Tharaſoni, liberto tuo, dedi. Te, mi Curio, pro tua incredibili in me benevolentia, meáque item in te ſingulari, rogo atque oro, ne patiare quidquam mihi ad hanc provincialem moleſtiam temporis prorogari. Præſens tecum egi, cùm te tribunum plebis iſto anno fore non putarem: itémque petivi ſæpiùs per litteras: ſed tum quaſi à ſenatore nobiliſſimo, & adoleſcente gratioſiſſimo: nunc à tribuno plebis, & à Curione tribuno: non ut decernatur aliquid novi: quod ſolet eſſe difficilius, ſed ut ne quid novi decernatur: & ut ſenatûs-conſultum & 3. leges defendas, eáque mihi conditio maneat, quâ profectus ſum. Hoc te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

3. *Leges.* Quibus erat annua provincia.

Gratulatoriæ Plinii II. lib. VI. & 22. libr. IX.

Argum. I. *Gratulatur ſibi Plinius de diſcipulorum profectu.*

C. Plin. Maximo ſuo S.

O diem lætum! adhibitus in conſilium à præfecto urbis, audii & diverſo agentes ſummæ ſpei, ſummæ indolis juvenes Fuſcum Salinatorem, & Tumidium Quadratum, egregium par, nec modò temporibus noſtris, ſed litteris ipſis ornamento futurum. Mira utrique probitas, conſtantia ſalva, decorus habitus, os latinum, vox virilis, tenax memoria, magnum ingenium, judicium æquale: quæ ſingula mihi voluptati fuerunt: atque inter hæc illud, quòd & ipſi me, ùt rectorem, ùt Magiſtrum intuebantur: & ii, qui audiebant, me æmulari, meis inſtare veſtigiis videbantur. O diem [repetam enim] lætum, notandúmque mihi candidiſſimo calculo! Quid enim aut publicè lætius, quàm clariſſimos juvenes nomen & famam ex ſtudiis petere? aut mihi optatius, quàm me ad recta tendentibus, quaſi exemplar eſſe propoſitum? Quod gaudium ut perpetuò capiam, Deos oro, ac eoſdem teſtes peto, ut omnes, qui me imitari tanti putabunt, meliores eſſe, quàm me, velint. Vale.

Argum. II. *gratulatur ſibi de recuperata Pauli valetudine.*

C. Plin. Severo ſuo S.

Mag-

Magnâ me solicitudine adfecit Passenis Pauli valetudo, & quidem plurimis justissimísque de causis. Vir est optimus, honestissimus, nostrî amantissimus. Præterea in litteris veteres æmulatur, exprimit, reddit: Propertium inprimis, à quo genus ducit: vera soboles, eóque simillima illi, in quo ille præcipuus. Si elegos ejus in manum sumpseris, leges opus tersum, molle, jucundum, & planè in Propertii domo scriptum. Nuper ad Lyrica deflexit, in quibus ita Horatium, ut in illis illum alterum effingi putes, si quid in studiis cognatio valet, & hujus propinquum: magna varietas, magna mobilitas. Amat, ut qui verissimè: dolet, ut qui impatientissimè: laudat, ut qui benignissimè: ludit, ut qui facetissimè: omnia denique tanquam singula absolvit. Pro hoc ego amico, pro hoc ingenio non minùs æger animo, quàm corpore ille. Tandem illum, tandem me recepi. Gratulare mihi, gratulare etiam litteris ipsius, quæ ex periculo ejus tantum discrimen adierunt, quantum ex salute gloriæ consequentur. Vale.

Gratulatoria Manutii Ep. I. lib. I. *de dignitate Cardinalitiâ.*

Quia virtus est ipsa per se amabilis: & quia nobilitati honor & observantia debetur: amavi te jam inde à tuâ pueritiâ studio virtutis incensum: & colui clarissimo genere ortum, Pauli III. Pontificis nepotem. Jam tum equidem vidi, prædixíque multis, qui futurus esses: & nunc opinionem, auguriúmque de te meum exitu comprobante, utrique nostrûm gratulor, tibi, cui tribuuntur ea, quæ semper illustria fuerunt, nunc eò magìs, quòd à Paulo III. Pontifice tribuuntur: mihi, qui de tua futura dignitate, fretus indole, moribus, ingenio tuo, adolescens verè conjecerim. Cardinalis es, optabile & honorificum: sed est in isto honore pondus, & labor. Cadunt in eam, quam nunc sustines, personam virtutes omnes, atque ita cadunt, ut, si absint, is, qui honor est, honor esse desinat, vel sit etiam summa deformitas. Curæ autem, & cogitationes illæ sunt præclaræ, illæ, Rainuti, te dignæ, æternáque cum gloriâ conjunctæ: pietatem præcipuè colere: excubare animo pro salute, ac dignitate Ecclesiæ: beneficentiam sine spe præmiorum exercere: nihil omnino facere, nihil cogitare, in quo statim decus non eluceat: nam, ubi paulò videtur obscurius, ibi satìs constat, turpitudinem inesse.

Quæ profectò tibi in mentem venire, atque ob oculos assiduè versari, cùm in avi tui summâm gloriam intueris, necesse est: & omnino datum hoc vestro generi divinitus videtur, vobis nascentibus heroum numerus ut augeatur, & quasi majus lumen de sublimi quâdam specula errantibus honestis disciplinis viam & hospitium ostendat. Ergo alter alteri exemplo estis ad bene agendum: vobiscum simul & oriuntur virtutes, & cum ætate crescunt, donec vitæ munere perfunctos edúcant ex hâc rerum humanarum deterrima caligine, & in illa sempiterna luce collocatos cum illo bonis omnibus circumfluente cœlestium animorum cœtu conjungant. Aut igitur mihi nullus tuî cohortandi relictus est locus, aut hic tantum, ut velis esse tuî quàm simillimus: quódque tuo generi, tuo nomini, tibimetipsi, tuísque debes institutis, id cumulatè persolvendum existimes. Unum exoptandum, ut qui tibi istam mentem cum ista auctoritate dedit (dedit autem omnium auctor laudandarum rerum, & creator DEus) idem velit utriusque rei fructum esse maximè diuturnum, & æquare tuæ vitæ spatium cum iis bonis, quæ in te summa contulit. Profectò tales gubernatores, tam peritos, tam vigilantes, Christiana Religio si nunquam non haberet; nunquam illæ exorirentur dissidentium opinionum horribiles procellæ, quæ jactare multis abhinc annis Petri navem cœperunt, neque dum consistere patiuntur. Quo quidem mihi libet ominari de te idem planè, quod cupio, futurum, ut optimis artibus quamdiu vixeris, præsidio sis & ornamento: vivas autem diu, quàm vel temperantiâ duce, vel naturæ lege licet. Vale. Venetiis.

RESPONSIO AD GRATULATIONEM.

Form. Exord. Repetit gratulationem ab amico institutam, vel significat lætitiam ex ea perceptam. &c.

Anteced. Gratulationem dicat gratam esse, & gratias agat.

Connexio. Argumenta afferat, quare jucunda nobis gratulatio sit, à causis, adjunctis, comparatis, vel à rationibus, quòd gratulatio admittatur, aut admitti nequeat, nova dicat onera imposita, utatur formulis corrigendi, extenuandi se, respondendi ad aliorum gaudium.

Conseq. Polliceatur officium, vel petat, ut similiter in nos semper affectus sit, aut votum addat. &c.

Form. fin. &c.

Respon-

Reſponſoria ad Gratulationem Catonis 6. Libr. XV.

Argumentum. *Quantam ex Catonis laudatione voluptatem ceperit, cum ipſius laude eximia exponit, petitque, ſi favere noluerit in adipiſcendo triumpho, ſaltem, ſi adipiſcatur, gaudeat. Anno* U. C. 703.

M. T. C. M. Catoni S. P. D.

Lætus ſum laudari me, inquit Hector, opinor, apud Nævium, *abs te, Pater, à laudato viro.* Ea eſt enim profectò jucunda laus, quæ ab iis proficiſcitur, qui ipſi in laude vixerunt. Ego verò vel gratulatione litterarum tuarum, vel teſtimoniis ſententiæ dictæ, nihil eſt, quod me non aſſecutum putem. Idque mihi cùm ampliſſimum, tum gratiſſimum eſt, te libenter amicitiæ dediſſe, quod liquidò veritati dares. Et, ſi non modò omnes, verùm etiam multi Catones eſſent in civitate noſtra, in quâ unum extitiſſe mirabile eſt; quem ego currum, aut quam lauream cum tuâ laudatione conferrem? Nam ad meum ſenſum, & ad illud ſincerum ac ſubtile judicium nihil poteſt eſſe laudabilius, quàm ea tua oratio, quæ eſt ad me perſcripta à meis neceſſariis. Sed cauſam meæ voluntatis, non enim dicam cupiditatis, expoſui tibi ſuperioribus litteris: quæ etiamſi parùm juſta tibi viſa eſt, hanc tamen habet rationem, non ut nimis concupiſcendus honos, ſed tamen, ſi deferatur à ſenatu, minimè aſpernandus eſſe videatur. Spero autem illum ordinem pro meis ob rempublicam ſusceptis laboribus, me non indignum honore, uſitato præſertim, exiſtimaturum. Quodſi ita erit, tantùm ex te peto, quod amiciſſimè ſcribis, ut, cùm tuo judicio, quod ampliſſimum eſſe arbitraris, mihi tribueris, ſi id, quod maluero, acciderit, gaudeas. Sic enim feciſſe te, & ſenſiſſe, & veriùs ſcripſiſſe video; réſque ipſa declarat, tibi illum honorem noſtrum ſupplicationis jucundum fuiſſe, quòd ſcribendo affuiſti. Hæc enim ſenatûs-conſulta non ignoro ab amiciſſimis ejus, cujus de honore agitur, ſcribi ſolere. Ego, ùt ſpero, tè propediem videbo, atque utinam republica meliore, quàm timeo. Vale.

Muretus 55. Libr. I. *respondet Constantii Bargellini gratulationi de recuperata valetudine.*

M. Antonius Muretus Constantio Bargellino S. P. D.

Nunquam putâssem fore, non modò ut ex tuo, sed ut ex cujusquam dolore voluptatem capere possem. Et tamen si vera dicenda sunt, fatear necesse est, jucundissimum mihi fuisse, quod ex litteris tuis intellexi, vehementer, doluisse te, cùm primùm de invaletudine mea nuncius istuc allatus est. Dolor enim ille aliunde, quàm ab eximio quodam amore erga me tuo proficisci non potuit, & mihi, ex quo te primùm vidi, atque ex aliis plurimis audivi, quâ tu eruditione ac virtute vir esses, nihil optatius fuit, quàm ut abs te amarer. Jam optabilium rerum signa atque argumenta omnia jucunda esse notum est. Incredebiliter igitur confisus sum, Bargelline vir præstantissime, tanti me à te fieri, ut & mirificum dolorem senseris, cùm me graviter ægrotare audîsti, & exhilaturus sis, simul atque DEI beneficio morbum depulsum esse cognôsti. Quanquam ego ipse nondum satìs constitui, utrum mihi satius fuerit, ex hujus vitæ miseriis quamprimùm eripi, an diutiùs hìc manere. Certè enim cùm omnes summo consensu Medici dictitarent, nullam propè amplius reliquam esse spem evadendi, ita me comparâram, atque ita animum composueram, ut neque angerer, neque terrerer mortis, ùt putabatur, imminentis metu: neque quidquam aliud à DEO peterem, quàm ut mecum misericorditer ageret, condonaret errata anteactæ vitæ, neque pateretur me in illa separatione animi à corpore aut diutiùs, aut vehementiùs torqueri, quàm vires meæ ferre possent. Hoc ego tum unum agitabam animo, hoc ex animo precabar, hoc ceteros quoque, qui mihi assidebant, ut à DEO mihi impetrare conarentur, obsecrabam. Spero tamen, relictum esse me à DEO in hac vita, ut maculas superiori ætate contractas, lacrymis deleam: tantúmque omissis & abjectis vitiorum illecebris, saltem jam senex eam vivendi rationem capessam, quam tenere à principio debuissem. Atque à te vir clarissime, etiam atque etiam

peto

peto, ut me ad hoc animi mei propositum persequendum, ùt exemplo incitas, ita & monitis ac præceptis, & fusis pro me ad DEUM precibus adjuvare digneris. Jucundissimum mihi fuit munus tuum. Nam radiculæ non tantùm palato suaves sunt, sed etiam ad valetudinem meam valde accommodatæ. Mitto ad te, ut te pro opibus remunerer, librum unum orationum mearum, & poëmata quædam, quæ spero te libenter lecturum esse, non quòd valde bona sint, sed quòd mea. A te peto, uti me amare pergas: tibique pro certo suadeas, te à me ita observari ac coli, ut paucos admodùm habeas tuî, quam ego sum, studiosiores. Vale. Romæ XIV. Cal. Mart. M D. LXXVI.

GRATIARUM ACTIO.

Form. Exord. Significatur lætitia ex beneficio amici percepta, vel narratur ipsum beneficium, vel gratiæ continuò aguntur, denique vel scriptio excusatur, vel occasio exponitur.

Anteced. Gratiarum actionem proponit, vel gratias agi non posse declarat, vel favoris continuationem rogat, vel tarditatem scribendi excusat.

Connexio amplificat beneficia, quòd sint ultro collata, quòd citò, cumulatè, cum aliquo forsan periculo aut offensione aliorum; si data sint à viro mágno, nihil promeritis, ne exspectantibus quidem, si ab eo, quem multùm amamus &c.

Consequens pollicetur gratum animum, vel dicit gratiam referri non posse, vel petit, ut alter nos porro diligat, beneficia augeat, addit etiam votum pro salute.

Form. fin. &c.

Gratiarum Actoria Ciceronis 28. LXIII.

ARGUMENTUM.

Agit gratias, quòd Mescinio commendatio sua profuerit, rogátque, ut pergat ei bene facere. Deinde commendat Lacedæmonios. Anno U. C. 707.

Cicero Servio S.

Etsi libenter petere à te soleo, si quid opus est meorum cuipiam; tamen multò libentiùs gratias tibi ago, cùm fecis-

cisti aliquid commendatione meâ; quod semper facis. Incredibile est enim, quas mihi gratias omnes agant, etiam mediocriter à me tibi commendati: quæ mihi omnia grata, sed de L. Mescinio gratissimum. Sic enim est mecum locutus, te, ùt meas litteras legeris, statim procuratoribus suis pollicitum esse omnia, multò verò plura & majora fecisse. Id igitur (puto enim etiam atque etiam mihi dicendum esse) velim existimes, mihi te fecisse gratissimum. Quod quidem hòc vehementiùs lætor, quòd ex ipso Mescinio te video magnam capturum voluntatem. Est enim in eo cùm virtus & probitas, & summum officium, summáque observantia, tum studia illa nostra, quibus antea delectabamur, nunc etiam vivimus. Quod reliquum est, velim augeas tua in eum beneficia omnibus rebus, quæ te erunt dignæ. Sed duo quidem te nominatim rogo. Primùm, ut, si quid satisdandum erit, amplius eo nomine non peti, cures, ut satisdetur fide mea. Deinde, cùm ferè consistat hereditas in iis rebus, quas avertit Oppia, quæ uxor Mindii fuit; adjuves, ineásque rationem, quemadmodùm illa mulier Romam perducatur. Quodsi putârit illa fore, ùt opinio nostra est, negotium conficiemus. Hoc ut assequamur, te vehementer etiam atque etiam rogo. Illud, quod supra scripsi, id tibi confirmo, in méque recipio, te ea, quæ fecisti Mescinii causâ, quæque feceris, ita bene collocaturum, ut ipse judices, homini te gratissimo, jucundissimo benignè fecisse. Volo enim ad id, quod meâ causâ fecisti, hoc etiam accedere. Nec Lacedæmonios dubitare arbitror, quin ipsi suâ, Majorúmque suorum auctoritate satìs commendati sint fidei & justitiæ tuæ: & ego, qui te optimè novissem, non dubitavi, quin tibi notissima & jura & merita populorum essent. Itaque cùm à me peteret Philippus Lacedæmonius, ut tibi civitatem commendarem: etsi memineram, me ei civitati omnia debere, tamen respondi, commendatione Lacedæmonios apud te non egere. Itaque sic velim existimes, me omnes Achaiæ civitates arbitrari pro horum temporum perturbatione felices, quòd his tu præsis: eundémque me ita judicare, te, quòd unus optimè nôsses non nostra solùm, sed etiam Græciæ monumenta omnia, tuâ sponte amicum Lacedæmoniis & esse, & fore. Quare tantùm à te

peto,

peto, ut, cùm ea facies Lacedæmoniorum causâ, quæ tua fides, amplitudo, justitia postulat, ut his, si tibi videbitur, significes, te non molestè ferre, quòd intelligas, ea, quæ facias, mihi quoque grata esse. Pertinet enim ad officium meum, eos existimare, curæ mihi suas res esse. Hoc te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

Manutii Ep. 1. L. III. Hippolyto Estensi Cardinali Ferrariam.

Argumentum. Gratias agit pro conservatione sua in officio.

Valde me levavit, in hac mea satìs graviter affecta valetudine, oratoris vestri, Hieronymi Faleti, viri præstantis oratio: qui cùm sermonem mihi, Ferrariæ tecum habitum, exposuisset, multáque, ùt solet, de ingenio tuo singulari, de summa gravitate ac sapientia, nonnulla etiam de tua nequaquam â me, ùt audieram, aliena voluntate narrâsset: cepi lætitiam, quantam aliquis ex insperata, exoptataque re capere maximam possit, meásque statim esse partes duxi, ut ad te scriberem, ageremque gratias, quòd in eo loco, unde me depellere fortuna conaretur, tua me retineret humanitas. Quo sanè mihi nihil optatius, nihil hoc tempore, cùm infirmus langueo, ad animum meum sustentandum opportunius potuit accidere. Atque equidem ita statuo, actum esse mecum miserè prorsus atque infeliciter, quòd meam ad te veniendi cupiditatem incredibilem pestilentia primùm, deinde morbus impedierit: & in eo magnum studia mea, meásque res adiisse damnum, quibus à te, pro tuo instituto, veteríque consuetudine, consultum iri optimè pro certo existimabam. Quod quando ita accidit, & quando me à tuo convictu, non mea voluntas, non judicium, aut ulla mentis inconstantia, sed corporis imbecillitas, atque hæc anniversarii, ac pene jam perpetui morbi vis importuna sejungit: peto à te, Princeps humanissime, id saltem, quod in tua, non in fortunæ manu situm est, tribuas, & largiare, ut benevolentia mihi tua, & quæ fuit an-

antea, & quæ, si ad te ivissem, futura erat, eadem conservetur. Hoc si assequor, beatus hac una re sum: cetera parvi pendo. Ea porro mihi ut conservetur, ita postulo, si me, qualis in aula tua fuissem, talem esse absentem intellexeris, id est, observantem tuî, tuâque in laude omni studio & cogitatione defixum. Quodsi quibusdam litteris animus à me tuus est offensus, quòd in iis dicar minùs fortasse, quàm decuit, de te, aut de tuis modestè locutus, quod certè secus est: sed si me tunc à mea consuetudine impetus quidam abduxisset iracundiæ: nosti pro tua sapientia ingenium humanum: magna vis doloris est: impellimur sæpe longiùs, quàm ratio concedat: & facta quæ sunt, paulò post infecta frustra cupimus. Te tamen ita decet ignoscere dolori meo, si ex ista, ùt ego arbitror, causa susceptus est: sin aliter tibi videtur, ignoscere tamen debes, ut eluceat magìs in culpa humanitas: quæ si omni digna principe virtus est, te videtur Principe dignissima, quem ad omnem laudem natura genuit, disciplina erudivit, multorum annorum consuetudo assuefecit. Vale. Venetiis.

Mureti Ep. 46. L. I.

Argument. Gratias agit pro multis beneficiis.

M. Antonius Muretus Francisco Turnonio S. R. E. Episcopo Cardinali S. P. D.

Si tempus ad te scribendi usque eò differre voluissem, Francisce Turnoni, Cardinalis amplissime, dum par à me aliqua tuis erga me plurimis, maximisque beneficiis reperiretur oratio, magnopere mihi metuendum erat, ne & in eo quærendo, quod nunquam consequi possem, inani ipse me labore torquerem, & immodicâ silentii diuturnitate suspicionem tibi aliquam angusti & humilis animi, neque satìs, quantum à quoque acciperet, sentientis afferrem. Cùm igitur diem assiduè ex die ducens, sinè dubio diutiùs, quàm par fuerat, reticuissem, planè obstupefactus admiratione istius erga me tam prolixæ, támque beneficæ voluntatis tuæ: confirmavi me tandem, & ad hæc pauca, quoquo modo possem, scribenda me contuli: quibus quòd tam multis, támque claris & illustribus signis, me quamvis nihil prorsus tale promeritum, tibi tamen non vulgariter charum esse de-

declaraveris, gratias, quando nihil prætereà neque tu exſpectare, neque ego præſtare poſſum, tibi agerem immortales. Eſt omnino hæc tota gratiarum actio perpuſillum quiddam, pérque tenue: præſertim ſi comparetur cum magnitudine eorum beneficiorum, quibus tu me à te ornatum eſſe voluiſti: ſed eam tamen, cùm hæc ſcriberem, pro certo atque explorato habebam tibi non ingratam, neque injucundam fore: cùm, ùt ſcis, ne DEi quidem bonorum omnium auctoris infinitam in nos beneficentiam ullo alio modo remuneremur. Officiorum viciſſitudo eas amicitias continet, quibus inter ſe ejusdem ſortis homines, aut certè non admodùm diſpares devinciuntur: vobis, quos ſupra ceterorum conditionem evectos, , in ipſo rerum humanarum faſtigio divina providentia locavit, illud cum corporibus cœleſtibus commune eſt, quòd ùt illa efficientiam quidem ſuam in inferiora hæc, viréſque in ea exercent ſuas: ſed ab eis nihil viciſſim accipere, & ùt Græci ſuâ linguâ dicunt, pati queunt: ſic vos poteſtatis quidem, copiarúmque veſtrarum documenta ſublevandis inferioribus datis: ipſi viciſſim quidquam ab eis, præter laudem ac prædicationem, teſtem grati ac memoris animi, percipere non poteſtis. Ago igitur tibi quàm maximas gratias, Cardinalis clariſſime, humaniſſime, optime, agámque dum vivam, tibique à ſummo hujus univerſitatis effectore ac gubernatore DEo aſſiduis votis fauſta ac felicia omnia precabor: non quòd me dignum exiſtimem, cujus vota ab eo attendantur: ſed quòd tu digniſſimus, pro cujus ſalute atque incolumitate, etiam eorum, qui per ſe nullo numero habendi ſunt, preces non negligantur. Ita igitur faciam: conſervabo diligenter memoriam ejus humanitatis, quâ tu me immerentem, talis tantúsque vir, complexus es: útque tuo de me ampliſſimo, atque honorificentiſſimo teſtimonio, quantum in me erit, reſpondeam, modis omnibus operam dabo. Illuſtriſſimo quidem Cardinali Ferrarienſi, ad quem tua potiſſimùm auctoritate adductus, me, cùm primùm potero, conferam, commiſſurus non ſum, ut unquam venire poſſis in mentem, quòd fidem tuam in me recipiendo ſecutus ſit, pœnitere. Vale. 3. Non. Febr. M. D. LVII. Patavio.

RE-

RESPONSIO AD GRATIARUM ACTIONEM.

Form. Exord. Significatio lætitiæ ex grato alterius animo, vel extenuatio eorum, quæ à nobis facta sunt, vel commemoratio beneficiorum acceptorum, aut declaratio studii nostri erga amicum.

Anteced. Defertur officium ac studium nostrum & voluntas prompta.

Connexio. Rationes affert, cur gratificati amico simus, v. g. ob suavitatem amici, ob ejus in nos amorem, ob communicationem consiliorum, laudem grati animi.

Consequens renovat promissionem, vel continet cohortationem. Denique *form. final.*

Responsio Ciceronis ad gratiarum actionem 19. L. X. & 15. L. IX.

Argum. I. *Gratiarum actionem sibi gratam fuisse, & litteris ejus senatum delectatum significat, & ut reliquias belli conficiat, hortatur. Anno* U. C. 710.

Cicero Planco.

Quanquam gratiarum actionem à te non desiderabam, cùm te re ipsâ atque animo scirem esse gratissimum: tamen (fatendum est enim) fuit ea mihi perjucunda. Sic enim vidi, quasi ea, quæ oculis cernuntur, me à te amari. Dices: quid antea? semper equidem; sed nunquam illustriùs. Litteræ tuæ mirabiliter gratæ sunt senatui, cùm rebus ipsis, quæ erant gravissimæ, & maximæ, fortissimi animi, summique consilii: tum etiam gravitates sententiarum atque verborum. Sed, mi Plance, incumbe, ut belli extrema perficias. In hoc erit summa & gratia, & gloria. Cupio omnia reipublicæ causâ: sed, me hercules, in ea conservanda jam defatigatus, non multò plus patriæ faveo, quàm tuæ gloriæ: cujus maximam facultatem tibi immortales, ùt spero, dedêre, quam complectere, obsecro. Qui enim Antonium oppresserit, is hoc bellum teterrimum, periculosissimúmque confecerit. Vale.

Ar-

Argum. II. *Duabus Epistolis unâ respondet, priori de valetudine, & illius in se amore, & jucunditate: alteri, nihil referre, utrum Romæ sit, an Neapoli, cùm Romæ unius nutu regantur omnia. Anno* U. C. 707.

Cicero Pæto S.

Duabus tuis epiſtolis reſpondebo: uni, quam triduo ante acceperam à Zetho; alteri, quam attulerat Phileros tabellarius. Ex prioribus tuis litteris intellexi, pergratam tibi eſſe curam meam valetudinis tuæ: quam tibi perſpectam eſſe gaudeo. Sed, mihi crede, non perinde, ùt eſt reapſe, ex litteris perſpicere potuiſti. Nam cùm à ſatìs multis (non enim poſſum aliter dicere) & coli me videam, & diligi; nemo eſt illorum omnium mihi te jucundior. Nam quòd me amas, quòd id & jam pridem & conſtanter facis, eſt id quidem magnum, atque haud ſcio, an maximum: ſed tibi commune cum multis. Quòd tu ipſe tam amandus es, támque dulcis, támque in omni genere jucundus, id eſt propriè tuum. Accedunt non Attici, ſed ſalſiores, quàm illi Atticorum, Romani veteres, atque urbani ſales. Ego autem (exiſtimes licet, quod lubet) mirificè capior facetiis, maximè noſtratibus, præſertim cùm eas videam primùm 1. óblitas Latio tum, cùm in urbem noſtram eſt infuſa peregrinitas, nunc verò etiam 2. braccatis & tranſalpinis nationibus, ut nullum veteris lepóris veſtigium appareat. Itaque te cum video, omnes mihi Granios, omnes Lucilios (verè ut dicam) Craſſos quoque & Lælios videre videor. Moriar, ſi præter te quemquam reliquum habeo, in quo poſſim imaginem antiquæ & vernaculæ feſtivitatis agnoſcere. Ad hos lepóres cùm amor erga me tantus accedat, miraris, me tantâ perturbatione valetudinis tuæ tam graviter exanimatum fuiſſe? Quòd autem alterâ epiſtolâ purgas te, non diſſuaſorem mihi emptionis Neapolitanæ fuiſſe, ſed auctorem commora-

1. *Oblitas Latio,* inquinatas Latinorum in Urbem admiſſorum ſermone atque formulis peregrinis.

2. *Braccatis, & tranſalpinis)* Gallia *braccata,* quæ cis Alpes fuit, dicebatur provincia Narbonenſis, à genere veſtimenti: *comata* verò, quæ Romanis, antequàm à C. Cæſare ſuperaretur, non paruit, dicta à comis alendis. Hic Cicero jocatur, non ſinè ſtomacho, in Cæſarem, qui Gallis quibuſdam Cis-& Tranſalpinis civitatem dederat, & ex his nonnullos in ſenatum recepit.

morationis urbanæ; neque ego aliter accepi. Intellexi tamen idem, quod his intelligo litteris, non existimâsse te mihi licere, id quod ego arbitrabar, res has non omnino quidem, sed magnam partem relinquere. 3. Catulum mihi narras, & illa tempora. Quid simile? Ne mihi quidem ipsi tunc placebat diutiùs abesse à reipublicæ custodia. Sedebamus enim in puppi, & clavum tenebamus: nunc autem vix est in sentinâ locus. An minùs multa senatûs-consulta futura putas, si ego sim Neapoli? Romæ cùm sum, & urgeo forum, senatûs-consulta scribuntur apud 4. amatorem tuum, familiarem meum. Et quidem, 5. cùm in mentem venit, ponor ad scribendum: & ante audio senatûs-consultum in Armeniam & Syriam esse perlatum, quod in meam sententiam factum esse dicatur, quàm omnino mentionem ullam de eâ re esse factam. Atque hoc nolim me jocari putes. Nam mihi scito jam à regibus ultimis allatas esse litteras, quibus mihi gratias agant, quòd se meâ sententiâ reges appellaverim: quos ego non modò reges appellatos, sed omnino natos nesciebam. Quid ergo est? Tamen quamdiu hìc erit noster hic præfectus moribus, parebo auctoritati tuæ. Cùm verò aberit, ad fungos me tuos conferam. Domum si habebo, 6. in denos dies, singulos sumptuariæ legis dies conferam. Sin autem minùs invenero, quod placeat, decrevi habitare apud te. Scio enim me nihil tibi gratius facere posse. Domum Syllanam desperabam jam, ùt tibi proximè scripsi: sed tamen non abjeci. Tu velim, ùt scribis, cum fabris eam perspicias. Si enim nihil est in parietibus aut in tecto vitii, cetera mihi probabuntur. Vale.

Mureti Ep. 98. L. I. Francisco Bentio S. J.

Argum. Gratus commemorat, quantum ipse debeat Bentio.

M. Antonius Muretus Francisco Bentio Societatis JEsu S. P. D.

Quod non difficile modò factu, sed propè incredibile suapte

pte

3. *Catulum*, qui ab reipublicæ custodia nunquam discessit.

4. *Amatorem tuum*, Cæsarem.

5. *Cùm in mentem* &c.) ubi lubuit, præscribitur S. C. meum nomen, quasi scribendo adfuerim, etiamsi haud quaquam præstò fuerim.

6. Sc. Neapoli, sumptum in singulos dies præscriptum in decem dies distribuam.

pte ſponte videri poteſt, id mihi tecum uſuvenit, Franciſce Benti: ut inter homines ſummâ charitate devinctos, intercedat tamen propè quotidiana contentio; dum & tu & alienorum officiorum benigniſſimus æſtimator, ſumma quædam mihi debere te prædicas: Et ego contra tantum mihi à te tributum eſſe profiteor, ut omnis mihi ſpes planè præciſa ſit, tecum unquam paria faciendi. Nam ſi rationes putandæ, & ad calculum res vocanda ſit: quid à te mihi aliud ferri poteſt, quàm quòd multos abhinc annos efflореſcentem ingenii tui vim admiratus, ducem me tibi ad eas artes præbui, in quibus poſteà DEI ope, & induſtriâ tuâ fretus, eos progreſſus feciſti, ut in te jam pridem & eximia dicendi vis, & minimè vulgaris eruditio, uno omnium ore celebretur? Cujus qualiſcunque officii erga te mei abunde mihi magnam gratiam percipere videor, cùm, qui ad te audiendum confluunt, ad Mureti auditorem atque alumnum ire ſe prædicant, eáque in te vera ſpirantia agnoſcunt, quorum in me olim umbra fortaſſis aliqua ac ſimulacrum fuit. At ego niſi prorſus ingratum haberi me velim, quæ quantáque tibi à me deberi agnoſcam neceſſe eſt? Tu me primus tantò adoleſcentior tantò ſeniorem humana contemnere, & pleno gradu ad divina properare docuiſti: cùm in ipſo ætatis vernantis flore poſthabitis voluptatibus, ambitione depoſitâ, rejectis aliis omnibus curis, in iſtam te ſanctiſſimam, & orbi terrarum fructuoſſimam, hominum cultui divino mancipatorum ſodalitatem contuliſti: cùm in ſuſcepto ſemel conſilio tam conſtanter perſtitiſti: neque ceſſiſti illorum vocibus, qui cùm in collegiis veſtris educati eſſent, & illic didiciſſent iſtuc neſcio quid, quod jactant litterarum, à quo ipſo ordine flagitiosè deſciverant, in eum ne nomen dares, abſterrere te conabantur. In quem tu ſemel admiſſus, ita vitam inſtituiſti, ut facilè declaraveris, non illum cœcum quendam, ùt ipſi mentiebantur, ac temerarium impetum, ſed divini Numinis inſtinctum atque afflatum fuiſſe: &, ut ad ea redeam, quæ ad me propriè pertinent, nunquam ex illo conſiliis, præceptis, cohortationibus juvare me, & faces ac ſtimulos animo meo ad pietatem ſubdere deſtitiſti. Meritò itaque ita te amo, & ùt patrem filius, & ùt filium pater: his enim nos, quæ maxima ſunt, charitatis vinculis bonitas divina copulavit. Quare quod & in ceteris rebus, quoad potero, ſedulò faciam, libenter his paucis diebus obſecutus ſum ſtudio

dio tuo, & qui pridem conatus essem secundum Rhetoricorum Aristotelis librum latinè reddere, quanquam hoc tempore & multis, ùt nôsti, occupationibus obrutus, & molesto ac difficili pedum morbo octavum jam mensem impeditus, in tuam tamen gratiam etiam primum addidi. Tertium, ùt sæpe ex me audîsti, latinè reddi posse vix puto. Sed si quid unquam mihi vacui temporis dabitur, quod optare magìs quàm sperare possum, non ego quidem illum interpretabor: sed Aristotelea præcepta, quæ eo continentur, meo more tractare, & latinis exemplis illustrare conabor. In his autem, quos nunc ad te mitto, quósque amoris erga te mei monumentum esse cupio, facilè prospicio fore, ut multi multa mirentur, partim longè aliter à me accepta, quàm ab aliis, partim etiam à vulgata Græcorum librorum editione discrepantia. Qui hoc velim cogitarent, neque causam mihi ullam fuisse suscipiendi novi laboris, si nulla in re dissensissem à ceteris: & ipsos inter se Græcos libros ita variare, ut à multis discedere necesse sit, quicunque unum sequi velit. Spero autem me brevì breves quasdam notas in hos libros editurum, ex quibus, quid in eis aut præstiterim, aut præstare voluerim, cúrque locis aliquot, non ab aliis modò, sed ab ipso quoque eruditorum Coriphæo Petro Victorio, cui debetur, quidquid fructûs hac ætate ex horum librorum lectione percipitur, dissentire ausus sim, commodiùs intelligatur. Romæ Id. Febr. M. D. LXXV.

IN GENERE DELIBERATIVO.
PETITORIA.

Form. Exord. Fit à laude ejus, quem rogamus, à significatione spei ac fiduciæ, aut modestâ excusatione, vel ipsius petitionis æquitate, & modestâ commemoratione nostrorum meritorum.

Anteced. Constat 1. narratione, quâ exponitur id, quod rogare volumus. 2. Petitione brevi ac simplici per quasdam petendi formulas.

Connexio rationes habeat ab honesto, à necessario, â jucundo, à fiducia & spe, à factis promissis, à beneficiis præstitis, à consuetudine: occupat etiam ea, quæ opponi possent.

Con-

Consequens absolvitur pollicitatione, gratiarum, & studiorum, ac officiorum modestâ delatione, vel renovatione petitionis. Adjungitur congrua formula finalis.

Epistola petitoria Ciceronis 12. Libr. V. & 4. Libr. IX.

Argum. I. *Lucceium, historiarum scriptorem, rogat, ut de rebus suis in consulatu gestis, & de exilio, reditúque singularem separatúmque librum conficiat. Anno* U. C. 697.

M. C. L. Lucceio. Q. F. S. D.

Coram me tecum eadem hæc agere sæpe conantem deterruit pudor quidam penè subrusticus, quæ nunc expromam absens audaciùs. Epistola enim non erubescit. Ardeo cupiditate incredibili, neque, ùt ego arbitror, reprehendendâ, nomen ut nostrum scriptis illustretur & celebretur tuis; quod etsi mihi sæpe ostendis, te esse facturum, tamen ignoscas velim huic festinationi meæ. Genus enim scriptorum tuorum etsi erat semper à me vehementer exspectatum, tamen vicit opinionem meam, méque ita vel cepit, vel incendit, ut cuperem quàm celerrimè res nostras monumentis commendari tuis. Neque enim me solùm commemoratio posteritatis ad spem quandam immortalitatis rapit: sed etiam illa cupiditas, vel ut auctoritate testimonii tui, vel indicio benevolentiæ, vel suavitate ingenii, vivi perfruamur. Neque tamen, hæc cùm scribebam, eram nescius, quantis oneribus premerêre susceptarum rerum, & jam institutarum: sed quia videbam Italici belli & civilis historiam jam à te penè esse perfectam, dixeras autem mihi te reliquas res ordiri; deesse mihi nolui, quin te admonerem, ut cogitares, conjuncténe malles cum reliquis rebus nostra contexere, an, ùt multi Græci fecerunt, Callisthenes Troicum bellum, Timæus Pyrrhi, Polybius Numantinum: qui omnes à perpetuis suis historiis ea, quæ dixi, bella separaverunt: tu quoque item civilem conjurationem ab hostilibus, externísque bellis sejungeres. Equidem ad nostram laudem non multùm video interesse: sed ad properationem meam quiddam interest, non te exspectare, dum ad locum venias, ac statim causam illam totam, & tempus arripere. Et simul si uno in argumento, unâ-

utrâque in personâ mens tua tota versabitur, cerno jam animo, quantò omnia uberiora atque ornatiora futura sint. Neque tamen ignoro, quàm impudenter faciam, qui primùm tibi tantum oneris imponam, (potest enim mihi denegare occupatio tua) deinde etiam, ut ornes me, postulem. Quid si illa tibi non tantopere videntur ornanda? sed tamen, qui semel verecundiæ fines transierit, eum bene, & naviter oportet esse impudentem. Itaque te planè etiam atque etiam rogo, ut & ornes ea vehementiùs etiam, quàm fortasse sentis, & in eo leges historiæ negligas, gratiámque illam, de quâ suavissimè quodam in prooemio scripsisti, à quâ te deflecti non magìs potuisse demonstras, quàm Herculem Xenophontium illum à voluptate: ea si me tibi vehementiùs commendabit, ne aspernere: amoríque nostro plusculum etiam, quàm concedet veritas, largiare. Quòd si te adducemus, ut hoc suscipias, erit (ùt mihi persuadeo) materies digna facultate, & copiâ tuâ. A principio enim conjurationis usque ad reditum nostrum, videtur mihi modicum quoddam corpus confici posse; in quo & illa poteris uti civilium commutationum scientiâ, vel in explicandis causis rerum novarum, vel in remediis incommodorum, cùm & reprehendes ea, quæ vituperanda duces; &, quæ placebunt, exponendis rationibus comprobabis; &, si liberiùs, ùt consuêsti, agendum putabis, multorum in nos perfidiam, insidias, proditionem notabis. Multam enim casus nostri tibi varietatem in scribendo suppeditabunt, plenam cujusdam voluptatis, quæ vehementer animos hominum in legendo scripto retinere possit. Nihil est enim aptius ad delectationem lectoris, quàm temporum varietates, fortunaéque vicissitudines, quæ etsi nobis optabiles in experiendo non fuerunt, in legendo tamen erunt jucundæ. Habet enim præteriti doloris secura recordatio delectationem. Ceteris verò nullâ perfunctis propriâ molestiâ, casus autem alienos sine ullo dolore intuentibus, etiam ipsa misericordia est jucunda. Quem enim nostrûm ille moriens apud Mantineam Epaminondas non cum quâdam miseratione delectat? qui tum denique sibi afferri jubet spiculum, posteà quàm ei percontanti dictum est, clypeum esse salvum, ut etiam in vulneris dolore, æquo animo cum laude moreretur. Cujus studium in legendo non erectum

ctum 1. Themistoclis fugâ reditúque retinetur? Etenim ordo ipse annalium mediocriter nos retinet quasi enumeratione fastorum. At viri sæpe excellentis ancipites variíque casus habent admirationem, exspectationem, lætitiam, molestiam, spem, timorem. Si verò exitu notabili concluduntur, expletur animus jucundissimâ lectionis voluptate. Quò mihi acciderit optatius, si in hac sententia fueris, ut in continentibus tuis scriptis, in quibus perpetuam rerum gestarum historiam complecteris, secernas hanc quasi fabulam rerum eventorúmque nostrorum. Habes enim varios actus multásque actiones & consiliorum & temporum. Ac non vereor, ne assentatiunculâ quâdam aucupari tuam gratiam videar, cùm hoc demonstrem, me à te potissimùm ornari, celebraríque velle. Neque enim tu is es, qui, quid sis, nescias; & qui non eos magìs, qui te non admirentur, invidos, quàm eos, qui laudent, assentatores arbitrere. Neque autem ego sum ita demens, ut me sempiternæ gloriæ per eum commendari velim, qui non ipse quoque in me commendando propriam ingenii gloriam consequatur. Neque enim Alexander ille gratiæ causâ ab Apelle potissimùm pingi, & à Lysippo fingi volebat: sed quòd illorum artem cùm ipsis, tum etiam sibi gloriæ fore putabat. Atque illi artifices corporis simulacra ignotis nota faciebant: quæ vel si nulla sint, nihilo tamen sint obscuriores clari viri. Nec minùs est Spartiates Agesilaus ille perhibendus, qui neque pictam, neque fictam imaginem suam passus est esse, quàm qui in eo genere laborârunt. Unus enim Xenophontis libellus in eo rege laudando facilè omnes imagines omnium, statuásque superavit. Atque hoc præstantius mihi fuerit & ad lætitiam animi, & ad memoriæ dignitatem, si in tua scripta pervenero, quàm si in ceterorum; quòd non ingenium mihi solùm suppeditatum fuerit tuum, sicut Timoleonti à Timæo, aut ab Herodoto Themistocli; sed etiam auctoritas clarissimi & spectatissimi viri, & in reipublicæ maximis gravissimísque caussis cogniti, atque in primis probati: ut mihi non solùm præconium, quod, cùm in Sigæum venisset Alexander, ab Homero Achilli tributum esse dixit; sed etiam

1. Themistocles veritus iram Atheniensium ad Artaxerxem Persarum regem confugit: de reditu tamen ejus non constat: unde alii omittendum putant.

etiam grave teſtimonium impertitum clari hominis, magníque videatur. Placet enim mihi Hector ille Nævianus, qui non tantùm laudari ſe lætatur, ſed addit etiam *à laudato viro.* Quod ſi à te non impetro, hoc eſt, ſi quæ te res impedierit, (neque enim fas eſſe arbitror, quidquam me rogantem abs te non impetrare) cogar fortaſſe facere, quod nonnulli ſæpe reprehendunt: ſcribam ipſe de me: multorum tamen exemplo & clarorum virorum. Sed, quod te non fugit, hæc ſunt in hoc genere vitia: & verecundiùs ipſi de ſeſe ſcribant neceſſe eſt, ſi quid eſt laudandum; & prætereant, ſi quid reprehendendum eſt. Accedit etiam, ut minor ſit fides, minor auctoritas: multi denique reprehendant & dicant, verecundiores eſſe præcones ludorum gymnicorum, qui cùm ceteris coronam impoſuerint victoribus, eorúmque nomina magnâ voce pronunciârint, cùm ipſi ante ludorum miſſionem coronâ donentur, alium præconem adhibeant, ne ſuâ voce ipſi ſe victores eſſe prædicent. Hæc nos vitare cupimus; &, ſi recipis cauſam noſtram, vitabimus; ídque ut facias rogamus. Ac ne fortè mirere, cur, cùm mihi ſæpe oſtenderis, te accuratiſſimè noſtrorum temporum conſilia atque eventus litteris mandaturum, à te id nunc tanto opere, & tam multis verbis petamus. Illa nos cupiditas incendit, de quâ initio ſcripſi, feſtinationis, quòd alacres animo ſumus: ut & ceteri, viventibus nobis, ex libris tuis nos cognoſcant, & noſmetipſi vivi gloriolâ noſtrâ perfruamur. His de rebus quid acturus ſis, ſi tibi non eſt moleſtum, reſcribas mihi velim. Si enim ſuſcipis cauſam, conficiam commentarios rerum omnium. Si autem differs me in tempus aliud, coram tecum loquar. Tu interea non ceſſabis, & ea, quæ habes inſtituta, perpolies, nóſque diliges. Vale.

Argum. II. *Res à ſe geſtas exponit, & ut Cicero ſuâ ſe ſententiâ in ſupplicationibus decernendis adjuvet, rogat. Anno* U. C. 709.

D. Brutus Imp. Coſ. Deſign. Ciceroni S. D.

Si de tuâ in me voluntate dubitarem, multis à te verbis peterem, ut dignitatem meam tuerere. Sed profectò eſt ita, ut mihi perſuaſi, me tibi eſſe curæ. Progreſſus ſum ad 1. *Inalpinos cum exercitu, non tam nomen imperatorium captans, quàm cupiens militibus ſatisfacere, firmóſque eos ad tuendas noſtras res efficere; quod mihi videor conſecutus. Nam & liberalitatem noſtram,*

1. *Inalpinos,*) qui Alpibus inhabitant.

ſtram, & animum ſunt experti. Cum omnium bellicoſiſſimis bellum geſſi, multa caſtella cepi, multa vaſtavi. Non ſine cauſâ ad ſenatum litteras miſi. Adjuva nos tuâ ſententiâ: quod cùm facies, ex magna parte communi commodo inſervieris. Vale.

Petitoriæ Plinii 2. Libr. III. & 13. Libr. IV.

Argum. I. *Maximum rogat pro conferenda amico dignitate.*

C. Plinius Maximo ſuo S.

Quod ipſe amicis tuis obtuliſſem, ſi mihi eadem materia ſuppeteret, id nunc jure videor à te meis petiturus. Arrianus Maturus Altinatium eſt princeps. Cùm dico Princeps, non de facultatibus loquor, quæ illi largè ſuperſunt: ſed de caſtitate, juſtitia, gravitate, prudentiâ. Hujus ego conſilio in negotiis, judicio in ſtudiis utor. Nam plurimùm fide, plurimùm veritate, plurimùm intelligentiâ præſtat. Amat me [nihil poſſum ardentius dicere] ùt tu. Caret ambitu: ideo ſe in equeſtri gradu tenuit, cùm facilè poſſet aſcendere altiſſimum. Mihi tamen ornandus, excolendúsque eſt. Itaque magni æſtimo, dignitati ejus aliquid adſtruere inopinantis, neſcientis, imò etiam fortaſſe nolentis: adſtruere autem quod ſit ſplendidum, nec moleſtum; cujus generis quæ prima occaſio tibi, conferas in eum rogo: habebis me, habebis ipſum gratiſſimum debitorem. Quamvis enim iſta non adpetat, tam gratè tamen excipit, quàm ſi concupiſcat. Vale.

Argum. II. *Petit à Tacito, velit Pædagogum comparare.*

C. Plinius Tacito ſuo S.

Salvum te in urbem veniſſe gaudeo. Veniſti autem ſi quando aliàs, nunc maximè mihi deſideratus. Ipſe pauculis adhuc diebus in Tuſculano commorabor, ut opuſculum, quod eſt in manibus, abſolvam. Vereor enim, ne ſi hanc intentionem jam in finem laxavero, ægrè reſumam. Interim ne quid feſtinationi meæ pereat, quod ſum præſens petiturus, hâc quaſi præceptoriâ epiſtolâ rogo: ſed priùs accipe cauſas rogandi, deinde ipſum, quod peto. Proximè cùm in patria mea fui, venit ad me ſalutandum municipis mei filius prætextatus: huic ego, ſtudes inquam? Reſpondit etiam. Ubi? Mediolani. Cur non hìc? & pater ejus [erat enim unà, atque etiam ipſe ad-

duxerat puerum] quia nullos hic præceptores habemus. Quare nullos? nam vehementer intererat veſtra, qui patres eſtis, & opportunè, cùm plures patres audiebant, liberos veſtros hìc potiſſimùm diſcere. Ubi enim aut jucundiùs morarentur quàm in patriâ? aut pudicitiùs continerentur, quàm ſub oculis parentum? aut minore ſumptu, quàm domi? Quantulum eſt ergo collatâ pecuniâ conducere præceptores? quódque nunc in habitationes, in viatica, in ea, quæ peregrè emuntur, impenditis, adjicere mercedibus? Atque ego, qui nondum liberos habeo, paratus ſum pro republica noſtra quaſi pro filia, vel parente tertiam partem ejus, quod conferre vobis placebit, dare. Totum etiam pollicerer, niſi timerem, ne hoc munus meum quandoque ambitu corrumperetur, ùt accidere multis in locis video, in quibus præceptores publicè conducuntur. Huic vitio uno remedio occurri poteſt, ſi parentibus ſolis jus conducendi relinquatur, iisdémque religio rectè judicandi neceſſitate collationis addatur. Nam qui fortaſſe de alieno negligentes, certè de ſuo diligentes erunt: dabúntque operam, ne eam pecuniam nonniſi dignus accipiat, ſi accepturus & ab ipſis erit. Proinde conſentite, conſpirate, majorémque animum ex meo ſumite, qui cupio eſſe quàm plurimum, quod debeam conferre. Nihil honeſtius præſtare liberis veſtris, nihil gratius patriæ poteſtis. Edoceantur hìc, qui hìc naſcuntur, ſtatímque ab infantia natale ſolum amare, frequentare conſueſcant. Atque utinam tam claros præceptores inducatis, ut à finitimis oppidis ſtudia hinc petantur: útque nunc liberi veſtri aliena in loca, ita mox alieni in hunc locum confluant. Hæc putavi altiùs, & quaſi à fonte repetenda, quò magìs ſcires, quàm gratum mihi foret, ſi ſuſciperes, quod injungo. Injungo autem, & pro rei magnitudine rogo, ut ex copia ſtudioſorum, quæ ad te ex admiratione ingenii tui convenit, circumſpicias præceptores, quos ſollicitare poſſimus, ſub eâ tamen conditione, ne cui fidem meam obſtringam. Omnia enim libera parentibus ſervo. Illi judicent, illi eligant. Ego mihi curam tantùm, & impendium vendico. Proinde ſi quis fuerit repertus, qui ingenio ſuo fidat, eat illuc, eâ lege, ut hinc nihil aliud certum, quàm fiduciam ſuam ferat. Vale.

Reſpon-

Responsio ad petitionem, cui locus datur.

Form. Exord. A significatione acceptarum litterarum, aut repetitione petitionis, aut abruptâ gratificatione.

Anteced. constat pollicitatione eorum, quæ petuntur.

Connexio ostendit, quid egeris, quid acturus sis, possúntque utriusque rationes afferri.

Consequens habet votum, ut omnia feliciter cedant, vel pollicitatione summi studii. &c.

Responsio ad petitionem, cui locus non datur.

Form. Exord. Constat significatione studii erga amicum, aut narratione acceptarum litterarum, vel significatione doloris &c.

Antecedens proponit modestè negationem cum excusatione, vel dehortatione, vel doloris significatione, vel etiam reprehensione. &c.

Connexio habet rationes, cur effici aut imperari res nequeat.

Consequens absolvitur petitione, aut officii & studii in aliis pollicitatione. &c.

Exempla ad I. Cicero 6. Libr. XI. Plinius 18. Libr. II.

Argum. I. *Commendaverat Brutus suam dignitatem. Respondet Cicero sibi eam etiam atque etiam curæ fore: idque jam in senatu declaratum. Anno U. C.* 709.

M. Cicero D. Bruto Imp. Cos. des. S.

Lupus noster cùm Romam sexto die Mutinâ venîsset; postridie me manè convênit, tuáque mihi mandata diligentissimè exposuit, & litteras reddidit. Quòd mihi tuam dignitatem commendas, eodem tempore existimo te mihi meam dignitatem commendare, quam me hercule non habeo tuâ chariorem. Quare mihi gratissimum facies, si exploratum habebis, tuis laudibus nullo loco nec consilium, nec studium meum defuturum. Cùm tribuni plebis edixissent, senatus adesset a. d. XIII. Cal. Jan. haberéntque in animo de præsidio consulum

ſulum deſignatorum referre: quanquam ſtatueram in ſenatum ante Cal. Jan. non venire, tamen cùm eo die ipſo edictum tuum propoſitum eſſet, nefas eſſe duxi, aut ita haberi ſenatum, ut de tuis divinis in rempublicam meritis ſileretur (quod factum eſſet, niſi ego veniſſem) aut etiam ſi quid de te honorificè diceretur, me non adeſſe. Itaque in ſenatum veni manè: quod cùm eſſet animadverſum, frequentiſſimi ſenatores convenerunt. Quæ de te in ſenatu egerim, quæ in concione maximâ dixerim, aliorum te litteris malo cognoſcere. Illud tibi perſuadeas velim, me omnia, quæ ad tuam dignitatem augendam pertinebunt, quæ eſt per ſe ampliſſima, ſummo ſemper ſtudio ſuſcepturum, & defenſurum: quod quanquam intelligo me cum multis eſſe facturum, tamen appetam hujus rei principatum. Vale.

Argum. II. *Reſpondet epiſtolæ de idoneo præceptore quærendo.*

C. Plinius Murcio ſuo S.

Quid à te jucundius mihi potuit injungi, quàm ut præceptorem fratris tui liberis quærerem? Nam beneficio tuo in ſcholam redeo, & illam dulciſſimam ætatem quaſi reſumo. Sedeo inter juvenes, ùt ſolebam. Atque etiam experior, quantum apud illos auctoritatis ex ſtudiis habeam. Nam proximè frequenti auditorio inter ſe coram multi ordinis noſtri clarè jocabantur: intravi, conticuerunt. Quod non referrem, niſi ad illorum magìs laudem, quàm ad me pertineret: ac niſi ſperare te vellem, poſſe fratris tui filios probè diſcere. Quod ſupereſt, cùm omnes, qui profitentur, audîero, quid de quoque ſentiam, ſcribam: efficiámque, quantum tamen epiſtolâ conſequi potero, ut ipſe omnes audîſſe videaris. Debeo enim tibi, debeo memoriæ fratris tui hanc fidem, hoc ſtudium, præſertim ſuper tantâ re. Nam quid magìs intereſt veſtra, quàm ut liberi (dicerem tui, niſi nunc illos magìs amares) digni illo patre, te patruo reperiantur? Quam curam mihi, etiamſi non mandâſſes, vindicâſſem. Nec ignoro, ſuſcipiendas offenſas in eligendo præceptore. Sed oportet me non modò offenſas, verùm etiam ſimultates pro fratris tui filiis tam æquo animo ſubire, quàm parentes pro ſuis. Vale.

Exempla ad II. Cicero ad Atticum 7. Libr. III. Muretus 66. Libr. I.

Argum. I. *Cicero reſpondet Attico, cur ejus petitioni, in Epiro degendi, ſatisfacere non poſſet.*

Cicero

Cicero Attico Sal.

Brundusium veni a. d. XIV. Cal. Majas. Eo die pueri tui à te mihi litteras reddiderunt; & alii pueri post diem tertium ejus diei alias litteras attulerunt. Quòd me rogas & hortaris, ut apud te in Epiro sim: voluntas tua mihi valde grata est, & minimè nova: sed & consilium mihi quidem optatum, si liceret ibi omne tempus consumere. Odi enim celebritatem; fugio homines; lucem adspicere vix possum. Esset mihi ista solitudo, præsertim tam familiari in loco, non amara: sed itineris causâ, ut divertar, primùm est devium: deinde ab Autronio, & ceteris quatridui; deinde sinè te. Nam 1. castellum munitum habitanti mihi prodesset; transeunti non est necessarium. Quòd si auderem, Athenas peterem: sanè ita cadebat, ùt vellem. Nunc & nostri hostes ibi sunt; & te non habemus; & veremur, ne interpretentur, illud quoque oppidum ab Italia non satìs abesse: nec scribis, quam ad diem te exspectemus. Quòd me ad vitam vocas, unum efficis, ut à me manus abstineam; alterum non potes, ut me non nostri consilii, vitaéque pœniteat. Quid enim est, quod me retineat, præsertim si spes ea non est, quæ nos proficiscentes prosequebatur? Non faciam, ut enumerem miserias omnes, in quas incidi per summam injuriam, & scelus non tam inimicorum meorum, quàm invidorum, ne & meum mœrorem exagitem, & te in eundem luctum vocem. Hoc affirmo, neminem unquam tantâ calamitate esse affectum; nemini mortem magìs optandam fuisse: cujus oppetendæ tempus honestissimum prætermissum est. Reliqua tempora non sunt jam ad medicinam, sed ad finem doloris. De republica, video te colligere omnia, quæ putes aliquam spem mihi posse afferre mutandarum rerum: quæ quanquam exigua sunt; tamen, quoniam placet, exspectemus. Tu nihilominùs, si properâris, nos consequêre. Nam aut accedemus in Epirum, aut tardè per

1. *Castellum*) Si mihi liceret in Epiro tecum habitare, prodesset Castellum tuum munitum, ut ibi tutò consisterem: sed & Catilinarii exules in Achaja & propinquis partibus Epiri tantùm quatridui itinere absunt, & Clodiani interpretabuntur, Buthrotum oppidum, sub quo castellum tuum est, ab Italia non distare quadraginta millia, intra quæ mihi non licet esse.

per 2. Candaviam ibimus. Dubitationem autem de Epiro non inconſtantia noſtra afferebat, ſed quòd de fratre, ubi eum viſuri eſſemus, neſciebamus. Quem quidem ego, nec quomodò viſurus, nec ubi dimiſſurus ſim, ſcio. Id eſt maximum, & miſerrimum mearum omnium miſeriarum. Ego & ſæpiùs ad te, & plura ſcriberem, niſi mihi dolor meus cùm omnes partes mentis, tum maximè hujus generis facultatem ademiſſet. Videre te cupio. Cura ut valeas. Pridie Cal. Maj. Brunduſii.

Argum. II. *Muretus recuſat vocationem Regis Poloniæ.*

M. Antonius Muretus Paulo ſacrato ſuo S. P. D.

Tandem ad te remitto epiſtolas tuas: neque enim per aſſiduas occupationes & per moleſtiſſimum oculorum dolorem, quo dies aliquot laboravi, citiùs licuit. Eæ ſi conquerentur, ſe à me pauló ſeveriùs acceptas eſſe; recordari debebis, hoc ipſum à te mihi mandatum eſſe; ut ſi molliùs ac leniùs eas tractare voluiſſem, verendum mihi fuerit, ne tibi non ſatìs obſequens viderer. Sed de his ſatìs. Nunc exponam tibi totum illud negotium Polonicum: quando litteræ, quas ad te, re adhuc recenti, ſcripſeram, perierunt. Stephanus Poloniæ Rex, qui & aliis regiis virtutibus ornatiſſimus eſt, & hoc ſupra ceteros omnes reges, qui multis abhinc ſeculis vixerunt, eximium habet, quòd & amat unicè homines eruditos, & ipſe omni elegantis doctrinæ genere mirificè excultus eſt, miſerat in Italiam unum è domeſticis ſuis, qui quaſi delectum quendam haberet præſtantium doctrinâ virorum, eóſque opimis admodùm propoſitis conditionibus in Poloniam invitaret, ad Academiam novam, quam Rex Cracoviæ inſtituere parabat. In mandatis autem regiis, quod ad alios quidem attinet, facta erat poteſtas ei, qui huc venerat, optimum quemque, & in docendo exercitatiſſimum deligendi: de tribus nominatim perſcriptum erat: de me, de Carolo Sigonio, & de Fulvio Urſino. Ac mihi merces propoſita mille quingenti quot annis aurei nummi. Adde-

2. *Candaviam*] montem Illyrici, qui Macedoniam, Illyricúmque diſterminat.

debat Rex, si sacris initiari vellem (nondum enim sciebat me sacerdotem esse) perfecturum se, quò magis libéret manere in Polonia, ut intra breve tempus, honesto aliquo sacerdotio, ex quo non minus quingentos annuos aureos nummos caperem, cohonestarer. Eâ de re unus è primoribus illius regni, Joannes Zamoscius, qui nunc magnus regni Cancellarius est, litteras ad me peramanter, pérque honorificè scriptas dedit. Commotus sum non tam ipsius præmii magnitudine (etsi his quidem temporibus inusitatâ) quàm tanti Regis tam propensâ ac beneficâ erga homines litterarum studiis deditos voluntate. Neque me commovebat itineris difficultas: qui exploratum haberem, cùm lecticâ, unà cum filiolo fratris mei, puero sex annos nato, quem mecum illuc ducere cogitabam, ad fanum Lauretanum (eo enim, religionis ac pietatis causâ, iter facere decreveram) gestatus essem, posse me scio Cracoviam usque commodissimè vehi. Et jam convenerat, ut mihi Regis nomine ad iter conficiendum darentur trecenti aurei nummi, ad quos ego ducentos de meo præterea addere cogitabam. Jam mihi illud sanctitatis ac doctrinæ specimen Stanislaus Cardinalis Varmiensis gratuitam habitationem in palatio, quod Cracoviæ habet amplissimum, offerebat. Multæ à summis viris litteræ commendatitiæ in Germaniam & Poloniam promissæ erant: ut cùm eò venissem, nunquam ferè in diversoria publica ingredi necesse haberem. Neque verebar illam, quæ in Polonia esse dicitur, inclementiam cœli, asperitatémque frigoris. Sciebam illa omnia re multò minora esse, quàm famâ: & alioquin sim ipse quoque natus in parte Galliæ maximè montosâ ac frigidâ. Quod autem quidam, qui deterrere me cuperent, clamabant, gentes illas feras ac barbaras esse, interdum mihi risum interdum stomachum movebant. Magna mihi, Socrate, cum multis Germanis, magna cum permultis Polonis familiaritas, magnus usus, magna necessitudo fuit. Semper eos expertus sum bonos viros, rectos, simplices, apertos, humanissimos præterea, & propè omnes eo vitæ cultu ac munditiâ, quæ ad elegantiam potiùs, quàm ad ullam barbariem accederet. Nugæ istæ sunt hominum, eos, qui adulari & fallere, & aliud loqui, aliud cogitare nesciunt, barbaros vocantium. Utinam nos eo modo barbari essemus. Viri ergo barbariores sunt, nati in mediâ Italia, quorum vix centesimum quemque reperias, qui latinè

aut

aut Græcè loqui sciat, aut litteras amet: an Germani ac Poloni, quorum permulti & earum linguarum utramque perfectissimè callent, & ita litteras ac liberales disciplinas amant, ut in eis tempus omne consumant. Olim illi fortassis asperi ac barbari fuerunt: hoc quidem seculo, vereor ne ad nos barbaries, ad illos cultus & splendor vitæ, & eruditio atque humanitas, mutatis sedibus, commigrârint. Itaque ut verum tibi fatear, libentissimè eò commeâssem, si nihil obstitisset. Quidquid enim commodi mei causâ ab eis petebam, id omnes prolixè ac copiosè offerebant, ut jam constaret inter nos sine ullo negotio conventurum esse. Quid quæris? Fidem eis dederam, venturum esse me, si per summum Pontificem, cui servio, & per Cardinalem Estensem, cujus in clientela ac familia sum, liceret; alioqui enim non posse me, nisi eorum permissu, de me ipso quidquam tale polliceri. Putabam autem neutrum eorum hoc iniquo animo laturum, cùm Cardinalis quidem gratìs me alat. Nullam enim ad rem meâ operâ utitur: summus autem Pontifex ingentem copiam habiturus esset eruditissimorum hominum, qui se in locum meum substitui postularent. Contra tamen accidit, quàm putâram. Etenim cùm rumor de meo discessu totâ jam urbe pervulgatus esset; Conservatores populi R. (is summus Magistratus est eorum, qui hodie populi suffragiis deferuntur) ad Pontificem accedunt, cùm præsentes etiam adessent ii ex Cardinalibus, quibus studiorum cura commissa est, rémque ei exponunt: atque ab eo supplices petunt, ne me abire patiatur: addunt multa de me, quæ malo te ex aliis cognoscere. Pontifex benignè eos audit: bono animo esse jubet: se, quod opus foret, imperaturum esse confirmat. Paucis post diebus per Ludovicum Castaneum Rupipozæum Christianissimi Regis Oratorem, virum & claritate generis, & virtute, & eruditione præstantem, jubet mihi denuntiari, ne abeam: sibi curæ fore, ne me, quòd auctoritati suæ paruissem, pœniteret. Respondi, nullam pecuniam mihi esse tanti, ut mihi quidquam placeret, quod Pontifici displiceret: & honorificum quidem mihi visum esse, quòd à tanto Rege vocarer: sed multò honorificentius, quòd & à Pontifice, & à tali Pontifice retinerer. Pontifex postea epistolam ad me misit amantissimè scriptam, quâ ad stipendium quingentorum nummorum aureorum

rum

rum, quod jam pridem capiebam, significabat se ducentos præterea addidisse. Eodem tempore Matthæus Contarellus Pontificis Datarius, vir & eximiâ quâdam integritate vitæ, & singulari Romanarum rerum intelligentiâ insignis, & mei, ùt scis, amantissimus, certiorem me fecit, sibi à Pontifice mandatum esse, ut mihi quamprimùm attribueret, & adsignaret annuam trecentorum aureorum nummorum pensionem. Itaque Rex tam longinquus effecit testimonio & judicio de me suo, ut sanctissimi Pontificis liberalitate ad veteres fortunulas meas accesserint annui quingenti aurei nummi. Sed & Cardinalis Estensis simul atque istinc rediit, amplo me, atque honorifico munere donavit: quod ego magìs prædicare gestio, quòd ipse tacere me jussit. Parendum tamen est, ne dum gratus haberi volo, me illi non satis morigerum præbeam. Sed & ego scribendo defessus sum: & te suspicor, cùm hæc tam verbosè scripta legeris, fessum fore. Vale. Romæ Pridie Cal. Maji. M. D. LXXVIII.

CONSOLATORIA.

Form. Exord. fit à demonstratione doloris ex casu amici, vel extenuatione ingenii in consolando, vel amoris ac studii sui commemoratione, vel excusatione tarditatis, aut etiam prædicatione sapientiæ in amico &c.

Antecedens fit adhortatione, ne ægrè nimis casum ferat, aut pollicitatione melioris fortunæ, vel voto, ut solatium afferre possimus. &c.

Connexio rationes habeat, quare mala fortiter ferenda; homines enim sumus, Christiani, ad meliora servati, similia magnorum ac piorum fata esse, ad DEI voluntatem erigendum esse animum &c.

Consequens absolvitur pollicitatione voluntatis, & studii, aut adhortatione ad animi magnitudinem, aut repetitione argumentorum, aut melioris sortis promissione &c.

Consolatoria, inter famil. Ciceronis 5. Libr. IV. Plinii 7. Libr. III. Lipsii Cent. 2. ad Belg. 28.

Argument. I. Servius, Græciæ præfectus, auditâ Tulliæ Ciceronis filiæ morte, mœrentem patrem undique conquisitis argumentis consolatur. Anno U. C. 708.

X Ser.

Ser. Sulpicius M. T. Ciceroni S. D.

Posteaquàm mihi renunciatum est de obitu Tulliæ filiæ tuæ: sanè, quàm pro eo, ac debui, graviter molestéque tuli; communémque eam calamitatem existimavi: qui si istic affuissem, neque tibi defuissem, corámque meum dolorem tibi declarâssem. Etsi genus hoc consolationis miserum atque acerbum est, propterea quia, per quos illa confieri debet, propinquos ac familiares, ipsi pari molestiâ afficiuntur; neque sine lacrymis multis id conari queunt: utì magìs ipsi videantur aliorum consolatione indigere, quàm aliis posse suum officium præstare: tamen, quæ in præsentia in mentem mihi venerunt, decrevi brevì ad te perscribere, non quòd ea te fugere existimem, sed quòd forsitan, dolore impeditus, minùs ea perspicias. Quid est, quòd tanto opere te commoveat tuus dolor intestinus? Cogita, quemadmodùm adhuc fortuna nobiscum egerit: ea nobis erepta esse, quæ hominibus non minùs, quàm liberi, chara esse debent, patriam, honestatem, dignitatem, honores omnes. Hoc uno incommodo addito, quid ad dolorem adjungi potuit? aut qui non in illis rebus exercitatus animus callere jam debet, atque omnia minoris æstimare? At illius vicem, credo, doles? Quoties in eam cogitationem necesse est & tu veneris, & nos sæpe incidimus, hisce temporibus non pessimè cum iis esse actum, quibus sine dolore licitum est mortem cum vita commutare? Quid autem fuit, quod illam hoc tempore ad vivendum magnoperè invitare posset? quæ res? quæ spes? quod animi solatium? ut cum aliquo adolescente primario conjuncta ætatem ageret? Licitum est tibi (credo) pro tua dignitate ex hac juventute generum deligere, cujus fidei liberos tuos te tutò committere putares. An ut ea liberos ex sese pareret: quos cùm florentes videret, lætaretur? qui rem à parente traditam per se tenere possent? honores ordinatim petituri essent in republica? in amicorum negotiis liberalitate suâ uti? Quid horum fuit, quod non priùs, quàm datum est, ademptum sit? At verò malum est, liberos amittere. Malum, nisi hoc pejus sit, hæc sufferre & perpeti. Quæ res mihi non mediocrem consolationem attulit, volo tibi commemorare, si fortè eadem res tibi minuere dolorem possit. Ex Asia rediens, cùm ab Aegina Megaram versùs navigarem, cœpi regiones circumcirca prospicere. Post me erat Aegina, antè Megara, dextrà Piraeus, sinistrà Corinthus: quæ oppida quodam tempore florentissima fuerunt,

nunc

nunc prostrata & diruta ante oculos jacent. Cœpi egomet mecum sic cogitare: Hem, nos homunculi indignamur, si quis nostrûm interiit aut occisus est, quorum vita brevior esse debet, cùm uno loco tot oppidûm cadavera projecta jaceant? Visne tu te, Servi, cohibere, & meminisse hominem te esse natum? Crede mihi, cogitatione eâ non mediocriter sum confirmatus. Hoc idem, si tibi videtur, fac ante oculos tibi proponas. Modò, uno tempore, tot viri clarissimi interierunt: de imperio praetereà tanta diminutio facta est: omnes provinciae conquassatae sunt: in unius mulierculae animulâ si jactura facta est, tanto opere commovéris? Quae si hoc tempore non diem suum obiisset, paucis pòst annis tamen ei moriendum fuit: quoniam homo nata fuerat. Etiam ab hisce tu rebus animum ac cogitationem tuam avoca, atque ea potiùs reminiscere, quae digna tuâ personâ sunt, illam, quamdiu fuerit opus ei, vixisse; unà cum republicâ fuisse; te patrem suum, praetorem, consulem, augurem vidisse, adolescentibus primariis nuptam fuisse; omnibus bonis propè perfunctam esse; cùm respublica occideret, vitâ excessisse. Quid est, quod tu, aut illa, cum fortuna hoc nomine queri possitis? Denique noli te oblivisci Ciceronem esse, & eum, qui aliis consueveris praecipere & dare consilium; neque imitare malos medicos, qui in alienis morbis profitentur, tenere se Medicinae scientiam, ipsi se curare non possunt: sed potiùs, quae aliis túte praecipere soles, ea túte tibi subjice, atque apud animum propone. Nullus dolor est, quem non longinquitas temporis minuat ac molliat: hoc te exspectare tempus, tibi turpe est, ac non ei rei sapientiâ tuâ occurrere. Quòd si quis etiam inferis sensus est; qui illius in te amor fuit, pietásque in omnes suos, hoc certè illa te facere non vult. Da hoc illi mortuae, da ceteris amicis ac familiaribus, qui tuo dolore mœrent: da patriae, ut, si quâ in re opus sit, operâ & consilio tuo uti possit. Denique quoniam in eam fortunam devenimus, ut etiam huic rei nobis serviendum sit: noli committere, ut quisquam te putet non tam filiam, quàm reipublicae tempora & aliorum victoriam lugere. Plura me ad te de hac re scribere pudet, ne videar prudentiae tuae diffidere. Quare si hoc unum proposuero, finem faciam scribendi. Vidimus aliquoties secundam pulcherrimè te ferre fortunam, magnámque ex ea re te laudem adipisci: fac aliquando intelligamus, adversam quoque te aequè ferre posse, neque id majus, quàm debeat, tibi onus videri: ne ex omnibus virtutibus haec una

una tibi videatur deesse. Quod ad me attinet, cùm te tranquilliorem animo esse cognôro, de iis rebus, quæ hìc geruntur, quemadmodúmque de provincia habeat, certiorem faciam. Vale.

Argum. II. *Plinius humanos casus miseratur ex obitu Sylii Italici.*

C. Plinius Caninio suo S.

Modò nuntiatus est Sylius Italicus in Neapolitano suo inediâ vitam finîsse. Causa mortis, valetudo. Erat illi natus insanabilis clavus, cujus tædio ad mortem irrevocabili constantiâ decucurrit, usque ad supremum diem beatus & felix: nisi quòd minorem è liberis duobus amisit: sed majorem, meliorem, florentémque, etiam consularem reliquit. Læserat famam suam sub Nerone: credebatur sponte accusâsse: sed in Vitellii amicitia sapienter se, & comiter gesserat. Ex proconsulatu Asiæ gloriam reportaverat, maculam veteris industriæ laudabili otio abluerat. Fuit inter principes civitatis sine potentia, sine invidia. Salutabatur, colebatur, multúmque in lectulo jacens, cubiculo semper non ex fortuna frequenti. Doctissimis sermonibus dies transigebat, cùm à scribendo vacaret: scribebat carmina majore curâ, quàm ingenio. Nonnunquam judicia hominum recitationibus experiebatur. Novissimè ita suadentibus annis ab urbe secessit, séque in Campania tenuit, ac ne adventu quidem novi principis inde commotus est. Magna Cæsaris laus, sub quo hoc liberum fuit, magna illius, qui hâc libertate ausus est uti. erat φιλόκαλος usque ad emacitatis reprehensionem. Plures iisdem in locis villas possidebat, adamatísque novis, priores negligebat: multum ubique librorum, multum statuarum, multum imaginum, quas non habebat modò, verùm etiam venerabatur. Vergilii ante omnes, cujus natalem religiosiùs, quàm suum celebrabat: Neapoli maximè, ubi monumentum ejus adire, ùt templum, solebat. In hac tranquillitate annum quintum & septuagesimum excessit, delicato magìs corpore, quàm infirmo. Utque novissimus à Nerone factus est consul, ita postremus ex omnibus, quos Nero consules fecerat, decessit. Illud etiam notabile, ultimus ex Neronianis consularibus obiit, quo consule Nero periit. Quod me recordantem,

tem, fragilitatis humanæ miseratio subit. Quid enim tam circumcisum, tam breve, quàm hominis vita longissima? An non videtur tibi Nero modò fuisse, cùm interim ex iis, qui sub illo gesserant consulatum, nemo jam superest? quanquam quid hæc miror? Nuper Lucius Piso, pater Pisonis illius, qui à Valerio Festo per summum facinus in Africa occisus est, dicere solebat, neminem se videre in senatu, quem consul ipse sententiam rogavisset. Tam angustis terminis tantæ multitudinis vivacitas ipsa concluditur, ut mihi non venia solùm dignæ, verùm etiam laude videantur illæ regiæ lacrymæ. Nam ferunt Xerxen, cùm immensum exercitum oculis obîsset, illacrymâsse, quòd tot millibus tam brevis immineret occasus. Sed tantò magìs hoc quidquid est temporis futilis & caduci, si non datur factis. Nam horum materia in aliena manu, certè studiis proferamus. Et quatenus nobis denegatur diu vivere, relinquamus aliquid, quo nos vixisse testemur. Scio te stimulis non egere: me tamen tuî charitas evocat, ut currentem quasi instigem, sicut tu soles me. ἀγαθὴ δ᾽ ἔρις, cùm invicem se mutuis exhortationibus amici ad amorem immortalitatis exacuunt. Vale.

Argum. III. *Lipsius solatur parentem de obitu filii.*

Christophoro Assonvillio Consiliario Regio intimo S. D.

Dolorem meum, quem ex obitu filii tuî accepi, seriùs fortasse testor; sed hoc ideò, quia nec ipse libenter in sermonem hunc veniebam, nec apud te illum refricabam. An desunt, qui solati sunt? Copia tibi amicorum, scio, quos beneficia & merita tua cùm publica, tum privata paraverunt: & quidem magnos principésque viros. Quid ego festinarem intervenire, & nebulam hanc, ut sic dicam, spargere inter eas stellas? Et verè nebulam dixi. Nam lucem illam animi aut alacritatem, ad solandum non adfero: quia & me privatim dolor ille tangit, ùt qui filium tuum amavi; & illum vicissim semper benignum in me sensi, & peramicum. Cùm initio in hæc loca veni, paucos habui, quibus novitas mea niteretur: te inter primos, Vir amplissime! reperi, ad quem acclinarem, & unà filium tuum, qui velut

manu injectâ duceret ac commendaret. Ac perpetua deinde nobis amicitia litteris, etiam aliis officiis, culta fuit. An igitur non doleam in jactura & amissione ejus, sic immaturâ? ex animo doleo; atque utinam, ùt flumen in rivos plures sparsum minuitur; sic tuus dolor, communicatus cum aliis, levior minórque fiat! certè ego quoque inter minuentes essem: ego inter canales, qui exciperem & derivarem. Sed vereor, ut hoc ipsum augeat, & cogitatio tibi subiiciat, magìs illud bonum esse, quod tam multi amissum lugent. Itaque huic parti non insisto: etsi in vero amore, & paterno affectu: grande solatium filium amisisse in bona & florente fama. Incerta sunt omnia rerum humanarum. Qui hodie virtutem amplectitur, cras vitium potest; qui nunc bene audit, cras malè; & nemo liberos vel optimos habet, ut non cum gaudio & metu aliquo aspiciendos. En, magnus ille DEUS, tuus atque illius parens, hunc eripuit: in optimo quidem ævo, sed & in fama optima: acquiescamus, & sciamus, sic expedivisse. Sicut hortorum peritus cultor plantas quasdam, priusquam degenerent, evellit, & utitur; quosdam florum in calice, quosdam & fructuum in acerbitate decerpit, & in mel ac saccharum recondit: scito sic facere magnum illum mundani horti cultorem, alios aliósque aliàs carpere, quemque in suum usum. Atque en! alterum inclusum hìc solatium. Deus facit, Deus tollit. Quid mortalis O homo obstrepis, & voces aut lamenta spargis? Quin scito, nihil ab eo nisi tempestivè, nisi utiliter, & ex salute nostra fieri. Certè Christiani sic edocti sumus, vitam hanc esse carcerem, peregrinationem, miseriarum abyssum: quid ergo querelis prosequimur, quod votis debebamus? Ille obiit? à vinculis ad libertatem ivit. Obiit? à curis & angoribus ad gaudia, utì speramus. Obiit? absolvit iter, decurrit stadium, palmam & coronam habet. Quisquis luget, videat, ne ab invidente propior sit, quàm ab amante. Atqui privari jucundissimo, & familiari eo aspectu grave est; disjungi à parte nostri sanguinis; viscera, ut sic dicam, evelli, & in putrem hanc terram dari. Hi sunt affectus paterni, non nescio, aut nego: sed ratio, quæ homini propria, & telum in omnia fortuita data, quid dicit? non novum esse: legem communem, quam alii subierunt ante nos, nobiscum subeunt, post nos subibunt. Quot parentes orbos

vidi-

vidiſti, aut vides? & quidem omni ſtirpe & prole. Ecce tibi benignus Deus alterum ramum ſervat; & ex iſto ipſo jam detracto, fruticem & ſtirpem. Atque ut diu ſervet, ſupplex eum rogo. Solare te igitur, & oculos ab illo, quem Deus & cœlum habent, ad hos mitte, qui etiam nunc ſuperſunt in noſtra terra. Habes filiam, habes neptem: habes, ubi cogitatio, ubi & vultus tuus conquieſcat, cùm à curia & rebus gravibus domum redis. Quin ſolare etiam te ab ipſa curia, & ſolennibus tuis curis. Ille ſapiens & potens noſter Rex, tot annos te habuit, arcani magníque conſilii capacem & conſortem: in fluctibus tenebríſque rerum, cùm alii vacillarent aut caligarent, tu firmus, obnixúſque ſtetiſti pro Deo, & ipſo: fer tecum egregiam hanc laudem, ſi publica non turbârunt, nec privata dimoviſſe te à clavo. An jacebis, & in filii jactura manum remittes, aut languebis, quem cadens circa te, penè dicam, ipſa Belgica non commovit? qui ruentem in licentiam, & ab hac in exitium, quantum unâ manu poterat, retraxiſti & firmâſti? Age, Vir magne! firma te quoque his cogitationibus; munus tuum inſpice, & ſtationem, quam in orbe hoc tenes. Non es tui juris vel affectûs: reſpublica totum te jam pridem habet. Ne deſere. Id quoque gratum illi filio tuo, qui amantiſſimus patriæ, è cœlo (ita ſpero) & ſuperis locis, robur tuum lætante oculo videbit, & votis etiam juvabit. Sed & hoc gratum Regi, Sereniſſimo noſtro Proregi; qui, in tumore hoc rerum, conſilii animíque tui egent. Ea igitur ut Deus (nam & illius ope opus eſt) tibi det, Ampliſſime Domine, toto pectore eum rogo. Lovanii VII. Cal. Julias M.D.XCVII.

Reſponſio ad Conſolationem, quam admittimus.

Form. Exord. continet laudem & commendationem amici & collati beneficii, vel gratiarum actionem pro ſolatio, item votum melioris fortunæ. &c.

Antecedens approbat conſolationem, & promittit ſe obtemperaturum.

Connexio repetit argumenta, quibus amicus nos ſolari conatus eſt, à ſtudiis, à ſocietate, à mali brevitate, à conſcientiæ bonitate &c.

Consequens pollicetur studium in moerore abstergendo, ab exemplo alterius, à conditione nostra, & temporum acerbitate. &c.

Responsio ad Consolationem, quam non admittimus.

Form. Exord. constat laude humanitatis & officii præstiti.
Anteced. significat doloris magnitudinem.
Connexio invertit argumenta à circumstantiis loci, personarum, temporum &c.
Consequens repetit querelas, & doloris magnitudinem, desiderat amici præsentiam, nova solatia petit &c.

Exemplum ad I. Ciceronis 15. L. V.

Argum. *Consolationi respondet, lugere se non tam filii obitum, quàm reipublicæ odiosa tempora: in studiis verò exiguam medicinam superesse. Anno U. C.* 708.

M. Cicero L. Luccejo Q. F. S.

Omnis amor tuus ex omnibus partibus se ostendit in his litteris, quas à te proximè accepi: non ille quidem mihi ignotus, sed tamen gratus & optatus. Dicerem, jucundus, nisi id verbum in omne tempus perdidissem. Neque ob eam unam causam, quam tu suspicaris, & in qua tu me lenissimis & amantissimis verbis utens, re graviter accusas: sed quòd illius tanti vulneris, quæ remedia esse debebant, ea nulla sunt. Quid enim? ad amicósne confugiam? quàm multi sunt? habuimus enim ferè communes, quorum alii occiderunt, alii nescio quo pacto obduruerunt. Tecum vivere possem, equidem & maximè vellem. Vetustas, amor, consuetudo, studia paria: quod vinculum? quæ res deest nostræ conjunctioni? possumúsne igitur esse unà? Nec me hercule intelligo, quid impediat. Sed certè adhuc non fuimus, cùm essemus vicini in Tusculano, in Puteolano. Nam quid dicam in urbe? in qua, cùm forum commune sit, vicinitas non requiritur. Sed casu nescio quo in ea tempora nostra ætas incidit, ut cùm maximè florere nos oporteret, tum vivere etiam puderet. Quod enim mihi poterat esse perfugium, spoliato & domesticis & forensibus ornamentis, atque solatiis? litteræ, credo,

quibus

quibus utor assiduè : quid enim aliud facere possum? sed nescio, quomodo ipsæ illæ excludere me à portu & perfugio videntur, & quasi exprobrare, quòd in ea vita maneam, in qua nihil insit, nisi prorogatio miserrimi temporis. Hîc tu eâ me abesse urbe miraris, in qua domus nihil delectare possit? summum sit odium temporum, hominum, fori, curiæ? Itaque sic litteris utor, in quibus consumo omne tempus, non ut ab his medicinam perpetuam, sed ut exiguam doloris oblivionem petam. Quodsi id egissemus, ego atque tu, quod ne in mentem quidem nobis veniebat propter quotidianos metus, omne tempus unà fuissemus: neque me valetudo tua offenderet, neque te mœror meus: quod, quantum fieri poterit, consequamur. Quid enim est utrique nostrûm aptius? Propediem te igitur videbo. Vale.

Exempla ad II. Ciceronis 6. Libr. IV. Plinii 12. Libr. I.

Argument. I. *Respondet consolanti Sulpicio, gratum sibi ejus officium fuisse, nec id exiguo doloris levamento, maximam tamen levationem ex reditu & consuetudine Sulpicii fore. Anno U. C. 708.*

M. T. C. Ser. Sulpicio S. D.

Ego verò, Servi, vellem, ùt scribis, in meo gravissimo casu affuisses. Quantùm enim præsens me adjuvare potueris & consolando, & propè æquè dolendo, facilè ex eo intelligo, quòd litteris tuis lectis aliquantùm acquievi. Nam & ea scripsisti, quæ levare luctùm possent, & in me consolando non mediocrem ipse animi dolorem adhibuisti. Servius tamen tuus omnibus officiis, quæ illi tempori tribui potuerunt, declaravit, & quanti ipse me faceret, & quàm suum talem erga me animum tibi gratum putaret fore: cujus officia jucundiora scilicet sæpe mihi fuerint, nunquam tamen gratiora. Me autem non oratio tua solùm, & societas penè ægritudinis, sed etiam auctoritas consolatur. Turpe enim esse existimo, me non ita ferre casum meum, ùt tu, tali sapientiâ præditus, ferendum putas. Sed opprimor interdum, & vix resisto dolori, quòd ea me solatia deficiunt, quæ ceteris, quorum mihi exempla propono, simili in fortuna non defuerunt. Nam & Q. Maximus,

ximus, qui filium consularem, clarum virum, & magnis rebus gestis amisit; & L. Paulus, qui duos septem diebus; & (1) vester Gallus, & M. Cato, qui summo ingenio, summâ virtute filium perdidit, iis temporibus fuerunt, ut eorum luctum ipsorum dignitas consolaretur ea, quam ex republica consequebantur. Mihi autem amissis ornamentis iis, quæ ipse commemoras, quæque eram maximis laboribus adeptus, unum manebat illud solatium, quod ereptum est. Non amicorum negotiis, non reipublicæ procuratione impediebantur cogitationes meæ: nihil in foro agere libebat: aspicere curiam non poteram: existimabam id, quod erat, omnes me & industriæ meæ fructus & fortunæ perdidisse. Sed, cùm cogitarem, hæc mihi tecum, & cum quibusdam esse communia: & cùm frangerem jam ipse me, cogerémque ferre illa toleranter, habebam, quò confugerem, ubi conquiescerem, cujus in sermone & suavitate omnes curas dolorésque deponerem. Nunc autem hoc tam gravi vulnere etiam illa, quæ consanuisse videbantur, recrudescunt. Non enim, ùt tum me à republica mœstum domus excipiebat, quæ levaret: sic nunc domo mœrens ad rempublicam confugere possum, ut in ejus bonis acquiescam: itaque & domo absum & foro; quòd nec eum dolorem, quem à republica capio, domus jam consolari potest, nec domesticum respublica. Quò magìs te exspecto, téque videre quàm primùm cupio. Major mihi levatio afferri nulla potest, quàm conjunctio consuetudinis, sermonúmque nostrorum: quanquam sperabam tuum adventum (sic enim audiebam) appropinquare. Ego autem cùm multis de causis te exopto quàm primùm videre, tum etiam ut ante commentemur inter nos, quâ ratione nobis traducendum sit hoc tempus: quod est totum ad (2) unius voluntatem accommodandum, & prudentis & liberalis, & (ùt perspexisse videor) nec à me alieni, & tibi amicissimi. Quod cùm ità sit, magnæ est tamen deliberationis, quæ ratio sit ineunda nobis, non agendi aliquid, sed illius concessu & beneficio quiescendi. Vale.

(1) *Vester*) ex vestra gente Sulpiciâ C. Sulpicius Gallus, qui cum M. Claudio Marcello consul fuit.

(2) *unius*) Cæsaris.

Argum.

Argum. II. *Magnoperè dolet Plinius de obitu amici.*

C. Plinius Calleſtrio Tironi ſuo S.

Jacturam graviſſimam feci, ſi jactura dicenda eſt tanti viri amiſſio. Deceſſit Corellius Rufus, & quidem ſponte, quod dolorem meum exulcerat. Eſt enim luctuoſiſſimum genus mortis, quæ non ex natura, nec fatalis videtur. Nam utcunque in illis, qui morbo finiuntur, magnum ex ipſa neceſſitate ſolatium eſt; in iis verò, quos accerſita mors auffert, hic inſanabilis dolor eſt, quòd creduntur potuiſſe diu vivere. Corellium quidem ſumma ratio, quæ ſapientibus pro neceſſitate eſt, ad hoc conſilium compulit: quanquam plurimas vivendi cauſas habentem: optimam conſcientiam, optimam famam, maximam auctoritatem, præterea filiam, uxorem, nepotem, ſorores, intérque tot pignora veros amicos. Sed tam longâ, tam iniquâ valetudine conflictabatur, ut hæc tanta pretia vivendi mortis rationibus vincerentur. Tertio, & triceſimo anno (ùt ipſum audiebam) pedum dolore correptus eſt (Patrius hic illi: nam plerumque morbi quoque per ſucceſſiones quasdam, ùt alia traduntur). Hunc abſtinentiâ, ſanctitate, quoad viridis ætas, vicit & fregit: noviſſimè cum ſenectute ingraveſcentem, viribus animi ſuſtinebat. Cùm quidem incredibiles cruciatus & indigniſſima tormenta pateretur (jam enim dolor non pedibus ſolis, ùt priùs, inſiſtebat, ſed omnia membra pervagabatur) veni ad eum Domitiani temporibus in ſuburbano jacentem. Servi è cubiculo receſſerunt (habebant enim hoc moris, quoties intrâſſet fidelior amicus) quin etiam uxor (quanquam omnis ſecreti capaciſſima) digrediebatur. Circumtulit oculos, & cur, inquit, me putas hos tantos dolores tamdiu ſuſtinere? ut ſcilicet iſti latroni vel uno die ſuperſim. Dediſſes huic animo par corpus, feciſſet, quod optabat. Affuit tamen Deus voto, cujus ille compos, ut jam ſecurus, libérque moriturus, multa illa vitæ, ſed minora retinacula abrupit. Increverat valetudo, quam temperantiâ mitigare tentavit, perſeverantem conſtantia fugit. Jam dies alter, tertius, quartus, abſtinebat cibo. Miſit ad me uxor ejus Hiſpulla, communem amicum C. Geminium, cum triſtiſſimo nuntio, deſtinâſſe Corellium mori, nec aut ſuis, aut filiæ precibus flecti: ſolum ſupereſſe me, à quo revocari poſſet ad vitam. Cucurri. Perveneram in proximum,

ximum, cùm mihi ab eadem Hispulla Julius Atticus nuntiat, nihil jam ne me quidem impetraturum: tam obstinatè magìs ac magìs induruisse. Dixerat sanè Medico admoventi cibum κέκρικα. Quæ vox quantum admirationis in animo meo, tantum desiderii reliquit. Cogito, quo amico, quo viro caream. Implevit quidem annum septimum & sexagesimum, quæ ætas etiam robustissimis satìs longa est. Scio, evasit perpetuam valetudinem. Scio, decessit superstitibus suis, florente republicâ, quæ illi omnibus suis charior erat, & hoc scio. Ego tamen tanquam & juvenis, & fortissimi morte doleo: doleo autem, licèt me imbecillum putes, meo nomine. Amisi enim vitæ meæ testem, rectorem, magistrum. In summa dicam, quod recenti dolore, contubernali meo Galvisio dixi, vereor, ne negligentiùs vivam. Proinde adhibe solatia mihi, non hæc. Senex erat, infirmus erat; hæc enim novi: sed nova aliqua, sed magna, quæ audièrim nunquam, legerim nunquam. Nam quæ audivi, quæ legi, sponte succurrunt; sed tanto dolore superantur. Vale.

IN GENERE JUDICIALI.

EXPOSTULATORIA.

Form. Exord. vel à querela & objurgatione ab abruptò, vel occurrendo sinistræ opinioni, ne quid videamur affectibus largiri. &c.

Antecedens continet objurgationem & expostulationem.

Connexio continet argumenta reprehensionis petita vel à caussis, vel à nostris in illum meritis, à personæ, cui infertur injuria, dignitate, à testimoniis aliorum, ab inutili vel turpi. &c.

Consequens constat vel dehortatione, vel comminatione, aut accusationis mitigatione, officii delatione. &c.

Expostulatoria Ciceronis 6. Libr. III.

Argum. I. *Ostendit congressum, à se expetitum, ab Appio vitatum: se tamen ei fore amicissimum: qui ut locum constituat, ubi convenire possint, sui itineris certiorem eum facit. Anno U. C.* 702.

M. T. C. Appio Pulchro S. D.

Cùm meum factum cum tuo comparo, etsi non magìs mihi faveo in nostrâ amicitiâ tuendâ, quàm tibi, tamen multò magìs

magis meo facto delector, quàm tuo. Ego enim Brundusii quæsivi ex Phania, cujus mihi videbar & fidelitatem erga te perspexisse, & nosse locum, quem apud te is teneret, quam in partem provinciæ maximè putaret te velle, ut in succedendo primùm venirem. Cùm ille mihi respondisset, nihil me tibi gratius facere posse, quàm si ad (1) Sidam navigâssem: etsi minus dignitatis habebat ille adventus, & ad multas res mihi minùs erat aptus, tamen ita me dixi facturum. Idem ego cùm L. Clodium Corcyræ convenissem, hominem ita tibi conjunctum, ut mihi, cum illo cùm loquerer, tecum loqui viderer, dixi ei me ita facturum esse, ut in eam partem, quam Phania rogâsset, primùm venirem. Tunc ille mihi cùm gratias egisset, magnoperè â me petivit, ut Laodiceam protinus irem: te in (2) prima provincia velle esse, ut quam primùm decederes: quin nisi ego successor essem, quem tu cuperes videre, te antea, quàm tibi successum esset, decessurum fuisse: quod quidem erat consentaneum cum iis litteris, quas ego Romæ acceperam, ex quibus perspexisse mihi videbar, quàm festinares decedere. Respondi Clodio, me ita esse facturum, ac multò quidem libentiùs, quàm si illud esset faciendum, quod promiseram Phaniæ. Itaque & consilium mutavi, & ad te statim meâ manu scriptas litteras misi, quas quidem ex tuis litteris intellexi satìs maturè esse perlatas. Hoc ego meo facto valde delector: nihil enim potuit fieri amantius. Considera nunc vicissim tuum. Non modò ibi non fuisti, ubi me quamprimùm videre posses; sed eò discessisti, quò ego te ne persequi quidem possem triginta diebus, qui tibi (3) ad decedendum lege (ùt opinor) Corneliâ constituti essent: ut tuum factum, illis qui, quo animo inter nos simus, ignorant, alieni hominis (ut levissimè dicam) & fugientis congressum; mecum verò conjunctissimi & amicissimi, esse videatur. Ac mihi tamen, antequàm in provinciam venirem, redditæ sunt â te litteræ, quibus etsi te Tarsum proficisci demonstrabas, tamen

(1) *Sidam*) Side, vel Sida, Pamphyliæ urbs maritima cum portu.

(2) *In prima provincia*) h. e. in prima regione provinciæ: Sic ultima provincia est extrema regio provinciæ.

(3) *Ad decedendum &c.*) Lex Cornelia, L. Syllæ dictatoris, concedebat rectoribus provinciarum, ut per trigina dies post successoris adventum in provincia morari possent.

men mihi non dubiam ſpem meî conveniendi afferebas: cùm intereà, credo equidem, malevoli homines (latè enim patet hoc vitium, & eſt in multis) ſed tamen probabilem materiam nacti ſermonis, ignari meæ conſtantiæ, conabantur alienare à te voluntatem meam: qui te forum Tarſi agere, ſtatuere multa, decernere, judicare dicerent, cùm poſſes jam ſuſpicari tibi eſſe ſucceſſum: quæ ne ab iis quidem fieri ſolerent, qui brevi tempore ſibi ſuccedi putarent. Horum ego ſermone non movebar. Quin etiam (credas mihi velim) ſi quid tu ageres, levari me putabam moleſtiâ; & ex annua provincia, quæ mihi longa videtur, prope jam undecim menſium provinciam factam eſſe gaudebam, ſi abſenti mihi unius menſis labor detractus eſſet. Illud (verè dicam) me movet, in tanta militum paucitate abeſſe tres cohortes, quæ ſint pleniſſimæ, nec me ſcire, ubi ſint. Moleſtiſſimè autem fero, quòd, te ubi viſurus ſim, neſcio: eóque ad te tardiùs ſcripſi, quòd quotidie te ipſum exſpectabam: cùm intereà ne litteras quidem ullas accepi, quæ me docerent, quid ageres, & ubi te viſurus eſſem. Itaque virum fortem, mihíque in primis probatum, Antonium, (4) præfectum evocatorum, miſi ad te, cui, ſi tibi videretur, (5) cohortes traderes: ut, dum tempus anni eſſet idoneum, aliquid negotii gerere poſſem. In quo, tuo conſilio ut me ſperarem eſſe uſurum, & amicitia noſtra, & litteræ tuæ fecerant; quod ne tunc quidem deſpero. Sed planè quando aut ubi te viſurus ſim, niſi ad me ſcripſeris, ne ſuſpicari quidem poſſum. Ego ut me tibi amiciſſimum eſſe, & æqui & iniqui intelligant, curabo. De tuo in me animo iniquis ſecus exiſtimandi, vidéris nonnihil loci dediſſe. Id ſi correxeris, mihi valde gratum erit. Et ut habere rationem poſſis, quo loco me, ſalvâ lege Corneliâ, convenias, (6) ego in provinciam veni pridie Cal. Sex. Iter in Ciliciam facio per Cappadociam. Caſtra movi ab Iconio pridie Calendas Septembris. Nunc tu & ex diebus, & ex ratione itineris, ſi putabis

(4) *Præfectum evocatorum*) *evocati* erant emeriti maximam partem, qui expletis ſtipendiis in gratiam ducum aut conſulum militiam ſumebant, & vices inſtar Centurionum gerebant. Erant immunes operum & munium.

(5) *Cohortes*) quas ſecum Appius habebat. Nam exercitus univerſus erat in Lycaonia, unde 3. cohortes abeſſe dixit.

(6) *Ego in provinciam*) Laodiceam, quæ non erat in Appii provincia. Hinc convenire poterat ſalvâ lege Corneliâ.

bis me esse conveniendum, constitues, quo loco id commodissimè fieri possit, & quo die. Vale.

Responsio ad Expostulationem.

Form. Exord. vel probat amici reprehensionem, vel dolorem ostendit, vel r :hendit expostulationem. &c.

Antecedens nullas r., rehensionis causas fuisse affirmat.

Connexio argumenta complectitur vel negando objecta, vel excusando & defendendo, ex circumstantiis loci, personarum. &c.

Consequens constat testificatione amoris, vel excusatione acerbitatis, vel petitione, ut in bonam partem responsum accipiat. &c.

Exempla Ciceronis 1. L. II. Manutii 8. L. III.

Argum. I. *Accusatus à Curione negligentiæ litterarum, se excusat, tum gratulatur illi, hortatúrque, ut concitatæ suî exspectationi respondeat. Anno U. C.* 700.

M. T. C. C. Curioni S. D.

Quanquam me nomine negligentiæ suspectum tibi esse doleo: tamen non tam mihi molestum fuit, accusari abs te officium meum, quàm jucundum requiri; præsertim cùm, in quo accusabar, culpâ vacarem: in quo autem desiderare te significabas meas litteras, præ te ferres perspectum mihi quidem, sed tamen dulcem & optatum amorem tuum. Equidem neminem prætermisi, quem quidem ad te perventurum putarem, cui litteras non dederim. Etenim quis est tam scribendo impiger, quàm ego? à te verò bis térve summùm, & eas perbreves accepi. Quare si iniquus es in me judex, condemnabo eodem ego te crimine: sin me id facere nolles, te mihi æquum præbere debebis. Sed de litteris hactenus: non enim vereor, ne non scribendo te expleam: præsertim si in eo genere studium meum non aspernabere. Ego te abfuisse tam diu à nobis & doleo, quòd carui fructu jucundissimæ consuetudinis tuæ: & lætor, quòd absens omnia cum maxima dignitate es consecutus: quódque in omnibus tuis rebus, meis optatis fortuna respondit. Breve est, quod me tibi præcipere

cipere meus incredibilis in te amor cogit: tanta est exspectatio vel animi, vel ingenii tui, ut ego te obsecrare, obtestaríque non dubitem, sic ad nos confirmatus revertare, ut, quam exspectationem tuî concitâsti, hanc sustinere ac tueri possis. Et quoniam meorum tuorum erga me meritorum memoriam ulla nunquam delebit oblivio, te rogo, ut memineris, quantæcunque tibi accessiones fient & fortunæ & dignitatis, eas te non potuisse consequi, nisi meis puer olim fidelissimis atque amantissimis consiliis paruisses. Quare hoc animo in nos esse debebis, ut ætas nostra jam ingravescens in amore atque in adolescentiâ tuâ conquiescat. Vale.

Argum. II. *Respondet Mureto ad expostulationem ob jocos malè acceptos.*

Marco Antonio Mureto Patavium.

Planè non assequeris, ùt video, quorsum illa de me Momo scripta sint à me. Non enim id spectavi, tuam ut remorarer industriam, sed ut acuerem potiùs atque incitarem. Tu autem ita commotus es, ita mecum vehementer ac penè iracundè agis in epistolâ tuâ, ut vix tibi temperes, ac ne satis quidem, cùm velles, temperare potueris, quin aculeos etiam in me nonnullos emitteres. Deinde quasi blandiris in extremo, verbis utens amantissimis, atque honorificentissimis; cùm ea mihi tribuis, quæ si respuerem, ipse me non amarem. Tanti enim mihi sum, quanti ab iis, quibus ego plurimum tribuo, fieri me sentio. Ac putabam, mi Murete, meos tibi sensus bene cognitos omnes esse: quodsi paululùm à mente quandoque aberraret oratio, non esse facturum, ut eò mea verba detorqueres, quò neque meum judicium, neque nostra jam penè fraterna necessitudo ferret. Quod quando secus video contingere, aberit posthac à meis litteris omnis ironia, aberit jocatio, quidquid denique ejus esse generis intelligam, ut in utramque partem flecti possit. De illo ne meminero quidem, si potero: hominem enim contemno: silentium quidem quod potero ipse mihi imponam. De Plauto videor tibi scilicet, quod ajunt, in alienam messem. Sic enim illud interpretor, à me, ùt scis, efflagitabatur. Tu verò, me perlubente, rem suscipies: si modò, quod contra mihi videbare, animum induxisti, ut efflagitantibus brevì satisfacias. Verùm si præcla-

claros

claros de Finibus commentarios, ad exitum jam perductos, paucorum dierum ſtudio perpolire non vis, & magno litterarum damno pateris jacere: quî ſperem te aut velle hoc tempore novi aliquid ordiri, aut, ſi ordiaris, poſſe pertexere? magni negotii eſt, quantum otii res exigat tuis occupationibus eripere: non minoris, à te ipſo, ut velis, impetrare. Facio tamen æquiſſimo animo, ut in te rejiciam, ac transferam, quidquid oneris, aut laudis eſt. Conſulatur modò publicæ utilitati. Id non modò à te, quem fero in oculis, ſed ſi vel ab iis, quos & de facie, & de nomine prorſus ignoro, præſtabitur, æquè lætabor. Quare non ſolùm per me licet, verùm etiam, ſi pateris, precibus tecum ago, ut ad emendandas, illuſtrandáſque Plautinas comœdias tuam excellentem induſtriam conferas. Vereor tamen, ne, quod ſummè cupio, id fruſtra rogem, atque exſpectem. Vale. Venetiis.

IN GENERE FAMILIARI.

Form. Exord. à ſcribendi occaſione & cauſis, à deſiderio amici, excuſatione ſilentii &c.

Antecedens & *Connexio* in narratione rei ſecundùm adjuncta, quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando &c.

Conſequens in formulis abrumpendi, excuſatione longioris narrationis &c.

In reſponſione repetimus breviter ea, quæ nuntiata ſunt, habemus gratias, commendamus amici benevolentiam, & officia, &c. vel ad varia tranſimus, & mutuum officium pollicemur.

Exempla varia ex Plinio. Ep. 1. L. III. 16. L. VI. 97. L. X.

Argum. I. De Spurinnæ vita ac moribus.

C. Plinius Calviſio ſuo S.

Neſcio, an ullum jucundius tempus exegerim, quàm quo nuper apud Spurinnam fui, adeò quidem, ut neminem magìs in ſenectute (ſi modò ſeneſcere datum eſt) æmulari velim. Nihil eſt enim illo vitæ genere diſtinctius: me autem ùt certus ſiderum curſus, ita vita hominum diſpo-

ſita delectat, ſenum præſertim. Nam juvenes adhuc confuſa quædam, & quaſi turbata non indecent; ſenibus placida omnia, & ordinata conveniunt: quibus induſtria ſera, turpis ambitio eſt. Hanc regulam Spurinna conſtantiſſimè ſervat: quin etiam parva hæc, ſi non quotidie fiant, ordine quodam & velut orbe circumagit. Manè lectulo continetur: horâ ſecundâ calceos poſcit: ambulat millia paſſuum tria: nec minùs animum, quàm corpus exercet. Si adſunt amici, honeſtiſſimi amores explicantur: ſi non, liber legitur; interdum etiam præſentibus amicis, ſi tamen illi non gravantur. Deinde conſidet, & liber rurſus, aut ſermo libro potior: mox vehiculum aſcendit, adſumit uxorem ſingularis exempli, vel aliquem amicorum, ùt me proximè. Quàm pulchrum illud, quàm dulce ſecretum, quantum ibi antiquitatis, quæ facta, quos viros audias, quibus præceptis imbuare. Quamvìs ille hoc temperamentum modeſtiæ ſuæ indixerit, ne præcipere videatur. Peractis ſeptem millibus paſſuum, iterum ambulat mille, iterum reſidet, vel ſe cubiculo ac ſtylo reddit. Scribit enim, & quidem utrâque linguâ lyrica doctiſſima. Mira illis dulcedo, mira ſuavitas, hilaritas, cujus gratiam cumulat ſanctitas ſcribentis. Ubi hora balinei nuntiata eſt (eſt autem hyeme nona, æſtate octava) in ſole, ſi caret vento, ambulat, deinde movetur pila vehementer & diu. Nam hoc quoque exercitationis genere pugnat cum ſenectute. Lotus accubat, & pauliſper cibum differt: interim audit legentem remiſſius aliquid, & dulcius. Per hoc omne tempus liberum eſt amicis vel eadem agere, vel alia, ſi malint. Apponitur cœna non minùs nitida, quàm frugi, in argento puro & antiquo. Sunt in uſu & Corinthia, quibus delectatur & adficitur. Frequenter comœdis cœna diſtinguitur, ut voluptates quoque ſtudiis condiantur. Sumit aliquid de nocte & æſtate. Nemini hoc longum eſt, tantâ comitate convivium trahitur. Inde illi poſt ſeptimum & ſeptuageſimum annum aurium, oculorúmque vigor integer, inde agile & vividum corpus ſolâque ex ſenectute prudentia. Hanc ego vitam voto & cogitatione præſumo, ingreſſurus avidiſſimè, ut primùm ratio ætatis receptui canere permiſerit. Interim mille laboribus conteror, quorum mihi & ſolatium, & exemplum eſt idem Spurinna. Nam ille quoque, quoad honeſtum fuit, obiit officia, geſſit magiſtratus, provincias rexit, multóque

la-

labore hoc otium meruit. Igitur eundem mihi cursum, eundem terminum statuo, ídque jam nunc apud te subsigno, ut, si me longiùs evehi videris, in jus voces ad hanc epistolam meam, & quiescere jubeas, cùm inertiæ crimen effugero. Vale.

Argum. II. *De Avunculi sui Plinii senioris exitu.*

C. Plin. Tacito suo S.

Petis, ut tibi avunculi mei exitum scribam, quò veriùs tradere posteris possis: gratias ago. Nam video morti ejus, si celebretur à te, immortalem gloriam esse propositam. Quamvìs enim pulcherrimarum clade terrarum, ut populi, ut urbes memorabili casu, quasi semper victurus, occiderit: quamvìs ipse plurima opera, & mansura condiderit; multum tamen perpetuitati ejus scriptorum tuorum æternitas addet. Equidem beatos puto, quibus deorum munere datum est, aut facere scribenda, aut scribere legenda: beatissimos verò, quibus utrumque. Horum in numero avunculus meus & suis libris, & tuis erit. Quò libentiùs suscipio, deposco etiam, quod injungis. Erat Misseni, classémque imperio præsens regebat: Nono Cal. Septemb. horâ diei ferè septimâ, mater mea indicat ei apparere nubem inusitatâ & magnitudine & magnitudine & specie. Usus ille sole, mox frigida gustaverat jacens, studebátque: poscit soleas: ascendit locum, ex quo maximè miraculum illud conspici poterat. Nubes incertum procul intuentibus, ex quo monte (Vesuvium fuisse posteà cognitum est) oriebatur: cujus similitudinem & formam non alia magìs arbor, quàm pinus, expresserit. Nam longissimo velut trunco elata in altum quibusdam ramis diffundebatur. Credo, quia recenti spiritu evecta, deinde senescente eo destituta, aut etiam pondere suo victa, in latitudinem vanescebat: candida interdùm, interdum sordida & maculosa, prout terram, cinerémve sustulerat. Magnum, propiúsque noscendum, ùt eruditissimo viro, visum. Jubet liburnicam aptari: mihi, si venire unà vellem, facit copiam. Respondi studere me malle, & fortè ipse, quod scriberem, dederat. Egrediebatur domo, accipit codicillos. Retinæ 1. classiarii immi-

1. *Retina* promontorium prope Misenum in Italia: in navibus ibi constituti, classiarii (Matrosen) degebant.

minenti periculo exterriti (nam villa ea ſubjacebat, nec ulla niſi navibus fuga) ut ſe tanto diſcrimine eriperet, orabant. Vertit ille conſilium, & quod ſtudioſo animo inchoabat, obit maximo. Deducit quadriremes, aſcendit ipſe: non Retinæ modò, ſed multis (erat enim frequens amœnitas oræ) laturus auxilium. Properat illuc, unde alii fugiunt, rectúmque curſum, recta gubernacula in periculum tenet, adeò ſolutus metu, ut omnes illius mali motus, omnes figuras, ùt deprehenderat oculis, dictaret, enotarétque. Jam navibus cinis inſidebat, quò propiùs accederent, calidior & denſior, jam pumices etiam, nigríque & ambuſti, & facti igne lapides. Jam vadum ſubitum, ruináque montis, littora obſtantia: cunctatúsque paulùm, an retro flecteret, mox gubernatori, ut ita faceret, monenti: fortes, inquit, fortuna juvat, Pomponianum pete. Stabiis 2 erat, diremptus ſinu medio. Nam ſenſim circumactis, curvatíſque littoribus mare infunditur. Ibi quanquam nondum periculo appropinquante, conſpicuo tamen, & cùm creſceret, proximo, ſarcinas contulerat in naves, certus fugæ, ſi contrarius ventus reſediſſet. Quo tunc avunculus meus ſecundiſſimo invectus, complectitur trepidantem, conſolatur, hortatur: útque timorem ejus ſuâ ſeveritate leniret, deferri ſe in balineum jubet: lotus accubat, cœnat, atque hilaris, aut quod æquè magnum eſt, ſimilis hilari. Intèrim è Veſuvio monte pluribus locis latiſſimè flammæ atque incendia relucebant: quorum fulgor & claritas tenebris noctis excitabatur. Ille agreſtium trepidatione igni relictas, deſertáſque villas, per ſolitudinem ardere, in remedium formidinis dictitabat. Tum ſe quieti dedit, & quievit veriſſimo equidem ſomno. Nam meatus animæ, qui illi propter amplitudinem corporis gravior & ſonantior erat, ab iis, qui limini obverſabantur, audiebatur. Sed area, ex qua diæta 3 adibatur, ita jam cinere, miſtíſque pumicibus oppleta ſurrexerat, ut ſi longior in cubiculo mora eſſet, exitus negaretur. Excitatus procedit, ſéque Pomponiano, ceteríſque, qui pervigilârant, reddit. In commune conſultant, an intrà tecta conſiſtant, an in aperto vagentur? Nam crebris vaſtíſque tremoribus tecta nutabant, & quaſi emota ſedibus ſuis

nunc

2. *Stabiæ* Urbs maritima in Italia.

3. *Diæta* ſive cœnaculum: ubi per diem edebatur, ſecundùm Varronem.

nunc huc, nunc illuc abire, aut referri videbantur. Sub divo rurſus, quanquam levium, exeſorúmque pumicum caſus metuebatur, quod tamen periculorum collatio elegit, & apud illum quidem ratio rationem, apud alios timorem timor vicit: cervicalia capitibus impoſita linteis conſtringunt. Id munimentum adverſus decidentia fuit. Jam dies alibi, illic nox omnibus noctibus nigrior, denſiórque, quam tamen faces multæ, variáque lumina ſolvebant. Placuit egredi in littus, & è proximo aſpicere, ecquid jam mare admitteret, quod adhuc vaſtum, & adverſum permanebat. Ibi ſuper adjectum linteum recubans, ſemel atquæ iterum frigidam popoſcit, hauſítque: deinde flammæ, flammarúmque prænuntius odor ſulphuris, alios in fugam vertunt, excitant illum: innixus ſervis duobus adſurrexit, & ſtatim concidit, ùt ego conjecto, craſſiore caligine, ſpiritu obſtructo, clauſóque ſtomacho, qui illi naturâ invalidus, & anguſtus & frequenter intus æſtuans erat. Ubi dies redditus is, ab eo, quem noviſſimè viderat, tertius, corpus inventum eſt integrum, illæſum, opertúmque, ùt fuerat indutus: habitus corporis quieſcenti, quàm defuncto, ſimilior. Interim Miſeni ego, & mater. Sed nihil ad hiſtoriam: nec tu aliud, quàm de exitu ejus ſcire voluiſti. Finem ergo faciam. Unum adiiciam: omnia me, quibus interfueram, quaéque ſtatim, cùm maximè vera memorantur, audiveram, perſecutum: tu potiſſima excerpes. Aliud eſt enim epiſtolam, aliud hiſtoriam, aliud amico, aliud omnibus ſcribere. Vale.

Argum. III. *De Chriſtianorum moribus, quidque cum illis agendum?*

Plinius Trajano.

Solenne eſt mihi, Domine, omnia, de quibus dubito, ad te referre. Quis enim poteſt meliùs vel cunctationem meam regere, vel ignorantiam inſtruere? Cognitionibus de Chriſtianis interfui nunquam: ideò neſcio, quid & quatenus aut puniri ſoleat, aut quæri. Nec mediocriter hæſitavi, sítne aliquod diſcrimen ætatum: an quamlibet téneri nihil à robuſtioribus differant: detúrne pœnitentiæ venia: an ei, qui omnino Chriſtianus fuit, desîſſe non proſit. Nomen ipſum, etiamſi flagitiis careat, an flagitia cohærentia nomini

puniantur. Jnterim in iis, qui ad me tanquam Christiani deferebantur, hunc sum secutus modum: interrogavi ipsos, an essent Christiani: confitentes iterum, ac tertiò, interrogavi, supplicium minatus: perseverantes duci jussi. Neque enim dubitabam, qualecunque esset, quod faterentur, pervicaciam certè, & inflexibilem obstinationem debere puniri. Fuerunt alii similis amentiæ: quos, quia cives Romani erant, adnotavi in urbem remittendos. Mox ipso tractatu, ùt fieri solet, diffundente se crimine, plures species inciderunt. Propositus est libellus sine auctore, multorum nomina continens, qui negant se esse Christianos aut fuisse, cùm præeunte me deos appellarent, & imagini tuæ, quam propter hoc jusseram cum simulacris numinum adferri, ture ac vino supplicarent, prætereà maledicerent CHRISTO, quorum nihil cogi posse dicuntur, qui sunt reverà Christiani, dimittendos putavi. Alii ab indice nominati, esse se Christianos dixerunt, & mox negaverunt: fuisse quidem, sed desîsse: quidam ante triennium, quidam ante plures annos, nonnemo etiam ante viginti quoque. Omnes & imaginem tuam, deorúmque simulacra venerati sunt: ii & CHRISTO maledixerunt. Adfirmabant autem hanc fuisse summam vel culpæ suæ, vel erroris: quòd essent soliti stato die ante lucem convenire, carménque CHRISTO quasi DEo dicere secum invicem, séque sacramento non in scelus aliquod obstringere: sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent: quibus peractis, morem sibi discedendi fuisse, rursúsque coëundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen, & innoxium: quod ipsum facere desîsse post edictum meum, quo secundùm mandata tua & hetærias esse vetueram. Quò magìs necessarium credidi, ex duabus ancillis, quæ ministræ dicebantur, quid esset veri, & per tormenta quærere. Sed nihil aliud inveni, quàm superstitionem pravam, & immodicam: ideóque dilatâ cognitione, ad consulendum te decucurri. Visa est enim mihi res digna consultatione, maximè propter periclitantium numerum. Multi enim omnis ætatis, omnis ordinis, utriusque sexûs etiam vocantur in periculum, & vocabuntur. Neque civitates tantùm, sed vicos etiam, atque agros superstitionis istius contagio pervagata est, quæ videtur sisti & corrigi posse. Certè satìs constat, propè jam desolata templa

cœpisse

cœpiſſe celebrari, & ſacra ſolennia diu intermiſſa repeti, paſſimque vænire victimas, quarum adhuc rariſſimus emptor inveniebatur: ex quo facile eſt opinari, quæ turba hominum emendari poſſit, ſi ſit pœnitentiæ locus.

Reſponſoriæ Trajani.

Trajanus Plinio.

Actum, quem debuiſti, mi ſecunde, in excutiendis cauſis eorum, qui Chriſtiani ad te delati fuerant, ſecutus es. Neque enim in univerſum aliquid, quod quaſi certam formam habeat, conſtitui poteſt. Conquirendi non ſunt: ſi deferantur, & arguantur, puniendi ſunt: ita tamen, ut qui negaverit, ſe Chriſtianum eſſe, ídque reipsâ manifeſtum fecerit, id eſt, ſupplicando diis noſtris, quamvìs ſuſpectus in præteritum fuerit, veniam ex pœnitentia impetret. Sine auctore verò propoſiti libelli, nullo crimine locum habere debent: nam & peſſimi exempli, nec noſtri ſeculi eſt.

In ſpecimen Epiſtolarum longiorum, quæ potiùs commentarii formam referunt, illuſtriſſimas duas adjungo, alteram *Ciceronis* ad Q. Fratrem, quam reginam epiſtolarum appellant, alteram *ex Seneca* Rhetore claro elegantíque exaratam ſtylo, quæ in manibus paucorum eſſe ſolet.

COHORTATORIA.

Ciceronis ad Quintum Fratrem. L. I. 1.

Argumentum. Q. Fratri pulcherrima de officio Prætorum, & Magiſtratuum in Provinciis verſantium, præcepta communicat.

I. Excuſat ſe Cicero, quòd annus in regimine tertius Q. Fratri acceſſerit.

Marcus Q. Fratri S.

Etſi non dubitabam, quin hanc epiſtolam multi nuntii, fama denique eſſet ipſa ſuâ celeritate ſuperatura; túque antè ab aliis auditurus eſſes, annum tertium acceſſiſſe deſiderio noſtro, & labori tuo: tamen exiſtimavi â me quoque tibi hujus moleſtiæ nuntium perferri oportere. Nam ſuperioribus litteris, non unis, ſed pluribus, cùm jam ab aliis deſpe-

desperata res esset, tamen ego tibi spem maturæ decessionis afferebam; non solùm, ut quàm diutissimè te jucundâ opinione oblectarem, sed etiam quia tanta adhibebatur & à nobis, & à 1. prætoribus contentio, ut rem posse confici non diffiderem. Nunc quoniam ita accidit, ut neque prætores suis opibus, neque nos nostro studio quidquam proficere possemus; est omnino difficile, non graviter id ferre: sed tamen nostros animos maximis in rebus & gerendis & sustinendis exercitatos, frangi & debilitari molestiâ non oportet. Et quoniam ea molestissimè ferre homines debent, quæ ipsorum culpâ contracta sunt, est quiddam in hac re mihi molestiùs ferendum, quàm tibi. Factum est enim meâ culpâ, contra, quàm tu mecum & proficiscens, & per litteras egeras, ut priore anno non succederetur. Quod ego, dum sociorum saluti consulo, dum impudentiæ nonnullorum 2. negotiatorum resisto, dum nostram gloriam tuâ virtute augeri expeto, feci non sapienter: præsertim cùm id commiserim, ut ille alter annus etiam tertium posset adducere. Quod quoniam peccatum meum esse confiteor; est sapientiæ, atque humanitatis tuæ, curare, & perficere, ut hoc minùs sapienter â me provisum, diligentiâ tua corrigatur. Ac si te ipse vehementiùs ad omnes partes bene audiendi excitâris; non ut cum aliis, sed ut tecum jam ipse certes; si omnem tuam mentem, curam, cogitationem ad excellentem omnibus in rebus laudis cupiditatem incitâris; mihi crede, unus annus additus labori tuo, multorum annorum lætitiam nobis, gloriam verò etiam posteris nostris afferet. Quapropter hoc te primùm rogo, ne contrahas, ac demittas annimum; néve te obrui, tanquam fluctu, sic magnitudine negotii sinas: contráque erigas ac resistas, sive etiam ultrò occurras negotiis.

II. *Conditionem muneris, & temporum rationem adducit.*

Neque enim ejusmodi partem reipublicæ geris, in qua fortuna dominetur; sed in qua plurimum ratio possit & diligentia. Quodsi tibi bellum aliquod magnum & periculosum administranti prorogatum imperium viderem; tremerem animo, quòd

1. *Prætoribus*,) contendentibus obtinere provinciam Asiam.

2. *Negotiatorum*) qui Romam questum venerant de Quinti acerbitate.

quòd eodem tempore eſſe intelligerem etiam fortunæ poteſtatem in nos prorogatam: Nunc verò ea pars reipublicæ tibi commiſſa eſt, in qua aut nullam aut perexiguam partem fortuna tenet, & quæ mihi tota in tua virtute, ac moderatione animi poſita eſſe videatur. Nullas, ùt opinor, inſidias hoſtium, nullam prælii dimicationem, nullam defectionem ſociorum, nullam inopiam ſtipendii aut rei frumentariæ, nullam ſeditionem exercitûs pertimeſcimus: quæ perſæpe ſapientiſſimis viris acciderunt; ut, quemadmodùm gubernatores optimi vim tempeſtatis, ſic illi fortunæ impetum ſuperare non poſſent. Tibi data eſt ſumma pax, ſumma tranquillitas: ita tamen, ut ea dormientem gubernatorem vel obruere, vigilantem etiam delectare poſſit. Conſtat enim ea provincia primùm ex eo genere 3. ſociorum, quod eſt ex hominum omni genere humaniſſimum: deinde ex eo genere civium, qui aut quòd publicani ſunt, nos ſummâ 4. neceſſitudine attingunt; aut quòd ita negotiantur, ut locupletes ſint, noſtri conſulatûs 5. beneficio ſe incolumes fortunas habere arbitrantur. At enim inter hos ipſos exiſtunt graves controverſiæ, multæ naſcuntur injuriæ, magnæ contentiones conſequuntur. Quare verò ego id putem, non te aliquantum negotii ſuſtinere. Intelligo permagnum eſſe negotium, & maximi conſilii: ſed memento, conſilii me hoc negotium eſſe magìs aliquantò, quàm fortunæ putare.

III. *Provinciæ cum laude adminiſtrandæ, moderationem animi optimam magiſtram eſſe dicit.*

Quid eſt enim negotii, continere eos, quibus præſis, ſi te ipſe contineas? Id autem ſit magnum, & difficile ceteris, ſicut eſt difficillimum: tibi & fuit hoc ſemper facillimum, & verò eſſe debuit; cujus natura talis eſt, ut etiam ſine doctrina videatur moderata eſſe potuiſſe; ea autem adhibita doctrina eſt, quæ vel vitioſiſſimam naturam excolere poſſit. Tu, cùm pecuniæ, cùm voluptati, cùm omnium rerum cupidita-

3. *Sociorum*) Græcorum.

4. *Neceſſitudine*) ordo publicanorum, qui erat equitum Romanorum flos, ſemper Ciceroni faverat, & ab eo viciſſim omnibus in rebus defenſus fuerat.

5. *Beneficio*) Quia, niſi Cicero conſul Catilinæ conjurationem extinxiſſet, in negotiatorum fortunas impetus factus eſſet.

ti resistes, ùt facis; erit, credo, periculum, ne improbum negotiatorem, pauló cupidiorem publicanum comprimere non possis? Nam Græci quidem sic te ita viventem intuebuntur, ut quendam ex annalium memoria, aut etiam de cœlo divinum hominem esse in Provinciam delapsum putent. Atque hæc nunc non ut facias, sed ut te facere, & fecisse gaudeas, scribo. Præclarum est enim summo cum imperio fuisse in Asia triennium, sic ut nullum te signum, nulla pictura, nullum vas, nulla vestis, nullum mancipium, nullæ forma cujusquam, nulla conditio pecuniæ (quibus rebus abundat ista provincia) ab summa integritate, continentiáque deduxerit. Quid autem reperiri tam expetendum potest, quàm istam virtutem, moderationem animi, temperantiam non latere in tenebris, neque esse abditam; sed in luce Asiæ, in oculis clarissimæ provinciæ, atque in auribus omnium gentium ac nationum esse positam? non itineribus tuis perterreri homines, non sumptu exhauriri, non adventu commoveri? esse, quocunque veneris, & publicè, & privatim maximam lætitiam: cùm urbs custodem non tyrannum; domus hospitem, non expilatorem, recepisse videatur?

IV. *Quid circa personas, quibuscum officii ratio intercedit, observandum putet?*

His autem in rebus jam te usus ipse profectò erudivit, nequaquam satìs esse, ipsum hásce habere virtutes, sed esse circumspiciendum diligenter, ut in hac custodia provinciæ non te unum, sed omnes ministros imperii tui, sociis, & civibus, & reipublicæ præstare videare. Quanquam 6. legatos habes eos, qui ipsi per se habituri sint rationem dignitatis suæ; de quibus honore, & dignitate, & ætate præstat Tubero, quem ego arbitror, præsertim cùm scribat historiam, multos ex suis annalibus posse deligere, quos velit & possit imitari: Halienus autem noster, cùm animo & benevolentiâ, tum verò etiam imitatione vivendi. Nam quid ego de Cratidio dicam? quem certò scio ita laborare de æstimatione sua, ut propter amorem in nos fraternum etiam de nostra laboret. 7. Quæsto-

6. *Legatos*) legatos Romani appellabant, quos provinciarum rectoribus addebant, ut iis auxilio essent, eorúmque locum tenerent, ubi opus esset.

7. *Quæstorem*) Prætores non eligebant, sed sortiebantur sibi quæstores suos; ideóque filiorum loco habebant tanquam à diis datos.

ftorem habes, non tuo judicio delectum, sed eum quem sors dedit. Hunc oportet & suâ sponte esse moderatum, & tuis institutis, ac præceptis obtemperare. Quorum si quis fortè esset sordidior, ferres eatenus, quoad per se negligeret eas leges, quibus est adstrictus: non ut eâ potestate, quam tu ad dignitatem permisisses, ad questum uteretur. Neque enim mihi sanè placet, præsertim cùm ii mores tantùm jam ad nimiam lenitatem & ambitionem incubuerint, scrutari te omnes sordes, excutere unumquemque eorum: sed quanta sit in quoque fides, tantum cuique committere. Atque inter hos, eos, quos tibi comites & adjutores negotiorum publicorum dedit ipsa respublica, duntaxat finibus his præstabis, quos antè præscripsi.

V. *Continendos in officio Convictores & Apparitores, citra nimiam tamen suspicandi libertatem affirmat.*

Quos verò aut ex domesticis convictionibus, aut ex necessariis 8. apparitionibus tecum esse voluisti, qui quasi ex cohorte Prætoris appellari solent, horum non modò facta, sed etiam dicta omnia præstanda nobis sunt. Sed habes eos tecum, quos possis rectè facientes facilè diligere; minùs consulentes existimationi tuæ facillimè coërcere: à quibus, rudis cùm esses, videtur potuisse tua liberalitas decipi: nam ùt quisque est vir optimus, ita difficillimè, esse alios improbos, suspicatur: nunc verò tertius hic annus habeat integritatem eandem, quam superiores, cautiorem etiam ac diligentiorem. Sint aures tuæ, quæ id, quod audiunt, existimentur audire, non in quas fictè & simulatè quæstûs causâ insusurretur. Sit annulus tuus non ùt vas aliquod, sed tanquam ipse tu; non minister alienæ voluntatis, sed testis tuæ. 9. Accensus sit eo numero, quo eum majores nostri esse voluerunt; qui hoc non in beneficii loco, sed in laboris ac muneris, non temerè nisi libertis suis deferebant; quibus illi quidem non multò secus, ac

8. *Apparitionibus.*) alii legunt: *apparitoribus, convictoribus*: Apparitoris nomen generale, quo comprehenduntur omnes, qui Magistratui alicui apparere solent, eíque imperanti præstò esse, ùt accensi, viatores, lictores, interpretes, scribæ, præcones.

9. *Accensus*) Accensi vocabantur ministri eorum magistratuum, qui vocationis jus habebant, non solùm in urbe, sed etiam in provinciis: dicti ab *acciendo*.

ac servis imperabant. Sit 10. lictor non suæ, sed tuæ lenitatis apparitor: majoráque præferant fasces illi, ac secures dignitatis insignia, quàm potestatis. Toti denique sit provinciæ cognitum, tibi omnium, quibus præsis, salutem, liberos, famam, fortunas esse charissimas. Denique hæc opinio sit non modò iis, qui aliquid acceperint, sed iis etiam, qui dederint, te inimicum (si id cognoveris) futurum. Neque verò quisquam dabit, cùm erit hoc perspectum, nihil per eos, qui simulant se apud te multùm posse, abs te solere impetrari. Nec tamen est hæc oratio mea hujusmodi, ut te in tuos aut durum esse nimiùm, aut suspiciosum velim. Nam si quis est eorum, qui tibi biennii spatio nunquam in suspicionem avaritiæ venerit, (ùt ego Cæsium & Chærippum, & Labeonem, & audio, &, quia cognovi, existimo) nihil est, quod non & iis, & si quis est alius ejusmodi, & committi & credi rectissimè putem. Sed si quis est, in quo jam offenderis, de quo aliquid senseris: huic nihil credideris, nullam partem existimationis tuæ commiseris.

VI. *Familiaritas tam cum Romanis ignotis, quàm cum Græcis, summâ cautione ineunda.*

In provincia verò ipsâ si quem es nactus, qui in tuam familiaritatem penitus intrârit, qui nobis antè fuerit ignotus; huic quantum credendum sit, vide: non quin possint multi esse provinciales viri boni; sed hoc sperare licet, judicare periculosum est. Multis enim simulationum involucris tegitur, & quasi velis quibusdam ostenditur uniuscujusque natura: frons, oculi, vultus persæpe mentiuntur; oratio verò sæpissimè. Quamobrem quî potes reperire ex eo genere hominum, qui pecuniæ cupiditati adducti 11. careant his rebus omnibus, à quibus nos divulsi esse non possumus; te autem alienum hominem, ament ex animo, ac non sui commodi causâ simulent? Mihi quidem permagnum videtur; præsertim, si iidem homines privatum non ferè quemquam, prætorem

10. *Lictor*) lictores leniùs agere jussi, lenitatis meritum sibi adsciscunt; ut hinc aliquid lucrifaciant. Prætori in provincia apparebant, quemadmodum in urbe præeuntes cum fascibus & securibus.

11. *Careant*) urbe scilicet Romanâ; sunt enim Romani cives, sed negotiorum & pecuniæ causâ in provincia sedem posuerunt.

torem ſemper omnes amant. Quo ex genere ſi quem fortè tuî cognôſti amantiorem, (fieri enim potuit) quàm temporis, hunc verò ad tuum numerum libenter adſcribito. Sin autem id non perſpicies; nullum erit genus in familiaritate cavendum magìs: propterea quòd & omnes vias pecuniæ nôrunt, & omnia pecuniæ cauſâ faciunt: &, qui-cum victuri non ſunt, ejus exiſtimationi conſulere non curant. Atque etiam è Græcis ipſis diligenter cavendæ ſunt quædam familiaritates, præter hominum perpaucorum, ſi qui ſunt vetere Græciâ digni. Sic verò fallaces ſunt permulti & leves, & diuturna ſervitute ad nimiam aſſentationem eruditi: quos ego univerſos adhiberi liberaliter, optimum quemque hoſpitio, amicitiâque conjungi dico oportere. Nimiæ familiaritates eorum, neque tam fideles ſunt: non enim audent adverſari noſtris voluntatibus; & verò invident non noſtris ſolùm, verùm etiam ſuis.

VII. *Coërcendos omni ſeveritate ſervos præcipit: fratrem etiam de novo aſſentatione quâdam inflectit.*

Jam qui in ejusmodi rebus, in quibus vereor, etiam, ne durior ſim, cautus eſſe velim, ac diligens; quo me animo in ſervos eſſe cenſes? Quos quidem cùm omnibus in locis, tum præcipuè in provinciis regere debemus: Quo de genere multa præcipi poſſunt. Sed hoc & breviſſimum eſt, & facillimè teneri poteſt, ut ita ſe gerant in iſtis Aſiaticis itineribus, ut, ſi iter 12. Appiâ viâ faceres, néve intereſſe quidquam putent, utrùm 13. Tralles, an Formias venerint. At, ſi quis eſt ex ſervis egregiè fidelis; ſit in domeſticis rebus & privatis: quæ res ad officium imperii tui, atque ad aliquam partem reipublicæ pertinebunt, de his rebus ne quid attingat. Multa enim, quæ rectè committi ſervis fidelibus poſſunt, tamen ſermonis, & vituperationis vitandæ cauſâ committenda non ſunt. Sed neſcio, quo pacto ad præcipiendi rationem delapſa eſt oratio mea, cùm id mihi propoſitum initio non fuiſſet. Quid enim ei præcipiam, quem ego in hoc præſertim genere intelligam prudentiâ non eſſe inferiorem, quàm me; uſu verò etiam ſuperiorem? Sed tamen, ſi ad ea, quæ ſa-

12. *Appiâ*) id eſt: ſub ipſis Romæ oculis. Erat autem Appia via inter Romam & Capuam, ab Appio Claudio ſtrata.

13. *Tralles*) urbs Lydiæ; *Formiæ*, urbs novi Latii ad mare.

faceres, auctoritas accederet mea, tibi ipsi illa putavi fore jucundiora. Quare sint hæc fundamenta dignitatis tuæ: tua primùm integritas & continentia; deinde omnium, qui tecum sunt, pudor; delectus in familiaritatibus, & provincialium hominum, & Græcorum, percautus ac diligens; familiæ gravis & constans disciplina. Quæ cùm honesta sint in his privatis nostris, quotidianísque rationibus; in tanto imperio, tam depravatis moribus, tam corruptrice provinciâ, divina videantur, necesse est. Hæc institutio, atque hæc disciplina potest sustinere in rebus statuendis, & decernendis eam severitatem, quâ tu in iis rebus usus es, ex quibus nonnullas 14. simultates cum magnâ meâ lætitiâ susceptas habemus. Nisi fortè me Paconii nescio cujus, hominis ne Græci quidem, at Mysii, aut Phrygis potiùs, querelis moveri putas; aut Tuscenii hominis furiosi ac sordidi vocibus, cujus tu ex impurissimis faucibus inhonestissimam cupiditatem eripuisti summa cum æquitate.

VII. *In imperio lenitas cum severitate omnino conjungenda est.*

Hæc & cetera plena severitatis, quæ statuisti in ista provincia, non facilè sine summa integritate sustineremus. Quare sit summa in jure dicendo severitas, dummodò ea ne varietur gratiâ, sed conservetur æquabilis. Sed tamen parvi refert, abs te ipso jus dici æquabiliter, & diligenter, nisi idem ab iis fiet, quibus tu ejus muneris aliquam partem concesseris. Ac mihi quidem videtur non sanè magna varietas esse negotiorum in administranda Asia, sed ea tota jurisdictione maximè sustineri. In qua 15. scientiæ præsertim provincialis ratio expedita est. Constantia est adhibenda & gravitas, quæ resistat non solùm gratiæ, verùm etiam suspicioni. Adjungenda etiam est facilitas in audiendo, lenitas in decernendo, 16. in satisfaciendo ac disputando diligentia. His rebus nuper Cn. Octavius

14. *Simultates.*) Quia Quintus nimiâ suâ acerbitate multorum in se odia commoverat, parùm secundâ famâ laboravit.

15. *Scientia*) facile erat jus dicere in provinciâ, in qua neque tam multæ leges, neque tanta formularum quasi superstitio.

16. *In satisfaciendo*) licebat Prætorum decretis interdum disputando resistere, eorum autem erat, resistentibus satisfacere,

vius jucundissimus fuit: apud quem 17. primus lictor quievit; tacuit 18. accensus: quoties quisque voluit, dixit; & quàm voluit diu. Quibus ille rebus fortasse nimis lenis videretur, nisi hæc lenitas illam severitatem tueretur. Cogebantur 19. Syllani homines, quæ per vim & metum abstulerant, reddere: qui in magistratibus injuriosè decreverant, eodem ipsis privatis erat jure parendum. Hæc illius severitas acerba videretur, nisi multis condimentis humanitatis mitigaretur. Quodsi hæc lenitas grata Romæ est, ubi tanta arrogantia est, tam immoderata libertas, tam infinita hominum licentia, denique tot magistratus, 20. tot auxilia, 21. tanta vis, tanta senatûs auctoritas; quàm jucunda tandem prætoris comitas in Asia potest esse, in qua tanta multitudo civium, tanta sociorum, tot urbes, tot civitates unius hominis nutum intuentur, ubi 22. nullum auxilium est, nulla conquestio, nullus senatus, nulla concio? quare cùm permagni hominis est, & cùm ipsâ naturâ moderati; tum verò etiam doctrinâ, atque optimarum artium studiis eruditi, sic se adhibere in tanta potestate, ut nulla alia potestas ab iis, quibus ipse præsit, desideretur. Cyrus ille à Xenophonte non ad historiæ fidem scriptus, sed effigiem justi imperii; cujus summa gravitas ab illo Philosopho cum singulari comitate conjungitur: quos quidem liberos non sine causâ noster ille Africanus de manibus ponere non solebat: nullum est enim prætermissum in iis officium diligentis & moderati imperii, eáque, si sic coluit ille, qui privatus futurus nunquam fuit, quonam modo retinenda sunt iis, quibus imperium ita datum est, ut redderent, & ab iis legibus datum est, ad quas revertendum est?

IX. *Charitatem erga provinciales habendam esse commemorat, & abstinentiam suam à pecuniâ imitatione dignam.*

Ac mihi quidem videntur huc omnia esse referenda iis, qui præsunt aliis; ut ii, qui erunt eorum in imperio, sint quàm

17. *Primus lictor*) hujus erat, turbas arcere à tribunali, & in itinere submovere obvios.

18. *Accensus*) accensorum erat, silentium imperare disputantibus.

19. *Syllani*) Qui Syllanæ factionis auxilio in aliorum bona irrepserant.

20. *Tot auxilia*) Magistratus magistratui intercedebat; & ab uno ad alium auxilii gratiâ pergebatur.

21. *Tanta vis*) populi, quæ concionibus ciebatur.

22 *Nullum auxilium*) prætores nempe in Provinciis summa cum potestate fuisse sequitur, à quâ nulla esset provocatio.

quàm beatiſſimi; quod tibi eſſe & antiquiſſimum, & ab initio fuiſſe, ut primùm Aſiam attigiſti, conſtante famâ, atque omnium ſermone celebratum eſt. Eſt autem non modò ejus, qui ſociis & civibus, ſed etiam ejus, qui ſervis, qui mutis pecudibus præſit, eorum, quibus præſit, commodis, utilitatique ſervire. Cujus quidem generis conſtare inter omnes video, abs te ſummam adhiberi diligentiam: nullum æs alienum novum contrahi civitatibus; vetere autem magno & gravi multas abs te eſſe liberatas; urbes complures dirutas, ac penè deſertas (in quibus unam Joniæ nobiliſſimam, alteram Cariæ, Salum, & Halicarnaſſum) per te eſſe recreatas; nullas eſſe in oppidis ſeditiones, nullas diſcordias; provideri abs te, ut civitates optimatium auxiliis adminiſtrentur; ſublata Myſiæ latrocinia; cædes multis locis repreſſas; pacem totâ provinciâ conſtitutam; neque ſolùm illa itinerum atque agrorum, ſed multò etiam plura & majora oppidorum & fanorum furta & latrocinia eſſe depulſa: remotam à fama, & à fortunis, & ab otio locupletum illam acerbiſſimam miniſtram prætorum avaritiæ (23) calumniam; ſumptus & tributa civitatum ab omnibus, qui earum civitatum fines incolant, tolerari æquabiliter; facillimos eſſe aditus ad te: patére aures tuas querelis omnium; nullius inopiam ac ſolitudinem non modò illo populari acceſſu ac tribunali, ſed ne domo quidem ac cubiculo eſſe excluſam tuo; toto denique imperio nihil acerbum eſſe, nihil crudele, atque omnia plena clementiæ, manſuetudinis, humanitatis. Quantum verò illud eſt beneficium tuum, quòd iniquo & gravi vectigali (24) ædilitiorum, magnis noſtris ſimultatibus, Aſiam liberâſti? Enimverò ſi unus homo nobilis queritur palam, te, quòd edixeris, *Ne ad ludos pecuniæ decernerentur*, H-S cc ſibi eripuiſſe; quanta tandem pecunia penderetur, ſi omnium nomine, quicunque Romæ ludos facerent, quod erat jam inſtitutum, erogaretur? Quanquam has querelas hominum noſtrorum illo conſilio oppreſſimus, quod in Aſia neſcio quonam modo, Romæ quidem non mediocri cum admiratione

23. *Calumniam*) Subornabantur enim ab avaris prætoribus calumniatores, nempe ut locupletes ſpoliarent ipſi.

24. *Aedilitiorum*) munerum ſubaudi. Aediles enim pecuniam è provinciis ludorum nomine exigebant.

tione laudatur, quòd, cùm ad (25) templum monumentúmque noſtrum civitates pecunias decreviſſent; cúmque id & pro magnis meis meritis, & pro tuis maximis beneficiis ſummâ ſuâ voluntate feciſſent; nominatímque (26) lex exciperet, ut ad templum monumentúmque capere liceret; cúmque id, quod dabatur, non eſſet interiturum, ſed in ornamentis templi futurum, ut non mihi potiùs, quàm populo Romano, ac diis immortalibus datum videretur: tamen id, in quo erat dignitas, erat lex, erat eorum, qui faciebant, voluntas, accipiendum non putavi; cùm aliis de cauſis, tum etiam ut animo æquiore ferrent ii, quibus nec deberetur, nec liceret.

X. *Aſianos ſingularem in ſe humanitatem præcipuo quodam jure meritos ſcribit eſſe.*

Quapropter incumbe toto animo & ſtudio omni in eam rationem, quâ adhuc uſus es, ut eos, quos tuæ fidei poteſtatíque ſenatus populúsque Romanus commiſit & credidit, diligas, & omni ratione tueare, ut eſſe quàm beatiſſimos velis. Quodſi te ſors Afris aut Hiſpanis, aut Gallis præfeciſſet, immanibus ac barbaris nationibus; tamen eſſet humanitatis tuæ, conſulere eorum commodis, & utilitati, ſalutíque ſervire. Cùm verò ei generi hominum præſimus, non modò in quo ipſa ſit, ſed etiam à quo ad alios perveniſſe putetur humanitas; certè iis eam potiſſimùm tribuere debemus, à quibus accepimus. Non enim me hoc jam dicere pudebit, præſertim in eâ vitâ, atque iis rebus geſtis, in quibus non poteſt reſidere inertiæ, aut levitatis ulla ſuſpicio; nos ea, quæ conſecuti ſumus, his ſtudiis & artibus eſſe adeptos, quæ ſint nobis Græciæ monumentis diſciplinísque tradita. Quare præter communem fidem, quæ omnibus debetur, prætereà nos iſti hominum generi præcipuè debere videmur, ut, quorum præceptis ſumus eruditi, apud eos ipſos, quod ab iis didicerimus, velimus expromere. Atque ille quidem princeps ingenii & doctrinæ Plato tum deni-

25. *Templum*) Civitates Aſiæ pecuniam decreverant, quibus templum conſtrueretur, in eóque monumentum M. Ciceroni.

26. *Lex*) de repetundis lex vetabat, ne pecuniæ provinciæ caperentur, niſi nominibus iis, quæ in lege ipſâ excipiebantur.

denique fore beatas respublicas putavit, si aut docti aut sapientes homines eas regere cœpissent; aut ii, qui regerent, omne suum studium in doctrina ac sapientia collocassent. Hanc conjunctionem videlicet potestatis ac sapientiæ, saluti censuit civitatibus esse posse: quod fortasse aliquando universæ reipublicæ nostræ, nunc quidem profectò isti provinciæ contigit, ut is in eâ summam potestatem haberet, cui in doctrinâ, cui in virtute, atque humanitate percipienda, plurimum à pueritiâ studii fuisset, & temporis. Quare cura, ut hic annus, qui ad laborem tuum accessit, idem ad salutem Asiæ prorogatus esse videatur. Quoniam in te retinendo fuit Asia felicior, quàm nos in deducendo; perfice, ut lætitiâ provinciæ desiderium nostrum leniatur. Etenim si in promerendo, ut tibi 27. tanti honores haberentur, quanti haud scio, an nemini, fuisti omnium diligentissimus; multò majorem in his honoribus tuendis adhibere diligentiam debes. Et quidem de isto genere honorum quid sentirem, scripsi ad te ante. Semper eos putavi, si vulgares essent, viles; si temporis causâ constituerentur, leves; si verò (id quod ita factum est) meritis tuis tribuerentur, existimabam, multam tibi in his honoribus tuendis operam esse ponendam. Quare quoniam in istis urbibus cum summo imperio & potestate verfaris, in quibus tuas virtutes consecratas, & in deorum numero collocatas vides; in omnibus rebus, quas statues, quas decernes, quas ages, quid tantis hominum opinionibus, tantis de te judiciis, tantis honoribus debeas, cogitabis. Id autem erit ejusmodi, ut consulas omnibus, ut medeare incommodis hominum, provideas saluti, ut te parentem Asiæ, & dici & haberi velis.

XI. *Quomodo cum publicanis agendum sit?*

Atque huic tuæ voluntati ac diligentiæ difficultatem magnam afferunt publicani: quibus si adversamur, ordinem de nobis optimè meritum, & per nos cum republica conjunctum, & à nobis, & à republicâ dijungemus. Sin autem omnibus in rebus obsequemur, funditus eos perire patiemur, quorum non modò saluti, sed etiam commodis con-

27. *Tanti honores*) positis aris in templis, ut in more provinciarum fuit, virtutibus Quinti, justitiæ, clementiæ, fidei &c.

consulere debemus. Hæc est una (si verè cogitare volumus) in toto imperio tuo difficultas. Nam esse abstinentem; continere omnes cupiditates; suos coërcere; juris æquabilem tenere rationem; facilem te in rebus cognoscendis, in hominibus audiendis, admittendísque præbere; præclarum magìs est, quàm difficile: non est enim positum in labore aliquo, sed in quadam inductione animi, atque voluntate. Illa causa publicanorum quantam acerbitatem afferat sociis, intelleximus ex civibus, qui nuper in 28. portoriis Italiæ tollendis, non tam de portorio, quàm de nonnullis injuriis portitorum querebantur. Quare non ignoro, quid sociis accidat in ultimis terris, cùm audierim in Italia querelas civium. Hìc te ita versari, ut & publicanis satisfacias (præsertim publicis 29. malè redemptis) & socios perire non sinas, divinæ cujusdam virtutis esse videtur, id est tuæ. Ac primùm Græcis, id quod acerbissimum est, quòd sunt vectigales, non ita acerbum videri debet; propterea quòd sine imperio populi Romani, 30. suis institutis, per se ipsi ita fuerunt. Nomen autem publicani aspernari non possunt, qui pendere ipsi vectigal 31. sine publicano non potuerunt, quod iis 32. æqualiter Sylla descripserat. Non esse autem leniores in exigendis vectigalibus Græcos, quàm nostros publicanos, hinc intelligi potest, quòd 33. Caunii nuper, omnésque ex insulis, quæ erant ab Sylla 34. Rhodiis attributæ, confugerunt ad senatum, nobis ut potiùs vectigal, quàm Rhodiis penderent. Quare nomen publicani neque ii debent horrere, qui semper vectigales fuerunt; neque ii aspernari, qui per se pendere vectigal non potuerunt: neque ii recusare, qui postulaverunt. Simul & illud Asia cogitet

28. *Portoriis*) Q. Metellus Nepos cùm Prætor esset, portoria Italiæ, lege latâ, sustulerat.

29. *Malè*) quia publicani nimis magno pretio publica vectigalia redemerant, socios enecabant, acerbiùs exigendo.

30. *Sine*) Græcia cùm libera esset, suis populis vectigalia describebat.

31. *Sine publ.*) Ipsæ enim per se civitates non facilè ad colligendum vectigal adducuntur.

32. *Aequaliter*) quò faciliùs sine publicano exigi videbatur posse.

33. *Caunii*) populi Cariæ. Caunus autem populus erat ad Rhodium mare in Lyciæ confinio.

34. *Rhodiis*) Sylla decreverat, ut Caunii & vicinæ insulæ vectigalia inferrent in ærarium Rhodiorum.

gitet, nullam à se neque belli externi, neque discordiarum domesticarum calamitatem abfuturam fuisse, si hoc imperio non teneretur. Id autem imperium cùm retineri sine vectigalibus nullo modo possit, æquo animo parte aliquâ suorum fructuum pacem sibi sempiternam redimat atque otium. Quodsi genus ipsum & nomen publicani non iniquo animo sustinebunt; poterunt iis, consilio & prudentiâ tuâ, reliqua videri mitiora. Possunt in pactionibus faciendis non 35. legem spectare censoriam, sed potiùs commoditatem conficiendi negotii, & liberationem molestiæ. Potes etiam tu id facere, quod & fecisti egregiè, & facis, ut commemores, quanta sit in publicanis dignitas, quantum nos illi ordini debeamus; ut remoto imperio, ac vi potestatis & fascium publicanos cum Græcis gratiâ atque auctoritate conjungas. Sed & ab iis, de quibus optimè tu meritus es, & qui tibi omnia debent, hoc petas, ut facilitate suâ nos eam necessitudinem, quæ est nobis cum publicanis, obtinere & conservare patiantur. Sed quid ego te hæc hortor, quæ tu non modò facere potes tuâ sponte, sine cujusquam præceptis, sed etiam magna jam ex parte perfecisti? Non enim desistunt nobis agere quotidie gratias honestissimæ, & maximæ societates: quod quidem mihi idcirco jucundius est, quòd idem faciunt Græci. Difficile est autem, ea, quæ commodis, utilitate, & propè naturâ diversa sunt, voluntate conjungere.

XII. *Contra præcipitem fratris iracundiam appositè scribit.*

At ea quidem, quæ supra scripta sunt, non ut te instituerem, scripsi; (neque enim prudentia tua cujusquam præcepta desiderat) sed me in scribendo commemoratio tuæ virtutis delectavit: quanquam in his litteris longior fui, quàm aut vellem, aut quàm me putavi fore. Unum est, quod tibi ego præcipere non desinam; neque te patiar (quantum in me erit) cum exceptione laudari. Omnes enim, qui istinc veniunt, ita de tua virtute, integritate, humanitate commemorant, ut in tuis summis laudibus excipiant unam iracundiam: quod vitium cùm in hac privata quotidianáque

35. *Legem censoriam*) Vectigalium locandorum cura penes Censores erat, qui certas conditiones conductoribus dicebant, ne nimiâ acerbitate & avaritiâ socios perderent.

que vita, levis eſſe animi atque infirmi videtur; tum verò nihil eſt tam deforme, quàm ad ſummum imperium etiam acerbitatem naturæ adjungere. Quare illud non ſuſcipiam, ut, quæ de iracundia dici ſolent à doctiſſimis hominibus, ea tibi nunc exponam, cùm & nimis longus eſſe nolim, & ex multorum ſcriptis ea facilè poſſis cognoſcere. Illud, quod eſt epiſtolæ proprium, ut is, ad quem ſcribitur, de iis rebus, quas ignorat, certior fiat, prætermittendum eſſe non puto. Sic ad nos omnes ferè deferunt, nihil, cùm abſit iracundia, te fieri poſſe jucundius: ſed cùm te alicujus improbitas, perverſitáſque commoverit, ſic te animo incitari, ut ab omnibus tua deſideretur humanitas. Quare, quoniam in eam rationem vitæ nos non tam cupiditas quædam gloriæ, quàm res ipſa ac fortuna deduxit, ut ſempiternus ſermo hominum de nobis futurus ſit; caveamus, quantum efficere & conſequi poſſumus, ut ne quod in nobis inſigne vitium fuiſſe dicatur. Neque ego nunc hoc contendo, quod fortaſſe cùm in omni natura, tum jam in noſtra ætate difficile eſt, mutare animum, & ſi quid eſt penitus inſitum moribus, id ſubitò evellere, ſed te illud admoneo, ut ſi hoc plenè vitare non potes, quòd ante occupatur animus ab iracundiâ, quàm providere ratio potuit, ne occuparetur; ut te ante cómpares, quotidiéque meditêre, reſiſtendum eſſe iracundiæ; cúmque ea maximè animum moveat, tum tibi eſſe diligentiſſimè linguam continendam; quæ quidem mihi virtus non interdum minor videtur, quàm omnino non iraſci. Nam illud non ſolùm eſt gravitatis, ſed nonnunquam etiam lentitudinis: moderari verò & animo & orationi, cùm ſis iratus, aut etiam tacere, & tenere in ſua poteſtate motum animi & dolorem, etſi non eſt perfectæ ſapientiæ, tamen eſt non mediocris ingenii. Atque in hoc genere multò te eſſe commodiorem, mitiorémque nuntiant. Nullæ tuæ vehementiores animi concitationes, nulla maledicta ad nos, nullæ contumeliæ perferuntur: quæ cùm abhorrent à litteris, ab humanitate; tum verò contraria ſunt imperio ac dignitati. Nam ſi implacabiles iracundiæ ſunt, ſumma eſt acerbitas: ſin autem exorabiles, ſumma levitas: quæ tamen, ùt in malis, acerbitati anteponenda eſt. Sed quoniam primus annus habuit de hac reprehenſione plurimum ſermonis, credo propterea, quòd tibi hominum injuriæ, quòd avaritiæ, quòd inſolentia præter opinionem accidebat, & intolerabilis videba-

 tur;

tur; ſecundus autem multò lenior, quòd & conſuetudo & ratio (&, ùt ego arbitror) meæ quoque litteræ te patientiorem, leniorémque fecerunt; tertius annus ita eſſe debet emendatus, ut ne minimam quidem rem quiſquam poſſit ullam reprehendere.

XIII. *Poſtremò ſtimulum gloriæ, tanquam complementum, adjungit.*

Ac jam hoc loco non hortatione, neque præceptis, ſed precibus tecum fraternis ago; totum ut animum, curam, cogitationémque tuam ponas in omnium laude undique colligendâ. Quodſi in mediocri ſtatu ſermonis ac prædicationis noſtræ res eſſent; nihil abs te eximium, nihil præter aliorum conſuetudinem poſtularetur: nunc verò præter earum rerum, in quibus verſati ſumus, ſplendorem & magnitudinem, niſi ſummam laudem ex iſta provincia aſſequimur, vix videmur ſummam vituperationem poſſe vitare. Ea noſtra ratio eſt, ut omnes boni cùm faveant, tum etiam à nobis omnem diligentiam virtutémque & poſtulent, & exſpectent: omnes autem improbi (quòd cum iis bellum ſuſcepimus ſempiternum) vel minimâ re ad reprehendendum contenti eſſe videantur. Quare, quoniam ejuſmodi theatrum tuis virtutibus eſt datum, celebritate refertiſſimum, magnitudine ampliſſimum, judicio eruditiſſimum, naturâ autem ita reſonans, ut usque Romam ſignificationes vocéſque referantur; contende quæſo, atque elabora, non modò ut his rebus dignus fuiſſe, ſed etiam ut illa omnia tuis artibus ſuperâſſe videare. Et quoniam mihi caſus urbanam in magiſtratibus adminiſtrationem reipublicæ, tibi provincialem dedit; ſi mea pars nemini cedit, fac ut tua ceteros vincat. Simul & illud cogita, nos non de reliqua & ſperata gloria jam laborare, ſed de parta dimicare: quæ quidem non tam expetenda nobis fuit, quàm tuenda eſt. Ac ſi mihi quidquam eſſet abs te ſeparatum, nihil ampliùs deſiderarem hoc ſtatu, qui mihi jam partus eſt. Nunc verò res ſic ſeſe habet, ut, niſi omnia tua facta atque dicta noſtris rebus iſtinc reſpondeant, ego me meis tantis laboribus, tantíſque periculis, quorum tu omnium particeps fuiſti, nihil conſecutum putem. Quòdſi, ut ampliſſimum nomen conſequeremur, unus præter ceteros adjuviſti; certè idem, ut id retineamus, præter ceteros elaborabis. Non eſt tibi his ſolis utendum

utendum exiſtimationibus ac judiciis, qui nunc ſunt, hominum; ſed iis etiam, qui futuri ſint: quanquam illorum erit verius judicium, obtrectatione, & malevolentiâ liberatum. Denique illud etiam debes cogitare, non te tibi ſoli gloriam quærere: quòd ſi eſſet, tamen non negligeres; præſertim cum ampliſſimis monumentis conſecrare voluiſſes memoriam nominis tui: ſed ea tibi eſt communicanda mecum, prodenda liberis noſtris. In quo cavendum eſt, ne ſi negligentior fueris, non ſolùm tibi parum conſuluiſſe, ſed etiam tuis invidiſſe videàris. Atque hæc non eò dicuntur, ut te oratio mea dormientem excitâſſe, ſed potiùs, ut currentem incitâſſe videatur. Facies enim perpetuò, quæ feciſti, ut omnes æquitatem tuam, temperantiam, ſeveritatem, integritatémque laudent. Sed me quædam tenet, propter ſingularem amorem, infinita in te aviditas gloriæ. Quanquam illud exiſtimo, cùm jam tibi Aſia, ſicut unicuique ſua domus, nota eſſe debeat; cùm ad tuam ſummam prudentiam tantus uſus acceſſerit; nihil eſſe, quod ad laudem attineat, quod non tu optimè perſpicias; & tibi non, ſine cujuſquam hortatione, in mentem veniat quotidie. Sed ego, qui, cùm tua lego, te audire; & qui, cùm ad te ſcribo, tecum loqui videor: idcirco & tuâ longiſſimâ quâque epiſtolâ maximè delector, & ipſe in ſcribendo ſæpe ſum longior. Illud te ad extremum & oro, & hortor, ut, tanquam poëtæ boni, & actores induſtrii ſolent, ſic te in extremâ parte, & concluſione muneris ac negotii tui diligentiſſimus ſis; ut hic tertius annus imperii tui, tanquam tertius actus perfectiſſimus, atque ornatiſſimus fuiſſe videatur. Id facillimè facies, ſi me (cui ſemper uni magìs, quàm univerſis, placere voluiſti) tecum ſemper eſſe putabis, & omnibus iis rebus, quas dices, ac facies, intereſſe. Reliquum eſt, ut te orem, ut valetudini tuæ, ſi me & tuos omnes valere vis, diligentiſſimè ſervias.

II.

LUCII ANNAEI SENECAE ORATORIS ET RHETORIS IN CONTROVERSIARUM LIBROS EPISTOLA PRAEVIA.

Argumentum. L. ANNAEUS SENECA *ad filios ſuos Novatum, Melam, & Senecam ſcripſit decem libros declamationum; qui*

 tamen

tamen haud integri ad nos pervenerunt. Ad librum primum per modum Epistolæ scribit Procœmium, in quo de vario studiorum genere, de exercitationibus dicendi, de orationibus tractans, aptum in simplicitate cultum, in brevitate gratiam expressit.

NOVATO, SENECAE, ET MELAE FILIIS.

I. *Docet, sibi jucundum esse, ad studia antiqua in senio redire.*

Exigitis rem magìs jucundam mihi, quàm facilem. Jubetis enim indicare, quid de his declamatoribus sentiam, qui in ætatem meam inciderunt; & si qua memoriæ meæ nondum elapsa sunt, ab illis dicta colligere: ut, quamvis notitiæ vestræ subducti sint; tamen non credatis tantùm de illis, sed etiam judicetis. Est, fateor, jucundum mihi, redire in antiqua studia, meliorésque ad annos respicere, & vobis querentibus, quòd tantæ opinionis viros audire non potueritis, detrahere injuriam temporum.

II. *Memoriam sibi olim fidam adhuc sufficere scribit.*

Sed cùm multa jam mihi ex me desideranda senectus fecerit, oculorum aciem retuderit, aurium sensum hebetaverit, nervorum firmitatem fatigaverit: inter ea, quæ detuli, memoria est, res ex omnibus partibus animi maximè delicata & fragilis, in quam primùm senectus incurrit. Hanc aliquando in me floruisse, ut non tantùm ad usum sufficeret, sed in miraculum usque procederet, non nego. Nam duo millia nominum recitata, quo ordine erant dicta, referebam: & ab his, qui ad audiendum præceptorem nostrum convenerant, singulos versus à singulis datos, cùm plures, quàm ducenti efficerentur, ab ultimo incipiens usque ad primum recitabam. Nec ad complectenda tantùm, quæ vellem, velox erat mihi memoria; sed etiam ad continenda, quæ acceperat. Nunc autem & ætate quassata, & longâ desidiâ, quæ juvenilem quoque animum dissolvit, eò perducta est, ut etiamsi possit aliquid præstare, tamen promittere non possit; & diu ab illa nihil repetivi. Solebat bonæ fidei esse. Nunc quia jubetis, quid possit, experiar, & illam omni curâ scrutabor. Ex parte enim spero bene. Nam quæcunque apud illam aut puer, aut juvenis deposui, quasi recentia, & modò audita sine cunctatione

ctatione profert. At si qua illi intra proximos annos commisi, sic perdidit & amisit: ut, etiamsi sæpiùs ingerantur, toties tamen tanquam nova audiam. Itaque ex memoria, quod vobis satis sit, superest. Neque enim me de his interrogatis, quos ipsi audîstis: sed de his, qui ad vos usque non pervenerunt. Fiat quod vultis, mittatur senex in scholas. Illud, necesse est, impetrem; ne me quasi certum aliquem ordinem velitis sequi, in contrahendis, quæ mihi occurrent. Necesse est enim, per omnia studia mea errem; & passim, quidquid obvenerit controversiarum, apprehendam. Sententias fortè ponam pluribus locis in una declamatione dictas. Non enim, dum quæro, aliquid invenio: sed sæpe, quod quærenti non comparuit, aliud agenti præstò est. Quædam verò, quæ obversantia mihi, & jam ex aliqua parte se ostendentia non possum occupare, eadem securo & reposito animo subitò emergunt. Aliquando etiam seriam rem agenti & occupato, sententia diu frustra quæsita intempestivè molesta est. Necesse est ergo me ad delicias componam memoriæ meæ, quæ mihi jam olim 1. precariò paret.

III. *Studium perquàm honestum juventutis luxuriâ malè enervatur.*

Facitis autem, juvenes mei! rem necessariam & utilem, quòd non contenti exemplis seculi vestri, prioris quoque vultis cognoscere. Primùm, quò plura exempla inspecta sunt, plùs eloquentiâ proficitur. Non est unus, quamvìs præcipuus sit, imitandus, quia nunquam par fit imitator auctori. Hæc natura est rei. Semper citra veritatem & minor est similitudo. Deinde ut possitis æstimare, quantùm quotidie ingenia decrescant: & nescio quâ iniquitate, & ad malum pronitate naturæ, eloquentia se retro tulerit. Quidquid Romana facundia habet, quod insolenti Græciæ aut opponat, aut præferat, circa Ciceronem effloruit. Omnia ingenia, quæ lucem nostris studiis attulerunt, tunc nata sunt. In deterius deinde quotidie data res est: sive luxu temporum (nihil enim tam mortiferum ingeniis, quàm luxuria) sive cùm præmium pulcherrimæ rei cecidisset, translatum est omne certamen ad tur-

1. *Precariò*) alii *non paret:* fit autem precariò, quod ob preces fit.

turpia, multo honore quæstúque vigentia: sive fato quodam, cujus maligna perpetuáque in omnibus rebus lex eſt, ut ad ſummum perducta, rurſus ad infimum, velociùs quidem quàm aſcenderant, relabantur. Torpent ecce ingenia deſidioſæ juventutis; nec in ullius honeſtæ rei labore vigilatur. Somnus languórque, ac ſomno & languore turpior malarum rerum induſtria invaſit animos. Cantandi, ſaltandíque nunc obſcœna ſtudia effœminatos tenent: & capillum frangere, & ad muliebres blanditias vocem extenuare, & mollitie corporis certare cum fœminis, noſtrorum adoleſcentum ſpecimen eſt. Quis æqualium veſtrorum, quid dicam ſatìs ingenioſus, ſatìs ſtudioſus, imò quis ſatìs vir eſt? Emolliti, enervéſque in vitio nati ſunt, in vitio manent: expugnatores alienæ pudicitiæ, negligentes ſuæ. In hos nec dii tantum mali permittant, ut cadat eloquentia: quam non mirarer, niſi animos, in quos ſe conferret, eligeret. Erratis optimi juvenes, niſi illam vocem non Marci Catonis, ſed oraculi creditis. Quid enim eſt oraculum? nempe voluntas divina, hominis ore enuntiata. Et quem tandem antiſtitem ſanctiorem invenire ſibi divinitas potuit, quàm Catonem, per quem humano generi non præciperet, ſed convitium faceret? Ille ergo vir quid ait? Orator eſt, Marce fili, vir bonus, dicendi peritus. Ite nunc, & in iſtis fluxis atque expolitis viris, quærite oratores. Meritò talia habent exempla, qualia ingenia. Quis eſt, qui nunc memoriæ ſtudeat? Quis, qui non dico magnis 2. viribus, ſed ſuis placeat? ſententias à diſertiſſimis viris factas, facilè in tanta hominum deſidia pro ſuis dicunt: & ſic 3. acerrimam eloquentiam, quam præſtare non poſſunt, violare non deſinunt. Eò libentiùs, quod exigitis, faciam: & quæcunque à celeberrimæ facundiæ viris dicta teneo, ne ad quenquam privatim pertineant, populo dedicabo. Ipſis quoque multum præſtaturus videor, quibus oblivio imminet, niſi aliquid tradatur poſteris, quo memoria eorum producatur. Ferè enim aut nulli commentarii maximorum declamatorum extant; aut, quod pejus eſt, falſi. Itaque ne aut ignoti ſint, aut aliter, quàm debeant, noti; ſumma cum fide ſuum cuique reddam. Omnes autem magni nominis in eloquentia videor audîſſe, præter Ciceronem.

IV.

2. *Viribus*) alii putant *viris*.

3. *Acerrimam*) aliis placet *ſacerrimam*.

IV. *Diversas scribit exercitationes dicendi fuisse.*

Nec Ciceronem quidem æta mihi eripuerat; sed bellorum civilium furor, qui tunc totum orbem pervagabatur. Intra coloniam meam me continui: alioquin potuissem eum audîsse in illo atriolo, in quo duos grandes 5. prætextatos ait secum declamare solitos. Potui & illud ingenium, quod solum populus Romanus par imperio suo habuit, cognoscere, & quod vulgò 6. de alio dici solet, sed de illo propriè debet, potui vivam vocem audire. Declamabat autem Cicero non quales nunc controversias dicimus, nec tales quidem, quales ante Ciceronem dicebantur, quas 7. Theses vocabant. Hoc autem genus materiæ, quo nos exercemur, adeò novum est, ut nomen quoque ejus novum sit. Controversias nos dicimus: Cicero causas vocabat. Hoc verò alterum nomen Græcum quidem est, sed in latinum ita translatum, ut pro latino sit. Scholastica controversia multò recentius est, sicut ipsa declamatio: apud nullum auctorem antiquum, ante ipsum Ciceronem & Calvum inveniri potest, qui declamationem distinguit. Ait enim: declamare est, jam non mediocriter bene dicere. Alterum putat domesticæ exercitationis esse: alterum veræ actionis. Modò nomen hoc prodiit. Nam & studium ipsum nuper celebrari cœpit. Ideo facile est mihi ab incunabulis nôsse rem post me natam. In aliis autem an beneficium vobis daturus sim, nescio: in uno accipio.

V. *Portium sibi familiarem ab ingenio, memoriáque, & indefesso studio commendat.*

Latronis enim Portii, charissimi mihi sodalis, memoriam sæpiùs cogor retractare, & à prima pueritia usque ad ultimum ejus diem perductam familiarem amicitiam cum volup-

4. *Coloniam*) Colonia propriè dicitur oppidum vel bello victum, vel aliis casibus exhaustum, in quod vel milites vel cives alterius oppidi ad habitandum mittuntur.

5. *Prætextatos*) nobiles erant adolescentes prætextâ loco tunicæ utentes. Sic dicebatur, quia genere quodam texturæ extrinsecùs ornata erat.

6. *De alio*) de Demosthene, Græco oratore, qui à Luciano dicitur eloquentiam vivam, & suis viribus mobilem reddidisse.

7. *Theses*) θέσιν, apud nos positio. Fuit genus quæstionis commune, sine circumscriptione personarum, locorum, temporum &c. E. G. An amicitia sit colenda?

luptate maximâ repetam. Nihil illo viro gravius, nihil eloquentiâ suâ dignius. Nemo plus ingenio suo imperavit. Nemo plus indulsit. In utráque parte vehementi viro modus deerat: nec intermittere studia sciebat, nec repetere. Cùm se ad scribendum concitaverat; jungebantur noctibus dies, & sine intervallo gravis sibi instabat: nec desinebat, nisi defecerat. Rursus cùm se dimiserat, in omnes lusus & in omnes jocos se resolvebat. Cùm verò se sylvis, montibúsque tradiderat, omnes illos agrestes in sylvis ac montibus natos, laboris patientiâ, ac venandi solertiâ provocabat: & in tantam sic vivendi pervenerat cupiditatem; ut vix posset ad priorem consuetudinem retrahi. At cùm sibi manum injecerat, & se blandimento, quo abduxerat, revocabat; tantis viribus incumbebat in studium, ut non tantùm nihil perdidisse, sed multum acquisivisse desidiâ videretur. Omnibus quidem prodest subinde animum relaxare; excitatur enim vigor, & omnis tristitia, quæ continuatione pertinacis studii adducitur, feriarum hilaritate discutitur: nulli tamen intermissio manifestiùs proderat. Quoties ex intervallo dixerat; multò acriùs, violentiúsque dicebat. Exultabat enim novato & integrato robore; & tantum à se exprimebat, quantum concupierat. Nesciebat dispensare vires suas, sed immoderati adversùm se imperii fuit. Ideóque studium ejus prohiberi debebat, quia regi non poterat. Itaque solebat & ipse, cùm se assiduâ, & nunquam intermissâ contentione fregerat, sentire ingenii lassitudinem: quæ non minor est, quàm corporis, sed occultior. Corpus illi erat & naturâ solidum, & multâ exercitatione duratum. Itaque nunquam eum ardentis impetus animi deseruit. Vox robusta, sed sordida 8. lucubrationibus: & negligentiâ, non naturâ, infuscata, beneficio tamen laterum extollebatur, & quamvìs inter initia parum attulisse virium videretur, ipsâ actione accrescebat. Nulla unquam illi cura vocis exercendæ fuit. Illum fortem, agrestem, & Hispanæ consuetudinis morem non poterat dediscere: utcunque res tulerat, ita vivere: nil vocis causâ facere: non illam per gradus paulatim ab imo usque ad summum perducere: non rursus à summa contentione paribus intervallis descendere: non

8. *Lucubrationibus*) lucubrare, dicitur ad lumen studere.

non 9. ſudorem olei unctione diſcutere: non latus ablutione reparare. Sæpe cùm per totam lucubraverat noctem, ab ipſo cibo ſtatim ad declamandum perveniebat. Jam verò cùm rem inimiciſſimam corpori faceret, vetari nullo modo poterat. Poſt cœnam ferè lucubrabat, nec patiebatur alimenta per ſomnum quietémque æqualiter digeri, ſed perturbata & diſſipata in caput agebat. Itaque & oculorum aciem confuderat, & colorem mutaverat. Memoria & natura quidem felix, ſed plurimùm adjuta arte. Nunquam ille, quæ dicturus erat, ediſcendi causâ relegebat. Edidicerat illa, cùm ſcripſerat. Quin id in illo magìs mirabile videri poſſit, quòd nec lentè & anxiè, ſed eodem bene, quo dicebat, impetu ſcribebat. Illi quidem, qui ſcripta ſua torquent, qui de ſingulis verbis in conſilium veniunt, neceſſe eſt, quæ toties animo ſuo admoverint, noviſſimè affigant. At quorumcunque ſtylus eſt velox, tardior memoria eſt. In illo non tantùm naturalis memoriæ felicitas erat, ſed ars ſumma, & ad apprehendenda, quæ tenere debebat, & ad cuſtodienda, adeò, ut omnes declamationes ſuas quaſcunque dixerat, teneret. Jam itaque ſupervacuos ſibi fecerat codices. Ajebat ſe ſcribere in animo cogitata. Dicebat ita, ut in nullo unquam verbo eum memoria deceperit. Hiſtoriarum omnium ſumma notitia: jubebat aliquem nominari 10. ducem, & ſtatim ejus acta curſu reddebat. Adeò quæcunque in animum ejus ſemel deſcenderant, in promptu erant. Video vos, juvenes mei, plùs juſto ad hanc ejus virtutem obſtupeſcere: alia vos in illo mirari volo. Hoc, quod tantùm vobis mirum videtur, non operosâ poteſt tradi arte. Intra exiguum pauciſſimorum dierum tempus poterit quilibet facere id, quod Cyneas fecit: qui miſſus à Pyrrho Legatus ad Romanos, poſtero die novus homo & ſenatum & omnem urbanam circumfuſam ſenatui plebem, nominibus ſuis perſalutavit. Aut quod ille fecit, qui recitatum à Poëtâ carmen novum ſuum eſſe dixit, & protinus memoriâ recitavit: cùm hoc ille, cujus carmen erat, facere non poſſet. Aut hoc fecit 11. Hortenſius, qui à Siſenna pro-

9. *Sudorem olei*) ita erat mos veterum, ungi oleo aut in ſole, aut ad ignem.

10. *Ducem*) v. g. Miltiadem, Themiſtoclem, Alexandrum &c.

11. *Hortenſius.* Romanus Orator, in foro Romano cauſarum rex ob eloquentiam dictus.

provocatus in 12. auctione persedit diem totum, & omnes res, & pretia, & emptores ordine suo recensuit argentariis recognoscentibus, ita ut in nullo falleretur. Cupitis statim ista discere. Suspendam cupiditatem vestram; & faciam alteri beneficio locum. Interim hoc vobis, in quo jam obligatus sum, persolvam. Plura fortasse videor de Latrone meo vobis, quàm audire desideratis, exposuisse. Ipse quoque hoc præviderain futurum, ut à memoria ejus, quoties occasio fuisset, difficulter avellerer. Tamen nec his contentus ero, sed quoties me invitaverit memoria, libentissimè faciam, ut illum totum & vos cognoscatis, & ego recognoscam. Illud unum non differam, falsam opinionem de illo in animis hominum convaluisse.

VI. *Subtilitatem Portio non defuisse, sed latuisse scribit: amâsse illum sententias, figuras verò orationis aspernatum esse.*

Putant enim fortiter quidam, sed parùm subtiliter eum dixisse: cùm in illo, si qua alia virtus fuit, etiam subtilitas fuerit. Id quod nunc à nullo fieri animadverto, semper fecit. Ante, quàm dicere inciperet, sedens quæstionem ejus, quam dicturus erat, controversiæ proponebat: quod summæ fiduciæ est. Ipsa enim actio multas latebras habet: nec facilè potest, si quo loco subtilitas fuerit, apparere: cùm orationis cursus judicium audientis impediat, dicentis abscondat. Ast ubi nuda proponuntur membra, si quid aut numero, aut ordine excidit, manifestum est. Quid ergo? unde hæc de illo fama? Nihil est iniquius his, qui nusquam putant esse subtilitatem, nisi ubi nihil est præter subtilitatem; & in illo cùm omnes oratoriæ virtutes essent, hoc fundamentum tot & tantis superstructis molibus obruebatur. Nec deerat in illo, sed non eminebat. Et nescio, an maximum vitium subtilitatis sit, nimis se ostendere. Magis nocent insidiæ, quæ latent. Utilissima est dissimulata subtilitas, quæ effectu apparet, & habitu latet. Interponam itaque aliquibus locis quæstiones controversiarum, sicut ab illo propositæ sunt. Nec his argumenta subtexam, ne & modum excedam, & propositum tam meum, quàm vestrum, cùm vos sententias audire velitis, & quidquid ab illis ab-

12. *Auctione*) auctio erat quidam mos vendendi, quando expositâ re venali traditur illi, qui pollicetur plurimum se dare velle.

abduxerit, moleſtum futurum ſit. Hoc quoque Latro meus faciebat, ut amaret ſententias, cùm condiſcipuli eſſemus apud Marullum Rhetorem, hominem ſatìs aridum, pauciſſima bellè, ſed non vulgato genere dicentem: cùm exilitatem orationis ſuæ imputaret controverſiæ, & diceret: *Neceſſe eſt me per ſpinoſum locum ambulantem, ſuſpenſos pedes habere:* ajebat Latro: *Non me Hercules tui pedes ſpinas calcant, ſed habent.* Et ſtatim ipſe dicebat ſententias, quæ interponi argumentis quàm maximè declamatis Marulli poſſent. Solebat autem & hoc genere exercitationis uti, ut aliquo die nihil præter 13. *Epicheremata* ſcriberet, aliquo die nil præter 14. *Enthymemata*, aliquo die nil præter has translatitias, quas propriè ſententias dicimus, quæ nihil habent cum ipſa controverſia implicitum, ſed ſatìs aptè & aliò transferuntur: tanquam quæ de fortuna, de crudelitate, de ſeculo, de deliciis dicuntur. Hoc genus ſententiarum ſupellectilem vocabat. Solebat 15. ſchema quoque per ſe, quæcunque controverſia reciperet, ſcribere. Et putant illum homines hâc virtute caruiſſe: cùm ingenium quidem ejus hac dote abundaverit, judicium autem ejus fuerit ſtrictius. Non placebat illi orationem inflectere, nec unquam rectâ viâ diſcedere: niſi cùm hoc aut neceſſitas coëgiſſet, aut magna ſuaſiſſet utilitas. Schemata negabat decoris causâ inventa, ſed ſubſidii: ut quod palam aures offenſurum eſſet, ſi palam diceret, id obliquè & furtim ſurreperet. Summam quidem eſſe dementiam, detorquere orationem, cui rectam eſſe liceret. Sed jam ſuſtineo vos morari. 16. Scio quàm ſit odioſa res Circenſibus pompa. Ab ea autem controverſia incipiam, quam primam declamâſſe Latronem meum memini admodùm juvenem, in Maxilli ſchola, cùm jam cœpiſſet 17. diem dicere.

INDEX.

13. *Epicheremata*) Quintilianus *aggreſſiones* vel *conatus* vocat, ab ἐπιχειρέομαι, quia aggredimur his aliquid probare.

14. *Enthymemata*) ab ἐνθυμέομαι, *cogito*, dicuntur cogitata vel animo concepta.

15. *Schema*) Græcis σχῆμα, latinis figura vel habitus, oratoribus figuræ ſunt.

16. *Scio quàm*) Cùm res exſpectatur, odioſi ſunt longi apparatus. Erant autem Circenſes ludi equeſtres Romæ, quibus equites decurrebant. Antè verò, quàm committeretur, præcedebat pompa, hoc eſt præmiſſio equorum (ἀπὸ τοῦ πέμπειν) qui in conſpectu populi ducebantur otioſi, ut viderentur à ſpectatoribus.

17. *Dicere diem*) eſt polliceri certam diem, quâ dicturus erat.

INDEX,

Qui multiplex litterarum Ciceronianarum genus indicat.

Accusatoriæ, Lib. II. Epist. 10.

Admonitoriæ, IV. 15. VII. 7. XI. 20. 26. XII. 19. XIV. 10. 12. 14. 18. 20. 21.

Apologeticæ, III. 7. 8.

Commendatitiæ, I. 3. II. 6. 8. 14. III. 1. V. 5. VI. 9. VII. 5. 21. VIII. 6. IX. 13. 15. X. 17. XI. 29 XII. 6. 12. 21. 24. 26. 27. 29. XIII. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. &c. usque ad 67. 69. 70. 71. 72. 74. 75. 77. 78. 79.

Condictitiæ, IX. 29.

Consolatoriæ, I. 6. II 2. III. 3. 5. 13. V. 16. 17. 18. VI. 1. 2. 3. 4. 5. 10 12. 21. 22. IX. 6.

Deliberativæ, II. 16. IV. 1. 2. V. 19. IX. 3. 7. XI. 1. 9. XIV. 24.

Excusatoriæ, I. 1. II. 1. 7. 16. III. 8. V. 2 17. VI. 2. 7. 11. VIII. 1. 5. IX. 26. X. 2. 8, 29. 31. 35. XV. 3. 5. 13. 15.

Gratulabundæ, II. 5. 7. 9. 10. III. 9. 12. VI. 12. 13. 16. VII. 15. 17. VIII. 12. IX. 12. XII. 13. 16. XIII 73. XV. 5. 7. 8. 9. 10, XVI. 16. 21,

Hortativæ, II. 1. 4. 8. 12. IV. 8. 9. 10. V. 21. VI. 12. 14, VII. 6. 17. IX. 14. X. 1. 3. 5. 10. 12. 13. 14. 16. 19. 20. XI. 5. 7, 15. 23. 25 XII. 1. 6. 7 8. 9. 10. 11. 22. 23. 24. 25. XIII. 68. XIV. 8. XV. 1. XVI. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 14. 15. 17. 23. 25. 26.

Jocosæ, I. 10. VII. 10. 12. 13 14. 16. 18. 30. 32. IX. 4. 15. 16. 18. 19. 20. 22. 25. XII. 20. XV. 16. 18.

Laudatoriæ, VII. 18. IX. 14. XII. 5.

Monitoriæ, VI. 21. VII. 6. 9. 10. VIII. 5. 9. IX. 12. 17. 24. XII. 28. XIV. 23. XVI. 11. 12. 13.

Nuntiæ, I. 2. 5. 7. IV. 12. V. 6. VI. 9. VII. 1. 26. VIII. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 14. 15. IX. 6. 16. X. 15. 16. 17. 18. 21. 23. 24. 28. XI. 8. 11.

Objurgatoriæ, II. 7. 8. V. 5. VII. 8. X. 27. XI. 18.

Officiosæ, II, 11. III. 2. 3. 9. V. 4. 19. 12. VI. 7. 17. VI . 29. VIII. 3. IX. 8. X. 21. 24. XI. 2. 4. XIII. 12. 57. 73. 76. 77. XV. 4. 7. 8. 10. 12. 13. 20.

Præceptoriæ, VII. 19.

Purgatoriæ, III. 10. 12. V. 20. VII. 3. XI. 27. 28. XII. 18. 29. 30. XV. 17.

Queribundæ, VIII. 13. XI. 10.

10. 12. XII. 2. 3. 4. 8. XIV. 1. 6.

Suasoriae, II. 18. IV. 7. 8. 9. V. 19. VI. 8. 23. VII. 11. VIII. 16. IX. 2. 9.

Variae, XII. 17. XIV. 2. 3. 4. 5. 6. XV. 14. XVI. 18. 22. 24.

Ad benevolentiam significandam, III. 1. 4. VI. 18.

Ad beneficium commemorandum, III. 5.

Ad confirmandum, VI. 6. 10. 14. 17.

Ad confutandum, III. 7. IX. 21.

Ad defendendum, I. 9. V. 2. VI. 3. IX. 5.

Ad deplorandam calamitatem, IV. 1. 13. VII. 28. 30. IX. 11. X. 1. 33.

Ad dissuadendum, II. 3. V. 14. VI. 20. VII. 20. X. 6. 25.

Ad expostulandum, II. 17. III. 6. V. 1. 7. VII. 24. VIII. 17. X. 28. XI. 3.

Ad gratias agendas, XIII. 28. 41. 54 62. 64. XV. 11. XVI. 16.

Ad gratum animum testificandum, III. 13. VII. 29. X. 11.

Ad invitandum, VII. 31. IX. 1.

Ad narrandum, I. 1. 4. 8. 9. II. 1. 10. IV. 4. X. 30. 32. XII. 13. 15. 22. 23. 24. 25. 30. XIV. 7. 11. 15. XV. 1. 2. 3. 4. 17. XVI. 9. 10. 11.

Ad reprehendendum, XII. 28. XVI. 17. 26.

Ad respondendum, II. 17. XV. 19. XVI. 21. 27.

Ad respondendum accusationi, VII. 27.

Ad respondendum commendationi, V. 11. IX. 24. XI. 6.

Ad respondendum consolationi, IV. 6. V. 13. 15.

Ad respondendum excusationi, XV. 6.

Ad respondendum gratulationi, IV. 14. VII. 2. XV. 6.

Ad respondendum hortationi, IV. 11. X. 4. 7. XI. 24.

Ad respondendum monitioni, II. 13. VI. 25. XI. 21.

Ad respondendum nuntiae, II. 15. XI. 14.

Ad respondendum petitioni, V. 10. X. 22.

LOCI ILLUSTRIORES
EX
CICERONE, CURTIO,
ALIISQUE OPTIMÆ NOTÆ SCRIPTORIBUS SELECTI.

PRAEFATIO.

INstitutam in secunda Grammatices rationem circa selectos Auctorum loco in suprema etiam Grammatices persequor; in præcipuis enim optimorum Auctorum scriptis, Philosophicis præcipuè Ciceronis libris huic Classi accommodatis, etsi præclara omnia sint; multa tamen occurrunt hujusmodi, quæ adolescentum aciem fugiant, eorúmque captum, quia veteris Philosophiæ ignoratione laborant, sæpe cum fastidio excedant. Quare cùm hac in classe neutiquam id agatur, ut discipuli cohærentium argumentorum vim ritè intelligant, aut prolixa Auctorum commentaria ex ordine sibi repræsentent; quin potiùs, ac unicè, ut ad omnem Latini sermonis elegantiam probè excolantur; sufficiat illa ex Auctoribus delibare, quæ & à discipulis, ubi explicantur, audiantur cum gustu, & ad pervidendam purissimæ Latinitatis indolem magìs facere videantur. Primò itaque selectos locos è Philosophicis CICERONIS libris, tum ex Q. CURTIO RUFO, cujus lectio huic classi maximè commendatur, denique ex aliis elegantiorum Auctorum scriptis adjungo, quibus,

bus, ſi quid ex ſeculi vitio labis adhæſerit, notari facilè & emendari poterit. Stilus quippe ſemper ad aureæ ætatis ſcriptores exigendus eſt.

EX M. TULLIO CICERONE L. II. DE NATURA DEORUM.

DEUS ex operibus naturæ cognoſcendus.

C. 37. Præclarè Ariſtoteles, ſi eſſent, inquit, qui ſub terra ſemper habitaviſſent, bonis & illuſtribus domiciliis, quæ eſſent ornata ſignis atque picturis, inſtructáque rebus iis omnibus, quibus abundant ii, qui beati putantur, nec tamen exîſſent unquam ſupra terram: accepiſſent autem famâ & auditione eſſe quoddam Numen, & vim *DEI*: deinde aliquo tempore, patefactis terræ faucibus, ex illis abditis ſedibus evadere in hæc loca, quæ nos incolimus, atque exire potuiſſent: cùm repentè terram, & mària, cœlúmque vidiſſent: nubium magnitudinem, ventorúmque vim cognoviſſent, adſpexiſſéntque ſolem, ejúſque tum magnitudinem pulchritudinémque, tum etiam efficientiam cognoviſſent, quòd is diem efficeret, toto cœlo luce diffuſâ: cùm autem terras nox opacâſſet, tum cœlum totum cernerent aſtris diſtinctum & ornatum, lunæque luminum varietatem, tum creſcentis, tum ſeneſcentis, eorúmque omnium ortus & occaſus, atque in omni æternitate ratos, immutabiléſque curſus: hæc cùm viderent, profectò & eſſe *DEUM*, & hæc tanta opera *DEI* eſſe arbitrarentur.

C. 38. Atque hæc quidem ille. Nos autem tenebras cogitemus tantas, quantæ quondam eruptione Aetnæorum ignium finitimas regiones obſcuraviſſe dicuntur, ut per biduum nemo hominem homo agnoſceret: cùm autem tertio die ſol illuxiſſet, tum ut revixiſſe ſibi viderentur. Quòd ſi hoc idem ex æternis tenebris contingeret, ut ſubitò lumen adſpiceremus: quænam ſpecies cœli videretur? Sed aſſiduitate quotidianâ, & conſuetudine oculorum, aſſueſcunt animi: neque admirantur, neque requirunt rationes earum rerum, quas ſemper vident: proinde quaſi novitas nos magìs, quàm magnitudo rerum debeat ad exquirendas cauſas excitare.

Quis enim hunc hominem dixerit, qui cùm tam certos cœli motus, tam raros aſtrorum ordines, támque omnia inter ſe con-

connexa & apta viderit, neget in his ullam inesse rationem, eáque casu fieri dicat, quæ quanto consilio gerantur, nullo consilio assequi possumus? an cum machinatione quâdam moveri aliquid videmus, ùt sphæram, ùt horas, ùt alia permulta? non dubitamus, quin illa opera sint rationis: cùm autem impetum cœli admirabili cum celeritate moveri vertíque videamus, constantissimè conficientem vicissitudines anniversarias, cum summa salute, & conservatione rerum omnium: dubitamus, quin ea non solùm ratione fiant, sed etiam excellenti quadam divinâque ratione? Licet enim jam, remotâ subtilitate disputandi, oculis quodammodò contemplari pulchritudinem rerum earum, quas divinâ providentiâ dicimus constitutas.

Ac principio terra universa cernatur, locata in media mundi sede, solida, & globosa, & undique ipsa in sese nutibus suis conglobata, vestita floribus, herbis, arboribus, frugibus: quorum omnium incredibilis multitudo insatiabili varietate distinguitur. Adde huc fontium gelidas perennitates, liquorésque perlucidos amnium, riparum vestitus viridissimos, speluncarum concavas altitudines, saxorum asperitates, impendentium montium altitudines, immensitatésque camporum: adde etiam reconditas auri, argentíque venas, infinitámque vim marmoris. Quæ verò & quàm varia bestiarum, vel cicurum, vel ferarum? qui volucrum lapsus atque cantus? qui pecudum pastus? quæ vita sylvestrium? Quid jàm de hominum genere dicam? qui quasi cultores terræ constituti, non patiuntur eam nec immanitate belluarum efferari, nec stirpium asperitate vastari: quorúmque operibus agri, insulæ, litoráque collucent, distincta tectis & urbibus. Quæ si ùt animis, sic oculis videre possemus, nemo cunctam intuens terram, de divina ratione dubitaret.

At verò quanta maris est pulchritudo? quæ species universi? quæ multitudo, & varietas insularum? quæ amœnitates orarum & litorum? quot genera, quámque disparia partim submersarum, partim fluitantium, & innantium belluarum, partim ad saxa nativis testis inhærentium? ipsum autem mare sic terram appetens littoribus alludit, ut una ex duabus naturis conflata videatur.

Exinde mari finitimus aër die & nocte distinguitur: ísque tum fusus, & extenuatus sublimè fertur: tum autem concretus,

tus, in nubes cogitur: humorémque colligens terram auget imbribus: tum effluens huc & illuc, ventos efficit. Idem annuas frigorum, & calorum facit varietates: idémque & volatus alitum sustinet, & spiritu ductus alit, & sustentat animantes.

Providentia DEI circa stirpes, muta animantia. ibid.

C. 47. Age, ut à coelestibus rebus ad terrestres veniamus: quid est in his, in quo non naturæ ratio intelligentis appareat? principio, eorum, quæ gignuntur è terra, stirpes, & stabilitatem dant iis, quæ sustinent, & ex terrâ succum trahunt, quo alantur ea, quæ radicibus continentur: obducuntúrque libro, aut cortice trunci, quo sint à frigoribus & caloribus tutiores. Jam verò vites sic claviculis adminicula, tanquam manibus, apprehendunt, atque se ita erigunt, ùt animantes. Quin etiam à caulibus, brassicísque, si propè sati sunt, ùt à pestiferis & nocentibus refugere dicuntur, nec eos ulla ex parte contingere.

Animantium verò quanta varietas est? quanta ad eam rem vis, ut in suo quæque genere permaneant? Quarum aliæ coriis tectæ sunt, aliæ villis vestitæ, aliæ spinis hirsutæ: plumâ alias, alias squammâ videmus obductas: alias esse cornibus armatas; alias habere effugia pennarum. Pastum autem animantibus largè & copiosè natura eum, qui cuique aptus est, comparavit. Enumerare possum ad eum pastum capessendum, conficiendúmque, quæ sit in figuris animantium, & quàm solers, subtilísque descriptio partium, quámque admirabilis fabrica membrorum. Omnia enim, quæ quidem intus inclusa sunt, ita nata, atque ita locata sunt, ut nihil eorum supervacaneum sit, nihil ad vitam retinendam non necessarium. Dedit autem eadem natura belluis & sensum & appetitum; ut altero conatum haberent ad naturales pastus capessendos, altero secernerent pestifera à salutaribus. Jam verò alia animalia gradiendo, alia serpendo ad pastum accedunt, alia volando, alia nando: cibúmque partim oris hiatu, & dentibus ipsis capessunt, partim unguium tenacitate arripiunt, partim aduncitate rostrorum: alia carpunt, alia vorant, alia mandunt. Atque etiam aliorum ea est humilitas, ut cibum terrestrem rostris facilè contingant,

Quæ autem altiora ſunt, ùt anſeres, ùt cygni, ùt grues, ùt cameli; adjuvantur proceritate collorum. 1. Manus etiam data elephantis, quia propter magnitudinem corporis difficiles aditus habebant ad paſtum.

C. 48. At quibus beſtiis erat is cibus, ut alîus generis beſtiis veſcerentur, aut vires natura dedit aut celeritatem. Data eſt quibusdam etiam machinatio quædam atque ſolertia; ùt in araneolis, aliæ quaſi rete texunt, ut ſi quid inhæſerit, conficiant: aliæ autem ùt ex inopinato obſervant, & ſi quid incidit, arripiunt, ídque conſumunt. 2. Pinna verò (ſic enim Græcè dicitur) duabus grandibus patula conchis, cum parva 3. ſquilla quaſi ſocietatem coit comparandi cibi. Itaque cùm piſciculi parvi in concham hiantem innataverint, tum admonita à ſquillâ pinna morſu comprimit conchas. Sic diſſimillimis beſtiolis communiter cibus quæritur.

Providentia DEI in opportunitatibus quibusdam naturalibus. Ibid.

C. 52. Magnæ etiam opportunitates ad cultum hominum atque abundantiam, aliæ aliis in locis reperiuntur. Aegyptum Nilus irrigat, &, cùm totâ æſtate obrutam, oppletámque tenuit, tum recedit, mollitósque & oblimatos agros ad ſerendum relinquit. Meſopotamiam fertilem efficit Euphrates; in quam quot annis quaſi novos agros invehit. Indus verò, qui eſt omnium fluminum maximus, non aquâ ſolùm agros lætificat, & mitigat; ſed eos etiam conſerit: magnam enim vim ſeminum ſecum frumenti ſimilium dicitur deportare. Multáque alia in aliis commemorabilia proferre poſſum: multos fertiles agros, alios aliorum fructuum.

C. 54. Sed illa quanta benignitas naturæ, quòd tam multa ad veſcendum, tam varia, támque jucunda gignit? neque ea uno tempore anni: ut ſemper & novitate delectemur & copiâ. Quàm tempeſtivos autem dedit, quàm ſalutares non modò hominum, ſed etiam pecudum generi, iis denique omnibus, quæ oriun-

1. *Manus*) proboſcis dicta à πρὸ & βόσκω.

2. *Pinna*, (πίννα) conchæ genus, naſcitur in limoſis, nec unquam ſine comite.

3. *Squilla*, comes pinnæ, quem alii pinnoterem, alii pinnophylacem vocant.

oriuntur è terra, ventos Etesias? quorum flatu nimii temperantur calores: ab iisdem etiam maritimi cursus celeres, & certi diriguntur. Multa prætereunda sunt, & tamen multa dicuntur. Enumerari enim non possunt fluminum opportunitates: æstus maritimi, tum accedentes, tum recedentes: montes vestiti atque silvestres: salinæ ab ora maritima remotissimæ: medicamentorum salutarium plenissimæ terræ: artes denique innumerabiles, ad victum & ad vitam necessariæ. Jam diei noctísque vicissitudo conservat animantes, tribuens aliud agendi tempus, aliud quiescendi. Sic undique omni ratione concluditur, mente consilióque divino omnia in hoc mundo ad salutem omnium conservationémque admirabiliter administrari.

Quinque sensus hominum. Ibidem.

C. 56. Ad hanc providentiam naturæ tam diligentem, támque solertem adjungi multa possunt, è quibus intelligatur, quantæ res hominibus à DEO, quámque eximiæ tributæ sint: qui primùm eos humo excitatos, celsos, & erectos constituit, ut *DEI* cognitionem, cœlum intuentes capere possent. Sunt enim è terrâ homines non ùt incolæ atque habitatores, sed quasi spectatores superarum rerum atque cœlestium, quarum spectaculum ad nullum aliud genus animantium pertinet. Sensus autem interpretes ac nuntii rerum, in capite, tanquam in arce, mirificè ad usus necessarios & facti, & collocati sunt. Nam oculi tanquam speculatores, altissimum locum obtinent: ex quo plurima conspicientes fungantur suo munere. Et aures, cùm sonum percipere debeant, qui naturâ in sublime fertur; rectè in altis corporis partibus collocatæ sunt. Itémque nares, eoquòd omnis odor ad supera fertur, rectè sursum sunt: & quòd cibi & potionis judicium magnum earum est, non sine causa vicinitatem oris secutæ sunt. Jam gustatus, qui sentire eorum, quibus vescimur, genera deberet, habitat in eâ parte oris, quâ esculentis & potulentis iter natura patefecit. Tactus autem toto corpore æquabiliter fusus est, ut omnes ictus, omnésque nimios & frigoris & caloris appulsus sentire possimus. Atque, ùt in ædificiis Architecti avertunt ab oculis & naribus dominorum ea, quæ profluentia necessariò tetri essent aliquid habitura: sic natura res similes procul amandavit à sensibus.

C. 57. Quis verò opifex, præter naturam, quâ nihil potest

test esse callidius, tantam solertiam persequi potuisset in sensibus? quæ primùm oculos membranis tenuissimis vestivit, & sepsit: quas primùm perlucidas fecit, ut per eas cerni posset; firmas autem, ut continerentur. Sed lubricos oculos fecit & mobiles, ut & declinarent, si quid noceret: & aspectum quò vellent, facilè converterent. Aciésque ipsa, quâ cernimus, quæ pupula vocatur, ita parva est, ut ea, quæ nocere possint, facilè vitet. Palpebræque, quæ sunt tegmenta oculorum, mollissimæ tactu, ne læderent aciem, aptissimè factæ, & ad claudendas pupulas, ne quid incideret, & ad aperiendas: ídque providit, ut identidem fieri posset cum maximâ celeritate. Munitæque sunt palpebræ tanquam vallo pilorum, quibus & apertis oculis, si quid incideret, repelleretur; & somno conniventibus; cùm oculis ad cernendum non egeremus, ut qui, tanquam involuti, quiescerent. Latent præterea utiliter, & excelsis undique partibus sepiuntur. Primùm enim superiora, superciliis obducta, sudorem à capite, & à fronte defluentem repellunt. Genæ deinque ab inferiore parte tutantur subjectæ, levitérque eminentes. Nasus ita locatus est, ut quasi murus oculis interjectus esse videatur,

Auditus autem semper patet: ejus enim sensu etiam dormientes egemus: à quo cùm sonus est acceptus, etiam è somno excitamur. Flexuosum iter habet, ne quid intrare possit, si simplex & directum pateret. Provisum etiam, ut, siqua minima bestiola conaretur irrumpere, in sordibus aurium, tanquam in visco, inhæresceret, Extrà autem eminent, quæ appellantur aures, & tegendi causâ factæ, tutandíque sensûs; & ne adjectæ voces laberentur, atque errarent, priùsquàm sensus ab his pulsus esset. Sed duros, & quasi corneolos habent introitus, multísque cum flexibus, quòd his 1. naturis relatus amplificatur sonus. Quocirca & in fidibus testudine resonatur, aut cornu: & ex tortuosis locis & inclusis referuntur ampliores. Similiter nares, quæ semper propter necessarias utilitates patent, contractiores habent introitus, ne quid in eas, quod noceat, possit pervadere: humorémque semper habent ad pulverem, multáque alia depellenda non inutilem. Gustatus præclarè septus est: ore enim continetur, & ad usum aptè, & ad incolumitatis custodiam.

C. 58.

1. *His naturis*) hoc est, naturalibus qualitatibus; duritie scilicet, qualis est in corneolo introitu, & flexuosâ obliquitate.

C. 58. Primùm enim oculi in iis artibus, quarum judicium est oculorum, in pictis, fictis, cælatísque formis, in corporum etiam motione, atque gestu multa cernunt subtiliùs. Colorum etiam, & figurarum venustatem, atque ordinem, &, ut ita dicam, decentiam oculi judicant; atque etiam alia majora. Nam & virtutes & vitia cognoscunt: iratum, propitium: lætantem, dolentem: fortem, ignavum: audacem, timidúmque cognoscunt. Aurium item est admirabile quoddam, artificiosúmque judicium; quo judicatur & in vocis, & in tibiarum, nervorúmque cantibus varietas sonorum, intervalla, distinctio, & vocis genera permulta: canorum, fuscum: læve, asperum: grave, acutum: flexibile, durum: quæ hominum solùm auribus judicantur. Nariúmque item, & gustandi pariter & tangendi magna judicia sunt. Ad quos sensus capiendos, & perfruendos plures etiam, quàm vellem, artes repertæ sunt. Perspicuum est enim, quò compositiones unguentorum, quò ciborum conditiones, quò corporum lenocinia processerint.

Eloquentiæ vis. Dignitas hominis. Ibidem.

C. 59. Jam verò animum ipsum, mentémque hominis, rationem, consilium, prudentiam, qui non divinâ curâ perfecta esse perspicit, is ipsis rebus mihi videtur carere. De quo cùm disputarem, tuam mihi dari velim, Cotta, eloquentiam. Quo enim tu illa modo diceres? quanta primùm intelligentia, deinde consequentium rerum cum primis conjunctio, & comprehensio esset in nobis: ex quo videlicet, quid ex quibusque rebus efficiatur, idque ratione concludimus: singulásque res definimus, circumscriptéque complectimur: ex quo scientia intelligitur quam vim habeat, qualis sit: quâ ne in DEO quidem est res ulla præstantior. Quanta verò illa sunt, quæ vos Academici infirmatis & tollitis, quòd & sensibus, & animo ea, quæ extra sunt, percipimus, atque comprehendimus! Ex quibus collatis inter se & comparatis, artes quoque efficimus partim ad usum vitæ, partim ad oblectationem necessarias. Jam verò domina rerum (ùt vos soletis dicere) eloquendi vis, quàm est præclara, quámque divina! quæ primùm efficit, ut ea, quæ ignoramus, discere, & ea, quæ scimus, alios docere possimus. Deinde hâc cohortamur, hâc persuademus, hâc consolamur afflictos, hâc deducimus perterritos à timore, hâc gestientes comprimimus, hâc cupidita-

tes, iracundiásque restinguimus. Hæc nos juris, legum, urbium societate devinxit: hæc à vita immani & fera segregavit.

Ad usum autem orationis incredibile est, nisi diligenter attenderis, quanta opera machinata natura sit. Primùm enim à pulmonibus arteria usque ad os intimum pertinet: per quam vox, principium à mente ducens, percipitur & funditur. Deinde in ore sita lingua est, finita dentibus. Ea vocem immoderatè profusam, fingit & terminat: quæ sonos vocis distinctos & 1. pressos efficit, cùm & ad dentes, & ad alias partes pellit oris. Itaque plectri similem linguam 2. nostri solent dicere: chordarum dentes, nares cornibus iis, qui ad nervos resonant in cantibus.

Voluptas non est finis bonorum.

L. II. de Finibus.

C. 34. Nos, siquidem in voluptate sint omnia, longè multúmque superamur à bestiis: quibus ipsa terra fundit ex sese pastus varios, variéque abundantes, nihil laborantibus: nobis autem aut vix, aut ne vix quidem, suppetunt multo labore quærentibus. Nec tamen ullo modo summum pecudis bonum & hominis idem mihi videri potest. Quid enim tanto opus est instrumento in optimis artibus comparandis? quid tanto concursu honestissimorum studiorum? tanto virtutum comitatu, si ea nullam ad aliam rem nisi ad voluptatem conquiruntur? Ut, si Xerxes cum tantis classibus, tantísque equestribus & pedestribus copiis, Hellesponto juncto, Athone perfosso, maria ambulavisset, terrámque navigâsset, si cum tanto impetu in Græciam venisset, causam ejus quis ex eo quæreret tantarum copiarum, tantíque belli, mel se auferre ex Hymetto voluisse diceret, certè sine causa videretur tanta conatus: sic nos sapientem plurimis & gravissimis artibus atque virtutibus instructum & ornatum, non, ùt illum, maria pedibus peragrantem, classibus montes; sed omne cœlum totámque cum universo mari terram mente complexum, voluptatem petere si dicemus, mellis causâ dicemus tanta molitum.

Ad

1. *Pressos*) non vagos, ac sparsos. 2. *Nostri*) Stoici.

Ad altiora quædam, & magnificentiora, mihi crede, Torquate, nati ſumus: nec id ex animi ſolùm partibus, in quibus ineſt memoria rerum innumerabilium, & ea quidem infinita; ineſt conjectura conſequentium, non multùm à divinatione differens; ineſt moderator cupiditatis pudor; ineſt ad humanam ſocietatem juſtitiæ fida cuſtodia; ineſt in perpetiendis laboribus adeundíſque periculis firma & ſtabilis doloris mortíſque contemptio. Ergo hæc in animis. Tu autem etiam membra ipſa ſenſúſque conſidera: qui tibi, ùt reliquæ corporis partes, non comites ſolùm virtutum, ſed miniſtri etiam videbuntur. Quid, ſi in ipſo corpore multa voluptati præponenda ſunt, ùt vires, valetudo, velocitas, pulchritudo? Quid tandem in animis cenſes? in quibus doctiſſimi illi veteres ineſſe quiddam cœleſte & divinum putaverunt.

Sciendi cupiditas hominibus naturalis.

L. V. de Finibus.

C. 18. Tantus eſt innatus in nobis cognitionis amor & ſcientiæ, ut nemo dubitare poſſit, quin ad eas res hominum natura nullo emolumento invitata rapiatur. Videmúſne, ùt pueri ne verberibus quidem à contemplandis rebus perquirendíſque deterreantur? ùt pulſi requirant, & aliquid ſcire ſe gaudeant? ùt aliis narrare geſtiant? ùt pompâ, ludis, atque ejusmodi ſpectaculis teneantur, ob eámque rem vel famem vel ſitim perferant? Quid verò? qui ingenii ſtudiis atque artibus delectantur, nonne videmus eos nec valetudinis, nec rei familiaris habere rationem? omniáque perpeti, ipſâ cognitione & ſcientiâ captos? & cum maximis curis & laboribus compenſare eam, quam ex diſcendo capiant, voluptatem?

Mihi quidem Homerus hujusmodi quiddam vidiſſe videtur in iis, quæ de ſirenum cantibus finxerit. Neque enim vocum ſuavitate videntur, aut novitate quâdam, & varietate cantandi revocare eos ſolitæ, qui prætervehebantur, ſed quia multa ſe ſcire profitebantur; ut homines ad earum ſaxa diſcendi cupiditate adhæreſcerent. Ita enim invitant Ulyſſem: (nam verti, ùt quædam Homeri, ſic iſtum ipſum locum.)

O decus Argolicum, quin puppim flectis Ulysses,
Auribus ut nostros possis agnoscere cantus.
Nam nemo hæc unquam est transvectus cærula cursu,
Quin prius adstiterit vocum dulcedine captus;
Post variis avido satiatus pectore Musis,
Doctior ad patrias lapsus pervenerit oras.
Nos grave certamen belli, cladémque tenemus,
Græcia quam Trojæ divino numine vexit;
Omniáque è latis rerum vestigia terris.

Vidit Homerus, probari fabulam non posse, si cantiunculis tantus vir irretitus teneretur. Scientiam pollicentur: quam non erat mirum sapientiæ cupido patriâ esse chariorem. Atque omnia quidem scire, cujuscunque modi sunt, cupere, curiosorum: duci verò majorum rerum contemplatione ad cupiditatem scientiæ, summorum virorum est putandum.

Actionem naturâ appetunt homines. Ibidem.

C. 20. Videmus, ùt conquiescere ne infantes quidem possint: cùm verò paulùm processerint, lusionibus vel laboriosis delectantur, ut ne verberibus quidem deterreri possint. Eáque cupiditas agendi aliquid adolescit unà cum ætatibus. Itaque, ne si jucundissimis quidem nos somniis usuros putemus, Endymionis somnum nobis velimus dari: ídque si accidat, mortis instar putemus.

Quin etiam inertissimos homines, nescio quâ singulari nequitiâ præditos, videmus tamen & animo & corpore moveri semper, &, cùm re nullâ impediantur necessariâ, aut alveolum poscere, aut quærere quempiam ludum, aut sermonem aliquem requirere: cúmque non habeant ingenuas ex doctrinâ oblectationes, circulos aliquos & semicirculos consectari. Ne bestiæ quidem, quas delectationis causâ concludimus, cùm copiosiùs alantur, quàm si essent liberæ, facilè patiuntur sese contineri; motúsque solutos & vagos, à naturâ sibi tributos, requirunt.

Itaque, ùt quisque optimè natus institutúsque est, esse omnino nolit in vitâ, si gerendis negotiis orbatus possit paratissimis vesci voluptatibus. Nam aut privatim aliquid gerere malunt: aut qui altiore animo sunt, capessunt rempublicam hono-

honoribus, imperiisque adipiſcendis, aut totos ſe ad ſtudia doctrinæ conferunt. Quâ in vitâ, tantum abeſt, ut voluptates conſectentur, etiam curas, ſollicitudines, vigilias perferunt: optimâque parte hominis, quæ in nobis divina ducenda eſt, ingenii & mentis acie fruuntur, nec voluptatem requirentes, nec fugientes laborem. Nec verò intermittunt aut admirationem earum rerum, quæ ſunt ab antiquis repertæ, aut inveſtigationem novarum: quo ſtudio cùm ſatiari non poſſunt, omnium ceterarum rerum obliti, nihil abjectum, nihil humile cogitant: tantáque eſt vis talibus in ſtudiis, ut eos etiam, qui ſibi alios propoſuerunt fines bonorum, quos utilitate aut voluptate dirigunt, tamen in rebus quærendis, explicandíſque naturis ætates conterere videamus.

EX Q. CURTIO RUFO.

Marſiæ amnis florida deſcriptio. L. III.

Inter hæc Alexander ad conducendum ex Peloponneſo militem Cleandro cum pecunia miſſo, Lyciæ, Pamphiliaéque rebus compoſitis, ad urbem Celenas exercitum admovit. Media illâ tempeſtate mœnia interfluebat Marſias amnis, fabuloſis Græcorum carminibus inclytus. Fons ejus ex ſummo montis cacumine excurrens, in ſubjectam petram magno ſtrepitu aquarum cadit: inde diffuſus circumjectos rigat campos, liquidus, & ſuas duntaxat undas trahens. Itaque color ejus placido mari ſimilis, locum poëtarum mendacio fecit: quippe traditum eſt, Nymphas amore amnis retentas, in illâ rupe conſidere. Ceterùm quamdiu intra muros fluit, nomen ſuum retinet. At cùm extra munimenta ſe evolvit, majore vi, ac mole agentem undas, Lycum appellant.

Gordii nodi amœna narratiuncula. Ibidem.

Alexander, urbe in ſuam ditionem redactâ (*Gordium nomen eſt urbi*) Jovis templum intrat: currum, quo Gordium Midæ Patrem vectum eſſe conſtabat, adſpexit, cultu haud ſanè à vilioribus vulgatíſque uſu abhorrens. Notabile erat vinculum adſtrictum compluribus nodis in ſemetipſos implicatis, & celantibus nexus. Incolis deinde affirmantibus editam eſſe oraculo ſortem, Aſiæ potiturum, qui inexplicabile vinculum

culum solvisset: cupido incessit animo sortis ejus explendæ. Circa regem erat & Phrygum turba & Macedonum, illa explicatione suspensa, hæc sollicita ex temeraria regis fiducia: quippe series vinculorum erat ita adstricta, ut, unde nexus inciperet, quóve se conderet, nec ratione nec visu percipi posset; solvere aggressus injecerat curam, ne in omen verteretur irritum inceptum. Ille nequicquam diu luctatus cum latentibus nodis, *Nihil*, inquit, *intereft, quomodo folvatur*: gladióque ruptis omnibus loris, oraculi sortem vel elusit, vel implevit.

Vitæ periculum Alexandri in amne Cydno. Ibidem.

Mediam (*Ciliciam*) Cydnus amnis . . . interfluit: & tunc æstas erat, cujus calor non aliam magìs, quàm Ciliciæ oram vapore solis accendit, & diei fervidissimum tempus cœperat. Pulvere ac sudore simul perfusum regem invitavit liquor fluminis, ut calidum adhuc corpus ablueret. Itaque veste depositâ, in conspectu agminis (decorum quoque futurum ratus, si ostendisset suis, levi ac parabili cultu corporis se esse contentum) descendit in flumen, víxque ingressi subito horrore artus rigere cœperunt: pallor deinde suffusus est, & totum propemodùm corpus vitalis calor liquit. Exspiranti similem ministri manum excipiunt, nec satìs compotem mentis in tabernaculum deferunt. Ingens sollicitudo, ac penè jam luctus in castris erat. *Flentes querebantur, in tanto impetu, curfúque rerum, omnis ætatis ac memoriæ clariffimum regem non in acie faltem, non ab hofte dejectum, fed abluentem aquâ corpus ereptum effe & extinctum: inftare Darium, victorem, antequàm vidiffet hoftem. Sibi eafdem terras, quas victores peragrâffent, repetendas: omnia aut ipfos aut hoftes populatos: per vaftas folitudines, etiamfi nemo infequi velit, euntes fame atque inopiâ debellari poffe. Quem fignum datúrum fugientibus? quem aufurum Alexandro fuccedere? Jam ut ad Hellefpontum fugâ penetrarent: claffem, quâ tranfeant, quem præparaturum?* Rursus in ipsum Regem misericordia versa, illum florem juventæ, illum vim animi, eundem regem & commilitonem divelli à se, & eripi, immemores suî querebantur. Inter hæc liberiùs meare spiritus cœperat, allevabat rex oculos, & paulatim redeunte animo, circumstantes amicos agnoverat:

laxa

laxatáque vis morbi ad hoc folùm videbatur, quia magnitudinem mali fentiebat : animum autem ægritudo corporis urgebat, quippe Darium quinto die in Ciliciam fore nuntiabatur.

Iter ad Jovis Hammonis templum. L. IV.

A Memphi eodem flumine vectus ad interiora Aegypti penetrat, compofitísque rebus, ita, ut nihil ex patrio Aegyptiorum more mutaret; adire Jovis Hammonis oraculum ftatuit. Iter expeditis quoque & paucis vix tolerabile ingrediendum erat: terrâ, cœlóque aquarum penuria eft : fteriles arenæ jacent, quas ubi vapor folis accendit, fervido folo exurente veftigia, intolerabilis æftus exiftit : luctandúmque eft non tantùm cum ardore & ficcitate regionis; fed etiam cum tenaciffimo fabulo, quod præaltum & veftigio cedens ægrè moliuntur pedes. Hæc Aegyptii vero majora jactabant. Sed ingens cupido animum ftimulabat adeundi Jovem, quem generis fui auctorem, haud contentus mortali faftigio, aut credebat effe, aut credi volebat. Ergo cum iis, quos ducere fecum ftatuerat, fecundo amne defcendit ad Mareotim paludem. Eò legati Cyrenenfium dona áttulêre : pacem, & ut adiret urbes fuas, petentes. Ille donis acceptis, amicitiáque conjunctâ, deftinata exequi pergit. Ac primo quidem, & fequenti die tolerabilis labor vifus, nondum tam vaftis, nudífque folitudinibus aditis, jam tamen fterili & emoriente terrâ. Sed ùt aperuêre fe campi, alto obruti fabulo, haud fecus, quàm profundum æquor ingreffi, terram oculis requirebant. Nulla arbor, nullum culti foli occurebat veftigium. Aqua etiam defecerat, quam utribus cameli devexerant; & in arido folo à fervido fabulo nulla erat. Adhæc fol omnia incenderat, ficcáque & adufta erant omnia; cùm repentè, five illud deorum munus five cafus fuit, obductæ cœlo nubes condidêre folem ingenti æftu fatigâtis, etiamfi aqua deficeret, auxilium. Enim verò ùt largum quoque imbrem excuffêrunt procellæ; pro fe quifque excipere eum : quidam ob fitim impotentes fuî ore quoque hiante captare cœperunt. Quatriduum per vaftas folitudines abfumptum eft. Jámque haud procul oraculi fede aberant, cùm complures corvi agmini occurrunt, modico volatu prima figna antecedentes : & modò

modò humi residebant, cùm lentius agmen incederet, modò se pennis levabant, antecedentium, itérque monstrantium ritu. Tandem ad sedem consecratam deo ventum est. Incredibile dictu, inter vastas solitudines, ita undique ambientibus ramis, vix in densam umbram cadente sole, contecta est: multíque fontes dulcibus aquis passim manantibus alunt silvas. Cœli quoque mira temperies, verno tempori maximè similis, omnes anni partes pari salubritate percurrit.

Acceptum ibi ad adulatore oraculum. ibidem.

Est aliud Hammonis nemus: in medio habet fontem, solis aquam vocant: sub lucis ortum tepida manat; medio die, cujus vehementissimus est calor, frigida eadem fluit: inclinato ad vesperam calescit: mediâ nocte fervida exæstuat, quóque nox propiùs vergit ad lucem, multùm ex nocturno calore decrescit, donec sub ipsum diei ortum assueto tepore languescat. Id quod pro Deo colitur, non eandem effigiem habet, quam vulgò diis artifices accommodaverunt. Umbilico tenus arieti similis est, habitus smaragdo & gemmis coagmentatus. Hunc, cùm responsum petitur, navigio aurato gestant sacerdotes, multis argenteis pateris ab utroque navigii latere pendentibus. Sequuntur matronæ, virginésque, patrio more inconditum quoddam carmen canentes, quo propitiari Jovem credunt, ut certum edat oraculum. Ac tum quidem regem propiùs adeuntem, maximus natu è sacerdotibus *filium* appellat; hoc nomen illi parentem Jovem reddere affirmans. Ille verò *& accipere se* ait, *& agnoscere*, humanæ sortis oblitus. Consuluit deinde, an totius orbis imperium fatis sibi destinaret pater; vates æquè in adulationem compositus, terrarum omnium rectorem fore ostendit. Post hæc institit quærere, an omnes parentis sui interfectores pœnas dedissent. Sacerdos parentem ejus negat ullius scelere posse violari: Philippi autem omnes interfectores luisse supplicia adjecit, invictum fore, donec excederet ad Deos. Sacrificio deinde facto, dona & sacerdotibus, & deo data sunt; permissúmque amicis, ut ipsi quoque consulerent Jovem. Nihil ampliùs quæsiverunt, quàm, an auctor esset sibi, divinis honoribus colendi suum regem? Hoc quoque acceptum fore Jovi vates respondit, ut ipsi victorem regem divino ho-

hore

nore colerent. Verè & ſalubriter æſtimanti fidem oraculi, vana profectò reſponſa videri potuiſſent. Sed fortuna, quos uni ſibi credere cogit, magnâ ex parte avidos gloriæ magis quàm capaces facit. Jovis igitur filium ſe non ſolùm appellari paſſus eſt, ſed etiam juſſit: rerúmque geſtarum famam dum augere vult, tali appellatione corrupit.

Babylonis magnifica deſcriptio. L. V.

Ceterùm ipſius urbis pulchritudo ac venuſtas non regis modò, ſed etiam omnium oculos in ſemet haud immeritò convertit. Semiramis eam condiderat, vel (ùt plerique credidêre) Belus: cujus regia oſtenditur. Murus inſtructus laterculo coctili, bitumine interlitus, ſpatium triginta & duorum pedum latitudinem amplectitur. Quadrigæ inter ſe occurrentes ſine periculo commeare dicuntur. Altitudo muri quinquaginta cubitorum eminet ſpatio: turres denis pedibus, quàm murus altiores ſunt. Totius operis ambitus trecenta, ſexaginta & octo ſtadia complectitur, ſingulorum ſtadiorum ſtructuram ſingulis diebus perfectam eſſe, memoriæ proditum eſt. Aedificia non ſunt admota muris, ſed ferè ſpatium unius jugeri abſunt. Ac ne totam quidem urbem tectis occupaverunt, per nonaginta ſtadia habitatur: nec omnia contigua ſunt: credo, quia tutius viſum eſt, pluribus locis ſpargi. Cetera ſerunt, colúntque: ut ſi externa vis ingruat, obſeſſis alimenta ex ipſius urbis ſolo ſubminiſtrent. Euphrates interfluit, magnaéque molis crepidinibus coërcetur. Sed omnium operum magnitudinem circumveniunt cavernæ ingentes in altitudinem preſſæ ad accipiendum impetum fluminis: quod ubi appoſitæ crepidinis faſtigium exceſſit, urbis tecta corriperet, niſi eſſent ſpecus, lacúſque, qui exciperent. Coctili laterculo ſtructi ſunt, totum opus bitumine adſtringitur. Pons lapideus flumini impoſitus jungit Urbem. Hic quoque inter mirabilia orientis opera numeratus eſt: quippe Euphrates altum limum vehit, quo penitus ad fundamenta jacienda egeſto, vix ſufficiendo operi firmum reperiunt ſolum. Arenæ autem ſubinde cumulatæ, & ſaxis, quibus pons ſuſtinetur, annexæ, morantur amnem: qui retentus acriùs, quàm ſi libero curſu mearet, illiditur. Arcem quoque ambitu viginti

 ſtadia

ſtadia complexa habet: triginta pedes in terram turrium fundamenta demiſſa ſunt: ad octoginta ſummum munimenti faſtigium pervenit. Super arce, vulgatum Græcorum fabulis miraculum, penſiles horti ſunt, ſummam murorum altitudinem æquantes, multarúmque arborum umbrâ & proceritate amœni. Saxeæ pilæ, quæ totum onus ſuſtinent, inſtructæ ſunt. Super pilas lapide quadrato ſolum ſtratum eſt, patiens terræ, quam altam injiciunt, & humoris, quo rigant: adeóque validas arborum ſuſtinent moles, ut ſtipites earum octo cubitorum ſpatium craſſitudine æquent, in quinquaginta pedum altitudinem emineant, & frugiferæ æquè ſunt, ac ſi terrâ ſuâ alerentur. Et cùm vetuſtas non opera ſolum manufacta, ſed etiam ipſam naturam paulatim exedendo perimat, hæc moles, quæ tot arborum radicibus premitur, tantíque nemoris pondere onerata eſt, inviolata durat: quippe viginti lati parietes ſuſtinent undecim pedum intervallo diſtantes, ut procul viſentibus ſilvæ montibus ſuis imminere videantur.

Deſcriptio præruptæ undique Sogdianorum arcis. L. VII.

Una erat petra, quam Arimazes Sogdianus cum triginta millibus armatorum obtinebat, alimentis antè congeſtis, quæ tantæ multitudini vel per biennium ſuppeterent. Petra in altitudinem triginta eminet ſtadia, circuitu centum & quinquaginta complectitur; undique abſciſsâ & abruptâ ſemitâ, per anguſta aditur. In medio altitudinis ſpatio habet ſpecum, cujus os arctum & obſcurum eſt: paulatim deinde ulteriora panduntur: ultima etiam altos receſſus habent: fontes per totum ferè ſpecum manant, è quibus collatæ, quæ per prona montis flumen emittunt. Rex loci difficultate ſpectatâ ſtatuerat inde abire. Cupido deinde inceſſit animo, naturam quoque fatigandi. Priùs tamen, quàm fortunam obſidionis experiretur, Cophen (Artabazi hic Filius erat) miſit ad barbaros, qui ſuaderet, ut dederent rupem. Arimazes loco fretus, ſuperbè multa reſpondit. Ad ultimum, *an Alexander etiam volare poſſit*, interrogat. Quæ nuntiata regi ſic accendêre animum, ut adhibitis, cum quibus conſultare erat ſolitus, indicaret

dicaret insolentiam barbari illudentis ipsos, quia pennas non haberent. Se autem proximâ nocte effecturum, ut crederet Macedones etiam volare. *Trecentos*, inquit, *pernicissimos juvenes ex suis quisque copiis perducite ad me, qui per colles, & penè invias rupes domi pecora agere consueverint.* Illi præstantes & levitate corporum, & ardore animorum strenuè adducunt, quos intuens rex:

Oratio Alexandri ad trecentos juvenes.

Ibidem.

Vobiscum, inquit, *o juvenes & mei æquales urbium invictarum ante munimenta superavi: montium juga perenni nive obruta emensus sum: angustias Ciliciæ intravi: Indiæ sine lassitudine vim frigoris sum perpessus, & mei documenta vobis dedi, & vestra habeo. Petra, quam videtis, unum aditum habet, quem Barbari obsident, cetera negligunt. Nullæ vigiliæ sunt, nisi quæ castra nostra spectant. Invenietis viam, si solerter rimati fueritis aditus ferentes ad cacumen. Nihil tam alte natura constituit, quò virtus non possit eniti. Experiendo, quæ ceteri desperaverunt, Asiam habemus in potestate. Evadite in cacumen; quod cùm ceperitis, candidis velis signum mihi dabitis: ego copiis admotis, hostem in nos à vobis convertam. Præmium erit ei, qui primus occupaverit verticem, talenta decem: uno minus accipiet, qui proximus ei venerit: eadémque ad decem homines servabitur portio. Certum habeo, vos non tam liberalitatem intueri meam, quàm voluntatem.*

Difficillimus petræ ascensus. ibidem.

His animis regem audierunt, ut jam cepisse verticem viderentur: dimisśique ferreos cuneos, quos inter saxa defigerent, validósque funes parabant. Rex circumvectos petram, quà minimè asper ac præruptus aditus videbatur secundâ vigiliâ (quod benè verteret) ingredi jubet. Illi alimentis in biduum sumptis, gladiis modò atque hastis armati, subire cœperunt. Ac primò pedibus ingressi sunt: deinde, ùt in prærupta perventum est, alii manibus eminentia saxa complexi, levavêre sémet, alii adjectis funium laqueis evasêre, cùm cuneos inter saxa defigerent, queis gradus subinde insisterent, diem inter

inter metum laborémque consumpserunt. Per aspera enisis duriora restabant, & crescere altitudo petræ videbatur. Illa verò miserabilis erat facies, cùm ii, quos instabilis gradus fefellerat, ex præcipiti devolverentur: mox eadem in se patienda alieni casûs ostendebat exemplum. Per has tamen difficultates enituntur in verticem montis, omnes fatigatione continuati laboris affecti, quidam multati parte membrorum: paritérque eos & nox & somnus oppressit. Stratis passim corporibus in inviis & in asperis saxorum, periculi instantis obliti, in lucem quieverunt: tandémque velut ex alto sopore excitati, occultas, subjectásque ipsis valles rimantes, ignari in quâ parte petræ tanta vis hostium condita esset, fumum specûs infra se ipsos evolutum notaverunt. Ex quo intellectum est, illam hostium latebram esse. Itaque hastis imposuêre quod convenerat signum; totóque è numero duos & triginta in ascensu interiisse cognoscunt. Rex non cupidine magìs potiundi loci, quàm vicem eorum, quos ad tam manifestum periculum miserat, sollicitus, toto die cacumina montis intuens restitit. Noctu demum, cùm obscuritas conspectum oculorum ademisset, ad curandum corpus recessit. Postero die nondum satìs clarâ luce, primus vela, signum capti verticis, conspexit. Sed ne falleretur acies, dubitare cogebat varietas cœli, internitente lucis fulgore conditi.

Occupatio arcis. Ibidem.

Verùm, ùt liquidior lux apparuit, dubitatio exempta est: vocatúmque Cophen, per quem barbarorum animos tentaverat, mittit ad eos; quos moneret, nunc saltem salubrius consilium inirent; sin autem fiduciâ loci perseverarent, ostendi à tergo jussit, quæ ceperant verticem. Cophes ad eos missus suadere cœpit Arimazi, petram tradere, gratiam regis inituro, si tantas res molientem in unius rupis obsidione hærere non coëgisset. Ille ferociùs, superbiúsque, quàm anteà, locutus abire Cophen jubet. At is prehensum manu barbarum rogat, ut secum extra specum prodeat: quo impetrato juvenes in cacumine ostendit, ejúsque superbiæ haud immeritò illudens, pennas, ait, habere milites Alexandri. Jamque è Macedonum castris signorum concentus, & totius exercitûs clamor audie-

audiebatur. Ea res, ſicut pleraque belli vana & inania, barbaros ad deditionem traxit: quippe occupati metu, paucitatem eorum, qui à tergo erant, æſtimare non poterant. Itaque Cophen (nam trepidantes reliquerat) ſtrenuè revocant, & cum eo triginta principes mittunt, qui petram tradant, &, ut incolumibus abire liceat, paciſcantur. Ille quanquam verebatur, ne conſpectâ juvenum paucitate, deturbarent eos barbari: tamen & fortunæ ſuæ confiſus, & Arimazi ſuperbiæ infenſus, nullam ſe conditionem deditionis accipere reſpondit. Arimazes deſperatis magìs, quàm perditis rebus, cum propinquis, nobiliſsimíſque gentis ſuæ deſcendit in caſtra: quos omnes verberibus affectos, ſub ipſis radicibus petræ, crucibus juſſit affigi. Multitudo deditiorum incolis novarum urbium cum pecunia capta dono data eſt.

Cædes Clyti, & ſevus Alexandri dolor. L. VIII.

Itaque impotens animi (*Alexander*) percurrit in regiæ veſtibulum, & vigili excubanti haſtâ ablatâ, conſtitit in aditu, quo neceſſe erat iis, qui ſimul cœnaverant, egredi. Abierant ceteri, Clytus ultimus ſine lumine exibat. Quem rex, quisnam eſſet, interrogabat. Eminebat etiam in voce ſceleris, quod parabat, atrocitas. Et ille jam non ſuæ, ſed regis iræ memor: *Clytum eſſe, & de convivio exire reſpondit.* Hæc dicentis latus haſtâ transfixit, morientíſque ſanguine aſperſus: *I nunc*, inquit, *ad Philippum, & Parmenionem, & Attalum.*

Malè humanis ingeniis natura conſuluit, quòd plerumque non futura, ſed tranſacta perpendimus. Quippe rex, poſtquàm ira mente deceſſerat, etiam ebrietate diſcuſſâ, magnitudinem facinoris ſerâ æſtimatione perſpexit. Videbat tunc immodicâ libertate abuſum, ſed alioqui egregium bello virum, & niſi erubeſceret fateri, ſervatorem ſuî occiſum. Deteſtabile carnificis miniſterium occupaverat rex, verborum licentiam, quæ vino poterat imputari, nefandâ cæde ultus. Manabat toto veſtibulo cruor paulò ante convivæ: vigiles attoniti, & ſtupentibus ſimiles procul ſtabant, liberiorémque pœnitentiam ſolitudo exciebat. Ergo haſtam in corpore jacentis, evulſam retorſit in ſémet, jámque admoverat pectori, cùm advolant vigiles, & repugnanti è manibus extorquent,

allevatúmque in tabernaculum deferunt. Ille humi proſtraverat corpus : gemitu ejulatúque miſerabili totâ perſonante regiâ. Laniare deinde os unguibus, & circumſtantes rogare, ne ſe tanto dedecori ſuperſtitem eſſe paterentur.

Alexandri Babylonem reverſi ſuprema verba & mors. L. X.

Quærentibus, cui relinqueret regnum, reſpondit : *Ei, qui eſſet optimus; ceterùm prævidere jam ob id certamen magnos funebres ludos parari ſibi :* rurſus Perdiccâ interrogante : *quando cæleſtes honores haberi ſibi vellet?* dixit, *tum velle, cùm ipſi felices eſſent.* Suprema hæc vox fuit regis, & paulò poſt extinguitur.

Immenſus omnium luctus. Ibidem.

Ac primò ploratu, lamentíſque & planctibus tota regia perſonabat. Mox velut in vaſta ſolitudine omnia triſti ſilentio muta torpebant, ad cogitationes, quid deinde futurum eſſet, dolore converſo. Nobiles pueri cuſtodiæ corporis ejus aſſueti, nec doloris magìs magnitudinem capere, nec ſe ipſos intra veſtibulum regiæ retinere potuerunt : vagíque & furentibus ſimiles, totam urbem luctu ac mœrore compleverant, nullis queſtibus omiſſis, quos in tali caſu dolor ſuggerit. Ergo qui extra regiam aſtiterant, Macedones pariter Barbaríque concurrunt, nec poterant victi à victoribus in communi dolore diſcerni. Perſæ juſtiſſimum ac mitiſſimum dominum, Macedones optimum ac fortiſſimum regem invocantes certamen quoddam mœroris edebant. Nec mœſtorum ſolùm, ſed etiam indignantium voces exaudiebantur, tam viridem & in flore ætatis fortunaéque, invidiâ deûm, ereptum eſſe rebus humanis. Vigor ejus & vultus educentis in prælium milites, obſidentis urbes, evadentis in muros, fortes viros pro concione donantis, occurrebant oculis. Tum Macedones divinos honores negâſſe ei pœnitebat, impiósque & ingratos fuiſſe ſe confitebantur, quòd aures ejus debitâ appellatione fraudâſſent. Et cùm diu nunc in veneratione, nunc in deſiderio regis hæſiſſent, in ipſos verſa miſeratio eſt. Macedoniâ profecti ultra Euphratem, mediis hoſtibus novum imperium

rium aſpernantibus, deſtitutos ſe eſſe cernebant: ſine certo regis hærede, ſine hærede regni publicas vires ad ſe quemque tracturum. Bella deinde civilia, quæ ſecuta ſunt, mentibus augurabantur. Iterum non de regno Aſiæ, ſed de rege ipſis ſanguinem eſſe fundendum. Novis vulneribus veteres rumpendas cicatrices: ſenes debiles modò petitâ miſſione à juſto rege, nunc morituros pro potentia forſitan ſatellitis alicujus ignobilis. Has cogitationes volventibus, nox ſupervenit, terrorémque auxit. Milites in armis vigilabant: Babylonii alius è muris, alius è culmine ſui quisque tecti proſpectabant, quaſi certiora viſuri. Nec quisquam lumina audebat accendere. Et quia oculorum ceſſabat uſus, fremitus, vocésque auribus captabant: ac plerumque vano metu territi, per obſcuras ſemitas alius alii occurſantes, invicem ſuſpecti, & ſolliciti ferebantur. Perſæ comis ſuo more detonſis, in lugubri veſte, cum conjugibus ac liberis, non ùt victorem, & modò hoſtem; ſed ùt gentis ſuæ juſtiſſimum regem vero deſiderio lugebant.

Elogium Alexandri. Ibidem.

Hercule, juſtè æſtimantibus regem, liquet bona naturæ ejus fuiſſe, vitia vel fortunæ vel ætatis. Vis incredibilis animi, laboris patientia propemodùm nimia, fortitudo non inter reges modò excellens, ſed inter illos quoque, quorum hæc ſola virtus fuit: liberalitas ſæpe majora tribuentis, quàm à diis petuntur: clementia in devictos: tot regna aut reddita, quibus ea dempſerat bello, aut dono data: mortis, cujus metus ceteros exanimat, perpetua contemptio: gloriæ laudiſque ùt juſto major cupido, ita ùt juveni, & in tantis admittenda rebus. Jam pietas erga parentes, quorum Olympiada immortalitati conſecrare decreverat, Philippum ultus erat: jam in omnes ferè amicos benignitas, erga milites benevolentia: conſilium par magnitudini animi, & quantam vix poterat ætas ejus capere ſolertia: modus immodicarum voluptatum ingentes profectò dotes erant, Illa fortunæ, diis æquare ſe, & cœleſtes honores accerſere, & talia ſuadentibus oraculis credere, & dedignantibus venerari ipſum, vehementiùs, quàm par eſt iraſci: in externum habitum mutare corporis cultum, imitari devictarum gentium mores, quas ante victoriam ſpreverat. Nam iracundiam & cupi-

cupidinem vini ſicuti juventa irritaverat, ita ſenectus mitigare potuiſſet. Fatendum eſt tamen, cùm plurimum virtuti debuerit, plus debuiſſe fortunæ, quàm ſolus omnium mortalium in poteſtate habuit. Quoties illum à morte revocavit? quoties temerè in pericula vectum perpetuâ felicitate protexit? Vitæ quoque finem eundem illi, quem gloriæ ſtatuit. Exſpectavêre eum fata, dum oriente perdomito, aditóque oceano, quidquid mortalitas capiebat, impleret. Huic regi ducíque ſucceſſor quærebatur, ſed major moles erat, quàm ut unus ſubire eam poſſet. Itaque nomen quoque ejus, & fama rerum in totum propemodùm orbem, reges, ac regna diffudit: clariſſimíque ſunt habiti, qui etiam minimæ parti tantæ fortunæ adhæſerunt.

EX VARIIS MELIORIS NOTAE AUCTORIBUS.
DE PRUDENTIA.

Mentibus ineſt inſatiabilis veri videndi cupiditas.

Munus proprium prudentiæ eſt indagatio atque inventio veri. Ut enim quisque maximè perſpicit, quid in re quaque veriſſimum ſit, quique acutiſſimè & celerrimè & poteſt videre, & applicare rationem, is prudentiſſimus & ſapientiſſimus ritè haberi ſolet. *Cic.* 1. *offic. c.* 5.

Generi animantium omni eſt à natura tributum, ut ſe, vitam, corpúsque tueatur; declinétque ea, quæ nocitura videantur; omniáque, quæcunque ad vivendum ſint neceſſaria, acquirat & paret. At inquiſitio & inveſtigatio veri, propria eſt hominis, quòd rationis eſt particeps: & naturâ ineſt mentibus noſtris inſatiabilis quædam cupiditas veri videndi. Itaque cùm ſumus neceſſariis negotiis, curíſque vacui; tum avemus aliquid videre, audire, addiſcere: cogitationémque rerum aut occultarum, aut admirabilium ad beatè vivendum neceſſariam ducimus. In ſcientia excellere pulchrum ducimus: errare autem, neſcire, decipi, malum & turpe. *c.* 4. *&* 6. † 1. *Tuſcul. c.* 9. * 1. *off. c.* 4.

Quæ in ſcientiæ ſtudio ſint vitanda?

In hoc genere & naturali & honeſto, duo vitia vitanda ſunt: Unum, ne incognita pro cognitis habeamus, híſque temerè

temerè assentiamus. Quod vitium effugere qui volet, (omnes autem velle debent) adhibebit ad considerandas res, & tempus, & diligentiam. Alterum est vitium, quod quidam nimìs magnum studium multámque operam in res obscuras atque difficiles conferunt, easdémque non necessarias. Quibus vitiis declinatis quid in rebus honestis & cognitione dignis operaéque ponetur, id jure laudabitur. *Cic.* 1. *off. c.* 6.

Si quis tamen ita teneatur discendi studio, ut eos deserat, quos tutari debet; ab officio discedit, & à justitiâ, quæ in hominum tuendis commodis maximè cernitur, & contemplationi, cognitioníque rerum anteponenda est. Quod optimus quisque judicat, & re ipsâ ostendit. Quis est enim tam cupidus in perspicienda cognoscendáque rerum natura, ut si ei tractanti contemplantíque res cognitione dignissimas, subitò sit allatum periculum, discriménque patriæ, cui subvenire, opitularíque possit, non illa omnia relinquat atque abjiciat? *c.* 43.

Ii operosè agendo nihil agunt, qui in litterarum inutilium studiis detinentur. Ecce Romanos quoque invasit studium supervacua discendi. Cujus ista errores minuent? cujus cupiditates prement? quem fortiorem, quem justiorem, quem liberaliorem facient? *Sen. de brev. c.* 13.

Naturâ tam docere cupimus, quàm discere.

Impellimur naturâ, ut prodesse velimus quàm plurimis, inprimísque docendo, rationibúsque prudentiæ tradendis. Itaque non facile est reperire, qui quod sciat ipse, non tradat alteri. Ita non solùm ad discendum propensi sumus, verùm etiam ad docendum. *Cic.* 3. *de fin.* c. 20.

Cupio, dicebat olim Seneca scribens ad Lucilium, in te transfundere omnia, quæ ad sanandos animi morbos efficacia expertus sum, & in hoc gaudeo aliquid discere, ut doceam: nec me ulla res delectabit, licèt eximia sit, & salutaris, quam mihi uni sciturus sum: . . Nullius boni sine socio jucunda possessio est. Mittam itaque ipsos tibi libros, & ne multum operæ impendas, dum passim profutura sectaris, imponam notas, ut ad ea ipsa protinus, quæ probo & miror, accedas. Plus tamen tibi viva vox & convictus, quàm oratio proderit. Primùm, quia homines ampliùs oculis, quàm auribus credunt: deinde quia longum est iter per præcepta, breve &

efficax per exempla. Zenonem Cleanthes non expressisset, si eum tantummodò audîsset. Vitæ ejus interfuit, secreta perspexit, observavit illum, an ex formulâ suâ viveret. Plato & Aristoteles plus ex moribus, quàm ex verbis Socratis traxêre. *Senec. Ep.* 6.

Xenophontem in 1. angiportu obviam habuit Socrates. Cúmque videret adolescentem vultu specioso admodùm & verecundo; porrecto baculo, vetuit ne præteriret. Ut constitit, interrogavit eum Socrates, *ubinam venderentur, quæ essent necessaria variis usibus civium?* ad quæ cùm expeditè respondisset Xenophon; percontatus est, *ubinam boni ac probi homines fierent?* id verò nescire se, respondente adolescente: *sequere igitur, & disce:* inquit Socrates. Ex eo tempore Xenophon cœpit esse Socratis auditor. *Diog. Laërt. in Xenoph. seg.* 48.

Perditæ luxuriæ Athenis adolescens Polemo, cùm è convivio, non post occasum solis, sed post ortum surrexisset; domúmque rediens, Xenocratis Philosophi patentem januam vidisset; vino gravis, unguentis delibutus, sertis capite redimito, pellucidâ veste amictus, refertam turbâ doctorum hominum scholam ejus intravit, nec contentus tam deformi introitu, consedit etiam, ut clarissimum eloquium, & prudentissima præcepta temulentiæ lasciviis elevaret. Ortâ deinde, ùt par erat, omnium indignatione, Xenocrates vultum in eodem habitu continuit, omissáque re, quam differebat, de modestia ac temperantia loqui cœpit. Cujus gravitate sermonis resipiscere coactus Polemo, primùm coronam capite detractam projicit; paulò pòst brachium intra pallium reduxit; procedente tempore oris convivalis hilaritatem deposuit, ad ultimum totam luxuriam exuit, uniúsque orationis saluberrimâ medicinâ sanatus, ex infami ganeone maximus Philosophus evasit; peregrinatus est hujus animus in nequitia, non habitavit. *Val. l.* 6. *c.* 9.

Honos doctis habitus.

Nobilibus Athletis, qui 2. Olympia, Pythia, Isthmia, Nemea vicissent, Græcorum majores ita magnos honores constituerunt,

1. *Angiportu*) iter compendiarium in oppido. *Festus.*

2. Sacra certamina fuerunt quatuor apud Græcos: *Nemea* dicata Archemoro Lycurgi filio, in silva Nemea defuncto, *Pythia* Apollini, *Isthmia* Palæmoni seu melicertæ ad Isthmum, *Olympia* Jovi.

tuerunt, uti non modò in conventu ſtantes cum palma & corona ferant laudes, ſed etiam, cùm revertantur in ſuas civitates cum victoria, triumphantes quadrigis in mœnia & in patrias invehantur, rèque publicâ, perpetuâ vitâ conſtitutis vectigalibus fruantur. Cùm ergo id animadvertam, inquit Vitruvius, admiror, quòd ita non ſcriptoribus iidem honores, etiámque majores ſint tributi, qui infinitas utilitates ævo perpetuo omnibus gentibus præſtant. Id enim magìs erat inſtitui dignum, quòd Athletæ ſua corpora exercitationibus efficiunt fortiora: ſcriptores non ſolùm ſuos ſenſus perficiunt, ſed etiam omnium libris ad diſcendum, & animos exacuendos præparant præcepta. Quid enim Milo Crotoniates, quòd fuit invictus, prodeſt hominibus, aut ceteri, qui eo genere fuêre victores? Pythagoræ verò præcepta, Democriti, Platonis, Ariſtotelis, ceterorúmque ſapientum, omnibus gentibus recentes & floridos edunt fructus, è quibus qui à teneris ætatibus doctrinarum abundantiâ ſatiantur, optimos habent ſapientiæ ſenſus, inſtituúntque civitatibus humanitatis mores, æqua jura, leges, quibus abſentibus, nulla poteſt eſſe civitas incolumis. Cùm ergo tanta munera à ſcriptorum prudentia privatim publicéque fuerint hominibus præparata; non ſolùm arbitror palmas & coronas his tribui oportere, ſed etiam decerni triumphos, & inter deorum ſedes eas dedicandas judicari. *Vitruv. l. 9. præfat.*

Animi remedia inventa ſunt ab antiquis Philoſophis: ſuſpiciendi propterea ſunt, & ritu deorum colendi. Quam venerationem Præceptoribus meis debeo, eandem illis præceptoribus generis humani, à quibus boni initia fluxerunt, debere me exiſtimo. Si Conſulem video, aut Prætorem, omnia, quibus honor haberi ſolet, faciam; equo deſiliam, caput adaperiam, ſemitâ cedam. Quid ergo? Marcum Catonem utrumque, & Lælium ſapientem, & Socratem cum Platone, & Zenonem, Cleanthémque in animum meum ſine dignatione ſumma recipiam? Ego verò illos veneror, & tantis nominibus ſemper aſſurgo. *Sen. Ep. 64.*

Non refert, quàm multos, ſed quàm bonos libros habeas ac legas.

Eſt lectio neceſſaria: alit enim ingenium; & ſtudio fatigatum, non ſine ſtudio tamen, reficit. Nec ſcribere tantùm, nec

nec tantùm legere debemus : invicem hoc illo commutandum eſt, & altero alterum temperandum, ut, quidquid lectione collectum eſt, ſtilus redigat in corpus. Apes debemus imitari, quæ vagantur, & flores ad mel faciendum idoneos carpunt : deinde quidquid attulêre, diſponunt, ac per favos digerunt. *Sen. Ep.* 84.

Lectio multorum Auctorum & omnis generis voluminum habet aliquid vagum & inſtabile. Certis ingeniis immorari & innutriri oportet, ſi velis aliquid trahere, quod in animo fideliter ſedeat. Lectio certa prodeſt, varia delectat. Qui, quò deſtinavit, pervenire vult, unam ſequatur viam, non per multas vagetur. *Ep.* 2. *&* 45.

Librorum inopiam quereris. Non refert, quàm multos, ſed quàm bonos habeas. Diſtrahit animum librorum multitudo. Modò, inquis, hunc librum evolvere volo, modò illum. Faſtidientis ſtomachi eſt multa deguſtare: quæ ubi varia & diverſa ſunt, inquinant, non alunt. Probatos itaque ſemper lege : & ſi quando ad alios divertere libuerit, ad priores redi. Aliquid quotidie auxilii adverſùs varias animi peſtes compara : & cùm multa percurreris, unum excerpe, quod illo die concoquas. Hoc ipſe quoque facio. *Idem.*

Bibliotheca ad uſum non ad oſtentationem comparanda.

In Tuſculano cùm eſſem, inquit Cicero, vellémque è Bibliotheca pueri Luculli quibusdam libris uti; veni in ejus villam, ut eos ipſe, ſicut ſolebam, inde promerem. Quò cùm veniſſem, M. Catonem, quem ibi eſſe neſcieram, vidi in Bibliotheca ſedentem, multis circumfuſum Stoicorum libris. Erat enim in eo inexhauſta aviditas legendi, nec ſatiari poterat: quippe qui ne reprehenſionem quidem vulgi inanem reformidans, in ipſa curia ſoleret legere ſæpe, dum ſenatus cogeretur, nihil operæ reipublicæ detrahens, quò magìs tum in ſummo otio maximâque copiâ quaſi helluari libris, ſi hoc verbo in tam clarâ re utendum eſt, videbatur. Tum ego Catoni : *Certè, Cato, totam hanc copiam jam Lucullo noſtro notam eſſe oportebit. Nam his libris eum malo, quàm reliquo ornatu villæ delectari. Aetatem quidem video : ſed in-*

fici

fici tamen jam debet iis artibus, quas si, dum est tener, combiberit, ad majora veniet paratior. *Cic. 3. de finib. c. 2.*

Tu, velim, des operam, ut quàm primùm habeamus ea, quæ te nobis emiſſe & paràſſe ſcribis: & cogites, quemadmodùm Bibliothecam nobis conficere poſſis. Omnem ſpem delectationis noſtræ, quam cùm in otium venerimus, habere volumus, in tuâ humanitate poſitam habemus. Ego quotidie magìs, ſi quid mihi è forenſi labore temporis datur, in litteris conquieſco.. Summum me librorum ſtudium tenet, ſicùt odium jam ceterarum rerum. Bibliothecam tuam cave cuiquam deſpondeas, quamvìs acrem amatorem inveneris. Nam ego omnes meas vindemiolas eò reſervo, ut illud ſubſidium ſenectuti parem. Noli deſperare, fore, ut libros tuos facere poſſim meos. Quodſi aſſequor, ſupero Craſſum divitiis, atque omnium agros, lucos, prata contemno. *Cic. L. 1. Epiſt. 7. - 11. - 10. L. 2. Ep. 4.*

Comparandorum librorum impenſa liberaliſſima eſt. At in ea habendus modus. Quò mihi innùmerabiles libros & Bibliothecas, quarum dominus vix totâ vitâ ſuâ indices perlegit? Onerat diſcentem turba, non inſtruit: multóque ſatius eſt, paucis te Auctoribus tradere, quàm errare per multos. Nunc plerísque litterarum ignaris libri non ſtudiorum inſtrumenta ſunt, ſed ædium ornamenta. Paretur itaque librorum, quantum ſatìs ſit, nihil in apparatum. Honeſtiùs, inquis, in hos impenſas, quàm in Corinthia, (vaſa) pictáſque tabulas effuderim. Vitioſum eſt ubique, quod nimium eſt. Quid habes, cur minùs ignoſcas nomen marmore, atque ebore captanti, quàm opera conquirenti, aut ignotorum Auctorum, aut improbatorum, & inter tot millia librorum oſcitanti, cui voluminum ſuorum frontes maximè placent, titulíque? Apud deſidioſiſſimos ergo videbis, quidquid orationum, hiſtoriarúmque eſt, & tecto tenus exſtructa loculamenta. Sícque ſacrorum opera ingeniorum in ſpeciem & cultum parietum comparantur. *Sen. de Tranq. c. 9.*

Memoria augetur curâ, negligentiâ intercidit.

Omnis diſciplina memoriâ conſtat: fruſtráque docemur, ſi, quidquid audimus, prǽterfluat. Quidam eam naturæ modò munus eſſe exiſtimaverunt: ſed ipſa excolendo, ſicut

alia

alia omnia, augetur. Nihil æquè vel augetur curâ, vel negligentiâ intercidit, quàm memoria. *Quinctil. l.* 11. *c.* 2.

Maxima & una memoriæ augendæ ars exercitatio eſt & labor. Quare pueri, quorum tenaciſſima memoria eſt, ſtatim quàm plurima ediſcant: & quæcunque ætas operam juvandæ ſtudio memoriæ dabit; devoret initio tædium illud ſcripta & lecta ſæpiùs evolvendi, & quaſi eundem cibum remandendi. Quod ipſum hoc fieri poteſt levius, ſi pauca primùm, & quæ tædium non afferant, cœperimus ediſcere; tum quotidie adjicere ſingulos verſus, quorum additio labori ſenſum incrementi non adferat. *L.* 11. *c.* 2.

Quantum naturâ ſtudióque valeat memoria, vel Themiſtocles teſtis eſt, quem unum intra annum optimè locutum eſſe Perſicè conſtat: vel Mithridates, cui notæ fuerunt duæ & viginti linguæ earum, quibus imperabat, nationum: vel Craſſus ille dives, qui, dum Aſiæ præeſſet, ſic tenuit quinque Græci ſermonis differentias, ut jus cuique redderet eâdem linguâ, quâ quisque poſtulâſſet: vel Cyrus denique, quem omnium militum tenuiſſe nomina traditum eſt. Quin etiam dicitur Theoctetes protinus retuliſſe ſemel auditos quamlibèt multos verſus.

Memoriam in Themiſtocle fuiſſe ferunt ſingularem, ita, ut quæcunque audierat, aut viderat, hærerent animo. Itaque cùm Simonides, aut quis alius ſe ei artem memoriæ polliceretur, quæ tum primùm proferebatur: *oblivionis*, inquit, *mallem. Nam memini etiam, quæ nolo: oblivisci non poſſum, quæ volo. Cicero* 2. *fin. c.* 32.

DE JUSTITIA.

Juſtitia omnium regina virtutum.

Juſtitia eſt una virtus, omnium Domina & regina virtutum: in eâ eſt virtutis ſplendor maximus: ex quâ boni viri (juſti) nominantur. At, unum Ariſtidem à Græcis cognominatum fuiſſe juſtum accepimus. *Cic. III. offic.* 29. - *I. offic. c.* 20. *L. III.*

Hic Athenis na us, à pueritiâ firmo conſtantíque animo fuit, nunquam ab eo, quod juſtum videbatur, diſcedens, & nullam fraudem, nullúmque mendacium admittens ne joco quidem & in ludo. *Corn. Nep. & Plut. in Ariſtide.*

Ubi

Ubi ad rempublicam accessit, non potentium amicorum præsidio niti voluit, sed consiliis, factísque utilibus & justis. Non animum inflabant secundæ res, non frangebant adversæ. Id se patriæ debere existimabat, ut ei prodesset sine ullo pecuniæ aut honorum præmio.

Cùm aliquando, eo præsente, pronuntiarentur in Theatro versus è tragœdia Aeschyli de Amphiarao, qui dicebatur *non velle videri justus, sed esse:* omnes converterunt in eum oculos, tanquam ad quem hæc laus pertineret, eúmque cognominaverunt justum. Quod cognomen, ùt novum erat, & omnium amplissimum, ita Aristidi invidiam conflavit, & Themistoclis æmuli, & concitatæ ab illo multitudinis. Est enim hoc commune vitium in magnis, liberísque civitatibus, ut invidia gloriæ comes sit: & libenter de his detrahant, quos eminere videant altiùs. Itaque mulctatus est decem annorum exilio, quòd ostracismum vocabant. *Nep. in Chabr. c.* 3.

Eo tempore, quo congregatus populus de ejiciendo Aristide ferebat suffragium testulis pro more inscriptum, dicitur illiteratus quidam & planè rudis tradidisse Aristidi ipsi, ùt uni è populo, testulam, petiisséque, ut inscriberet Aristidem. Admirante eo, & rogante, num aliquid in illum peccâsset Aristides? *Se ignorare,* inquit, *Aristidem. Sed sibi non placere, quòd cupidè elaborâsset, ut præter ceteros justus appellaretur.* Aristidem ferunt nihil respondisse, sed inscripsisse testulæ nomen suum, hominíque reddidisse.

Urbe excedens, ut in exilium iret, supinas manus tetendit in cœlum, deósque oravit: *Ne ullum tempus populo Atheniensi incideret, quo Aristidis reminisci necesse esset.* Tertio pòst anno revocatus in patriam, immemor acceptæ injuriæ utilem operam præbuit civibus in bello & pace per annos multos. Illius abstinentiæ à pecunia nullum est certius indicium, quàm quòd, cùm exercitibus & ærario præfuisset, in tantâ paupertate decessit, ut vix reliquerit, quo efferretur. Unde factum est, ut filiæ ejus publicè alerentur, & è communi ærario dotibus datis collocarentur. *Nep. & Plut. in Aristid.*

Qui

Qui adipisci veram gloriam volet, justitiam colat.

Facillimè autem ad res injustas impellitur, ùt quisque est altissimò animo (principatûs) & gloriæ cupiditate. Quocirca nemo, qui fortitudinis gloriam consecutus est insidiis & malitiâ, laudem est adeptus. Nihil enim honestum (& gloriosum) esse potest, quod justitiâ vacat. *Cic.* 1. *offic. c.* 13. *&* 19.

An eos aliquid veræ laudis adeptos putas, qui exitiò gentium clari non minores fuêre pestes mortalium, quàm inundatio & conflagratio? Agebat infelicem Alexandrum furor aliena devastandi. Non contentus paterno regno, toto orbe arma circumferebat, nec substitit unquam lassa crudelitas: immanium ferarum more, quæ plus, quàm exigit fames, mordent. Cùm ei civitas quædam partem agrorum, & dimidium rerum omnium promitteret: *Eo*, inquit, *proposito veni in Asiam, non ut id acciperem, quod dedissetis: sed ut id haberetis, quod reliquissem.* *Senec.* 3. *Quæst. in Proœm. Ep.* 94. *&* 53.

Ubi ad fines Scytharum vincendo pervenit (*Alexander*) Scytha legatus hæc ei: Quid nobis tecum est? Nunquam terram tuam attigimus. Qui sis, unde venias, licétne ignorare in vastis silvis viventibus? Nec servire ulli possumus, nec imperare desideramus. &c. Ut major fortiórque sis, quàm quisquam: tamen alienigenam dominum pati nemo vult. Tu qui te gloriaris ad persequendos latrones venire, omnium gentium, quas adîsti, latro es. Lydiam cepisti: Syriam occupâsti: Persidem tenes: Bractianos habes in potestate: Indos petîsti: jam etiam ad pecora nostra avaras & insatiabiles manus porrigis. Quid tibi divitiis opus est, quæ te esurire cogunt? primus omnium satietate parâsti famem; ut quò plura haberes, acriùs, quæ non habes, cuperes. &c. Denique si deus es, tribuere mortalibus beneficia debes, non sua eripere: sin autem homo es; id quod es, semper esse te cogita. *Q. Curtius l.* 7. *c.* 8.

Eleganter & veraciter Alexandro illi magno quidam comprehensus pirata respondit. Nam cùm Rex hominem interrogâsset, quo jure mare infestaret? ille liberâ contumaciâ: *Eodem*, inquit, *quo tu orbem terrarum: sed quia id ego exiguo navigio facio, latro vocor; tu, quia magnâ classe, imperator.* *S. Aug. l.* 4. *de Civit. c.* 4. *ex Cicer.*

Cùm

Cum inimicis benignè agendum.

Sunt autem quædam officia etiam adversùs eos servanda, à quibus injuriam acceperis. Eſt enim ulciſcendi & puniendi modus. Atque haud ſcio, an ſatis ſit, eum, qui (te) laceſſierit, injuriæ ſuæ pœnitere: ut & ipſe, ne quid tale poſthac, (committat) & ceteri ſint ad injuriam tardiores. *Cic. l. offic. c.* 11.

Beneficia beneficiis repenſare honeſtum eſt, non autem injurias injuriis. Illic vinci turpe eſt, hic vincere. Ultio inhumanum verbum eſt, & quidem pro juſto receptum. Quàm pulchrum eſt, hominem velut nulli penetrabilem telo, omnes injurias, contumeliáſque reſpuere! Ultio doloris confeſſio eſt. M. Catonem in balneo quidam percuſſit imprudens: quis enim illi ſciens feciſſet injuriam? Poſteà ſatisfacienti Cato, *non memini*, inquit, *percuſſum me.* Melius putavit, non agnoſcere, quàm vindicare. Nihil, inquis, poſt tantam contumeliam factum eſt? Imò multum boni. Cœpit Catonem nôſſe. Magni animi eſt, injurias deſpicere. *P. Syrus v.* 332. *Sen. l.* 2. *de Ira. c.* 32. *l.* 3. *c.* 5.

- - - Quippe minuti
Semper & infirmi eſt animi, exiguíque voluptas
Ultio. *Juvenal.* 13. *Sat. v.* 189.

Ille magnus & nobilis eſt, qui more magnæ feræ, latratus minutorum canum ſecurus exaudit. Sæpe ſatius fuit diſſimulare, quàm ulciſci.

Cùm Dion expugnâſſet Syracuſas, quas ab impotenti tyrannorum dominatu liberare cupiebat, Heraclides & Theodotes, infenſi ejus hoſtes, ſe ultro dedidêre, culpam fatentes, orantéſque, ut benignior in ipſos eſſet, quàm ipſi in eum fuerant. Admonuerunt quoque, decere Dionem, qui multis aliis virtutibus ornatus eſſet, iræ imperare, & ultionis cupidum non eſſe. Hæc illis precantibus & monentibus, hortabantur amici Dionem, ne improbis hominibus funeſtarum turbarum auctoribus, parceret, ſed eos militum furori permitteret. Tum Dion: *Ceteris*, inquit, *ducibus, atque imperatoribus plerumque ſola belli & armorum exercitia cordi ſunt: mihi verò, qui plurimum temporis in Academia conſumpſi, cura fuit id diſcere, ut iram, ultionem, invidiam, pertinaciam, & alias hujusmodi peſtes poſſem vincere: cujus*

victoriæ argumentum certum est, non in amicos & viros bonos benignitas, sed erga iniquos & infensos inimicos placabilitas & lenitas. Heraclidem superare mihi animus est, non potentiâ & prudentiâ, at humanitate, & justitiâ: in his enim virtutibus vera fortitudo, magnitudo, gloria posita est: cùm miles aut saltem fortuna sibi vendicet partem gloriæ bello quæsitæ. Quodsi Heraclides & invidus & infidus, & malus est; ideóne Dionem oportet virtuti suæ labem inurere iræ impotentiâ? Lege quidem humanâ definitum est, eum minùs peccare adversùs justitiam, qui acceptam injuriam ulciscitur, quàm qui prior infert: at naturâ utrumque ab eâdem animi infirmitate proficiscitur. Nullius porro hominis tam aspera, támque effera est improbitas, quæ non possit frequentibus beneficiis mansuescere & expugnari. His usus rationibus Dion, Heraclidem & Theodotem missos fecit. Plat. in Dion.

Justitiâ hostes vincere gloriosius est, quam armis.

Romani Camillo duce obsidebant jam dudum Falerios, Faliscorum urbem. Mos erat Faliscis, eodem magistro liberorum & comite uti: simúlque plures pueri unius curæ demandabantur. Principum liberos, sicut ferè fit, qui scientiâ videbatur præcellere, erudiebat. Is cùm in pace instituisset pueros ante urbem lusûs, exercendíque causâ producere; nihil eo more per belli tempus intermisso, dum modò brevioribus, modò longioribus spatiis trahendo, eos à porta lusu, sermonibúsque variatis, longiùs solito, ubi res dedit, progressus inter stationes eos hostium, castráque inde Romana in prætorium ad Camillum perduxit. Ibi scelesto facinori scelestiorem sermonem addidit: Falerios se in manus Romanis tradidisse: quando eos pueros, quorum parentes capita ibi rerum sint, in potestatem dediderit.

Quæ ubi Camillus audivit: *Non ad similem, inquit, tui, nec populum, nec imperatorem scelestus ipse cum scelesto munere venisti. Nobis cum Faliscis, quæ pacto fit humano, societas non est; quam ingeneravit natura, utriusque est, eritque. Sunt & belli, sicut pacis jura; justéque ea non minùs, quàm fortiter didicimus gerere. Arma habemus non adversùm eam ætatem, cui etiam captis urbibus parcitur: sed adversùs armatos, & ipsos, qui nec læsi, nec lacessiti à nobis castra Romana ad Vejos op-*

oppugnârunt. Eos tu, quantum in te fuit, novo ſcelere viciſti: ego Romanis artibus, virtute, opere, armis, ſicut Vejos vincam.

Denudatum deinde eum, manibus poſt tergum illigatis, reducendum Falerios pueris tradidit: virgáſque eis, quibus proditorem agerent in urbem verberantes, dedit. Ad quod ſpectaculum concurſu populi primùm facto, deinde à Magiſtratibus de re nova vocato ſenatu, tanta mutatio animis eſt injecta, ut, qui modò efferati odio, irâque, Vejentium exitum, pæne quàm Capenatium pacem mallent, apud eos pacem univerſa poſceret civitas. Fides Romana, juſtitia imperatoris, in foro & curiâ, celebrantur. Introducti ad ſenatum ita locuti traduntur: *Patres Conſcripti! victoria, cui nec DEus, nec homo quiſquam invideat; victi à vobis, atque imperatore veſtro, dedimus nos vobis: rati, quo nihil victori pulchrius eſt, meliùs nos ſub imperio veſtro, quàm legibus noſtris victuros. Eventu hujus belli duo ſalutaria exempla prodita humano generi ſunt. Vos fidem in bello, quàm præſentem victoriam maluiſtis: nos fide provocati victoriam ultro detulimus: ſub ditione veſtrâ ſumus. Mittite, qui arma, qui obſides, qui urbem patentibus portis accipiant, nec vos fidei noſtræ, nec nos imperii veſtri pœnitebit.* Itaque Romanorum juſtitiam admirantes, ultro ſe iis dediderunt, rati ſe meliùs ſub imperio eorum, quàm legibus ſuis victuros. Camillo & ab hoſtibus, & à civibus gratiæ actæ ſunt. Pace Faliſcis datâ, exercitus Romam reductus. *Liv. l. 5. c. 27.*

Pyrrhi bello maximum exemplum eſt juſtitiæ in hoſtem à (Romanis) majoribus noſtris conſtitutum. Cùm enim (rex Epiri) Pyrrhus populo Romano bellum ultro intuliſſet; cúmque de imperio certamen eſſet cum rege generoſo ac potente; perfuga ab eo venit in caſtra Fabricii, (conſulis) eíque eſt pollicitus, ſi præmium ſibi propoſuiſſet, ſe, ùt clam veniſſet, ſic clam in Pyrrhi caſtra rediturum, & eum veneno necaturum. Hunc Fabricius reducendum curavit ad Pyrrhum: ídque factum ejus à ſenatu laudatum eſt. Atqui ſi ſpeciem utilitatis, opinionémque quærimus, magnum illud bellum perfuga unus, & gravem adverſarium imperii ſuſtuliſſet. Sed magnum dedecus & flagitium, quicum laudis certamen fuiſſet, (venenis certâſſe cum hoſte, non armis;) eum non virtute, ſed ſcelere ſuperatum. *Cic. 1. Off. c. 13. - 3. Off. c. 22.*

Hanc Fabricii magnitudinem animi admirans Pyrrhus exclamâsse fertur: Ille est Fabricius, qui difficiliùs ab honestate, quàm sol à cursu suo averti potest. Gratias & Fabricio & populo Romano egit: & ne ipse beneficio victus videretur, quoscunque tum habebat captivos Romanos, dimisit sine pretio, & bene vestitos. Quin etiam ad pacem & amicitiam impetrandam misit Romam Cineam Legatum cum muneribus pretiosis, tam fœminarum, quàm virorum aptis usui. Quæ munera cùm aspernati essent ii, quibus primùm oblata fuerant, & ad alios ostiatim deferrentur; tantâ Romani omnes abstinentiâ fuêre, ut nullus vir, nulla mulier, patere januam suam regiis donis recipiendis voluerit. Et ne captivi, quos Rex remiserat, gratìs reciperentur; totidem pro his Tarentinorum, Samnitúmque remissi sunt ad Pyrrhum. *Eutrop. l. 2. c. 8. - Aul. Gellius l. 3. c. 8. - Plut. in Pyrrh. Valer. l. 4. c. 3. - Liv. l. 34. c. 4.*

Servi moderatè habendi sunt.

Ego non ministeriis servos æstimabo, sed moribus. Quemadmodùm stultus est, qui equum empturus, non ipsum inspicit, sed stratum ejus ac frenos: sic stultissimus est, qui hominem æstimat aut ex veste, aut ex conditione. Servus est? sed fortasse liber animo. Servus est? vide, quis nostrûm non sit? Alius libidini servit, alius avaritiæ, alius ambitioni, ferè omnes timori. Nulla servitus durior est, quàm voluntaria.

Ne te fastidiosi isti, superbíque domini deterreant, quò minùs servis tuis hilarem te præbeas. Colant potiùs te, quàm timeant &c. Id non debet dominis parùm esse, quod Deo satìs est, qui colitur & amatur. Non potest amor cum timore misceri. Rectissimè ergo te facere judico, quòd timeri à servis tuis non vis, quòd verborum tantùm castigatione uteris. Verberibus muta animalia admonenda sunt. *Seneca l. 2.*

Lacedæmonio cuidam flagris sævienti in servum, *desine*, inquit Demonax, *te servo tuo similem ostendere.*

Deciorum pro patria devotiones.

Consulibus Decio & Manlio Româ profectis ad bellum adversùs Latinos gerendum, in quiete utrique consuli eadem dicitur visa species viri majoris quàm pro humano habitu, augustio-

gustiorísque, dicentis: ex una acie Imperatorem, ex alterâ exercitum diis Manibus, matríque Terræ deberi: utrius exercitûs Imperator legiones hostium, supérque eas se devovisset, ejus populi, partísque victoriam fore. Hos ubi nocturnos visus inter se consules contulerunt; placuit averruncandæ deûm iræ victimas cædi: simul ut, si extis eadem, quæ somno visa fuerant, protenderentur, alteruter consulum fata impleret. Ubi responsa aruspicum insidenti jam animo tacitæ religioni congruerunt; tum abhibitis legatis, tribunísque, & imperiis deûm propalam expositis, ne mors voluntaria consulis exercitum in acie terreret: comparant inter se, ut ab utra parte cedere Romanus exercitus cœpisset, inde se consul devoveret pro populo Romano, Quiritibúsque. Manlius dextro, Decius lævo cornu præerat. Primò utrimque æquis viribus, eodem ardore animorum res gerebatur. Deinde ab lævo cornu hastati Romani, non ferentes impressionem Latinorum, se ad principes recepêre. In hac trepidatione Decius consul solennia devotionis verba pronuntiavit, præeunte M. Valerio Pontifice, armatus in equum insiluit, ac se in medios hostes immisit, patriæ salutem, sibi verò mortem, petens. Quàcunque equo invectus est; ibi haud secus, quàm pestifero sidere icti pavebant. Ubi verò corruit obrutus telis, inde jam haud dubiè consternatæ cohortes fugam ac vastitatem latè fecerunt. Sic ille voluntariâ morte magnam Romanis victoriam peperit. Manlius consul audito eventu collegæ, ùt jus fásque erat, lacrymis non minùs, quàm laudibus debitis tam memorabilem mortem persecutus. Decii corpus postero die inventum, inter maximam hostium stragem, coopertum telis: funúsque ei par morti, celebrante collegâ, factum est. *Liv. l.* 8. *c.* 6. *Valer. l.* 5. *c. Liv. l.* 8. *c.* 9. *&* 10.

Tam egregium exemplum æmulatus est bello adversùs Gallos Decii filius. Nam in quarto consulatu, patris exemplum secutus, devotione simili, æquè strenuâ pugnâ, consentaneo exitu labantes perditásque vires urbis nostræ correxit. *Liv. l.* 10. *c.* 28. *Valer. l.* 5. *c.* 6.

Denique bello contra Pyrrhum regem, tertius P. Decius se tertiam victimam reipublicæ præbuit, à patrio avitóque in patriam amore non degener. *Cic.* 2. *de fin. c.* 19.

Salubriter institui plurimùm prodest in reliquam vitam.

Philippus Amyntæ filius, terræ Macedoniæ rex, cujus virtute industriâque Macedones locupletissimo imperio aucti, cùm omni ferè tempore, negotiis belli victoriísque affectus exercitúsque esset; à liberali tamen Musâ, & studiis humanitatis nunquam absuit, quin lepidè, comitérque pleraque & faceret & diceret. Erat ei plena acuminis & solertiæ oratio, quâ non minores res, quàm præliis, confecit: ipséque pluris æstimabat victorias verbis partas, quàm armis. Feruntur adeò libri epistolarum ejus munditiæ, & venustate, & prudentiæ plenarum: velut sunt illæ litteræ, quibus Aristoteli Philosopho natum sibi esse Alexandrum nuntiavit. Ea epistola, quoniam curæ, diligentiæque in liberorum disciplinas hortamentum est, exscribenda visa est ad commovendos parentum animos. Exponenda igitur est ad hanc ferme sententiam: Philippus Aristoteli salutem dicit. Filium mihi genitum scito. Quod equidem diis habeo gratiam; non proinde quia natus est, sed pro eo, quòd eum nasci contigit temporibus vitæ tuæ. Spero enim fore, ut educatus eruditúsque abs te, dignus existat & nobis, & rerum istarum successione. (aliis *susceptione.*) *A. Gell. l.* 9. *c.* 3. *Justin. l.* 9. *c.* 1.

Non fefellit Philippum sua de Aristotele opinio. Quippe Alexander eo doctore diu usus accepit ab illo tam utilia agendi & loquendi præcepta, ut non dubitaverit prædicare: *non minùs Aristoteli debere se, quàm Philippo: hujus enim munus esse, quòd viveret; illius, quòd honestè viveret.* An Philippus Macedonum rex, Alexandro filio suo prima litterarum rudimenta tradi ab Aristotele, summo ejus ætatis Philosopho, voluisset, aut ille suscepisset hoc officium, si non studiorum initia & à perfectissimo quoque optimè tractari, & pertinere ad summam credidisset? *Cic.* 3. *de Orat. c.* 35. *Plut. in Alex. Quintil. l.* 1. *c.* 1.

Plurimùm in reliquam vitam proderit, pueros statim salubriter institui. Facile est enim teneros adhuc animos componere: difficulter reciduntur vitia, quæ nobiscum creverunt. Altiùs præcepta descendunt, quæ teneris imprimuntur ætatibus; & naturâ tenacissimi sumus eorum, quæ rudibus annis

pueri

pueri percepimus: ùt sapor, quo nova (vasa) induas, durat. *Sen.* 2. *de Ira. c.* 18. *Ad Helv. c.* 16. *Quintil. l.* 1. *c.* 1.

Quo semel est imbuta recens, servabit odorem
Testa diu. *Hor.* 1. *Epod.* 2. *v.* 69.

Mores quoque se inter ludendum simpliciùs detegunt: modò nulla ætas videatur tam infirma, quæ non protinus, quid rectum, pravúmque sit, discat. Tum vel maximè formanda, cùm simulandi nescia est, & præcipientibus facillimè cedit. Frangas enim citiùs, quàm corrigas, quæ in pravum induruerunt. Protinus ergo, ne quid cupidè, ne quid improbè, ne quid impotenter faciat, monendus est puer: habendúmque in animo semper illud Virgilianum. 2. *Georg. v.* 271.

Adeò in teneris consuescere multum est. *Quintil. l.* 1. *c.* 3.

In pueris modò frenis utamur, modò stimulis: est enim in illis aliquid, quod coërcendum sit; est, quod excitandum. Hinc Isocrates, doctor singularis, dicebat, se calcaribus in Ephoro, contra autem in Theopompo frenis uti solere: alter enim reprimendus erat, alter incitandus. Et Themistocles, qui in adolescentia fuerat feroci admodùm ingenio, respondebat mirantibus mutatos ipsius mores: *Asperos & ferociores pullos fieri equos optimos, si domitoribus peritis tradantur. Sen. de Ira l.* 2. *c.* 21. *Cic.* 3. *de Orat. c.* 9. *Plut. in Them.*

Publicæ utilitati plurimùm prosunt, qui juventutem erudiunt.

Non is solus reipublicæ prodest, qui candidatos extrahit, & tuetur reos, & de pace, bello censet: sed qui juventutem exhortatur, qui, in tanta bonorum præceptorum inopia, virtute instruit animos, qui ad pecuniam luxuriámque cursu ruentes prensat, ac retrahit, &, si nihil aliud, certè moratur. An ille plus præstat, qui inter cives jus dicit; quàm qui docet, quid sit justitia, quid pietas, quid patientia, quid fortitudo, quantum bonum sit bona conscientia? *Sen. de Tranq. c.* 3.

Quærenti mihi multùm, ac diu cogitanti, quânam re possem prodesse quàm plurimis, nulla major occurrebat, quàm si optimarum artium vias traderem meis civibus. Quod enim munus reipublicæ afferre majus meliúsque possumus, quàm si

docemus, atque erudimus juventutem? His præsertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapsa est, ut omnium opibus referenda ac coërcenda sit. *Cic. 2. de divin. c.* 1. 2.

Et Præceptores & studia amet adolescens.

Epaminondas Philosophiæ præceptorem habuit Lysim Tarentinum, Pythagoreum; cui quidem sic fuit deditus, ut adolescens tristem & severum senem omnibus æqualibus suis in familiaritate sua anteposuerit: neque priùs eum à se dimiserit, quàm in doctrinis tantò antecesserit condiscipulos, ut facilè intelligi posset, pari modo superaturum omnes in ceteris artibus. *Corn. Nep. in Epam. c.* 2.

Ciceronis filius declaravit ipse hac epistolâ ad Tironem, quo amore Cratippum præceptorem dilexerit: Cratippo me scito non ùt discipulum, sed ùt filium esse conjunctissimum. Nam cùm & audio illum libenter, tum etiam ejus propriam ego suavitatem vehementer amplector. Sum totos dies cum eo, noctísque sæpe numero partem: exoro enim, ut mecum quàm sæpissimè cœnet. Hac introductâ consuetudine sæpe inscientibus nobis & cœnantibus obrepit, sublatâque severitate Philosophiæ, humanissimè nobiscum jocatur. Quare da operam, ut hunc talem, tam jucundum, tam excellentem virum videas quàm primùm. *Cic. Epist. ad famil. l.* 16. *ep.* 21.

Patet autem ex Trebonii epistola ad Ciceronem patrem, quâ curâ, quâque modestiæ famâ filius ejus litteris operam dederit: Athenas veni, atque ibi, quod maximè optabam vidi, filium tuum deditum optimis studiis, summâque modestiæ famâ. Quâ ex re quantam voluptatem ceperim, scire potes, etiam me tacente. Non enim nescis, quanti te faciam: & quàm pro nostro veterrimo, verissimóque amore, omnibus tuis etiam minimis commodis, non modò tanto bono gaudeam. Noli putare, mi Cicero, me hoc auribus tuis dare: nihil adolescente tuo, atque adeò nostro (nihil enim mihi à te potest esse sejunctum) aut amabilius omnibus iis, qui Athenis sunt, est aut studiosius earum artium, quas tu maximè amas, hoc est optimarum. Itaque tibi, quod verè facere possum, libenter quoque gratulor, nec minùs etiam nobis, quòd eum, quem necesse erat diligere, qualiscunque esset, talem habemus, ut libenter quoque diligamus. Eum licèt ingressum pleno gradu in ea studia, in quæ tua cohortatione incitatur, cohortari non inter-

intermittemus, quò indies longiùs diſcendo, exercendóque ſe procedat. *L.* 12. *ep.* 16.

Præceptor nec habeat vitia, nec ferat.

Sumat (Præceptor) ante omnia parentis erga diſcipulos ſuos animum, ac ſuccedere ſe in eorum locum, à quibus ſibi liberi traduntur, exiſtimet. Ipſe nec habeat vitia, ne ferat. Non auſteritas ejus triſtis, non diſſoluta ſit comitas: ne inde odium, hinc contemptus oriatur. Plurimus ei de honeſto ac bono ſit ſermo. Nam quò ſæpiùs monuerit, hòc rariùs caſtigabit. Minimè iracundus; nec tamen eorum, quæ emendanda erunt, diſſimulator. *Quintil. l.* 2. *c.* 2.

Peſſimus pater videbitur, qui aſſiduis plagis liberos etiam ex leviſſimis cauſis compeſcet. Uter autem præceptor liberalibus artibus dignior, qui excarnificat diſcipulos, ſi memoria illis non conſtiterit, aut ſi parùm agilis in legendo oculus hæſerit: an qui monitionibus & verecundiâ emendare ac docere malit? Num quidnam æquum eſt, graviùs homini & duriùs imperari, quàm imperatur animalibus mutis? Atqui equum non crebris verberibus exterret domandi peritus magiſter. Fiet enim formidoloſus & contumax, niſi eum tactu blandiente permulſerit. *Sen.* 1. *de Clem. c.* 10.

Nullum animal moroſius eſt, nullum majore arte tractandum, quàm homo: nulli magìs parcendum. Quid enim ſtultius, quàm in jumentis quidem & canibus erubeſcere, iram exercere, peſſimâ autem conditione hominem eſſe? Morbis medemur; nec iraſcimur. Sui animo morbi ſunt, qui deſiderant medentem minimè infeſtum ægro. Ille, cui aliorum credita ſalus & cura eſt, cum eorum vitiis luctetur, & reſiſtat. Quibusdam morbum ſuum exprobret, quosdam molli curatione decipiat, ad graviora remedia, ubi tantum neceſſe fuerit, confugiat. *Ibid. c.* 17.

Tradito ſibi puero, docendi peritus, ingenium in primis ejus, naturámque perſpiciat: proſpiciat deinceps, quonam modo tractandus ſit diſcentis animus. Sunt quidam, niſi inſtiteris, remiſſi; quidam imperia indignantur: quosdam continet metus, quosdam debilitat: alios continuatio extundit, in aliis plus impetus facit. Mihi ille detur puer, quem laus

excitet, quem gloria juvet, qui victus fleat: hic erit alendus ambitu, hunc mordebit objurgatio, hunc honor excitabit, in hoc desidiam nunquam verebor. *Quintil. l.* 1. *c.* 3.

Diligentissimè hoc est eis, qui instituunt aliquos, atque erudiunt, videndum, quò sua quemque natura maximè ferre videatur. Etenim videmus, ex eodem quasi ludo summorum in suo cujúsque genere artificum & magistrorum exîsse discipulos dissimiles inter se, attamen laudandos, cùm ad cujusque naturam institutio doctoris accomodaretur. *Cic.* 3. *de Orat. c.* 9.

Nihil est naturæ hominis accommodatius, beneficentiâ.

Ratio, quâ societas hominum inter ipsos, & vitæ quasi communitas continetur, est virtus, cujus partes duæ sunt: Justitia, in quâ virtutis splendor est maximus, ex qua boni viri nominantur; & huic conjuncta est beneficentia, quam eandem vel benignitatem, vel liberalitatem appellare licet. Quâ quidem nihil est naturæ hominis accommodatius. Quæ est igitur melior in hominum genere natura, quàm eorum, qui se natos ad homines juvandos, tutandos, conservandos arbitrantur? *Cic.* 1. *Off. c.* 7. *&* 14. - 1. *Tusc. c.* 14.

Cimon Atheniensis & pietate in patrem, & in cives benevolentiâ insignis fuit. Quippe patrem ob crimen peculatûs in carcerem conjectum, ibíque defunctum, translatis in se vinculis ad sepulturam redemit. Custodiâ liberatus Cimon, celeriter ad principatum pervenit. Habebat enim satis eloquentiæ, summam liberalitatem, magnam prudentiam cùm juris civilis, tum rei militaris. Tantâ fuit liberalitate, cùm compluribus locis prædia, hortósque haberet, ut nunquam eis custodem imposuerit fructûs servandi gratiâ: ne quis impediretur, quò minùs ejus rebus, quibus vellet, frueretur. Semper eum pedissequi cum nummis sunt secuti, ut, si quis opis ejus indigeret, haberet, quod statim daret, ne differendo videretur negare. Sæpe cùm aliquem videret minùs bene vestitum, suum amiculum dedit. Nulli fides ejus, nulli opera ejus, nulli res familiaris defuit. Multos locupletavit: complures pauperes mortuos, qui, unde efferrentur, non reliquerant, suo sumptu extulit. Sic se gerendo minimè est miran-

randum, ſi & vita ejus fuit ſecura, & mors acerba. *Corn. Nep. & Plut. in Cimon. Juſtin. l. 2. c. 15.*

Gallus Agrigentinus, vir opibus excellens, ſed multò etiam animo, quàm divitiis locupletior: ſempérque in erogandâ potiùs, quàm in contrahendâ pecunia occupatus, adeò ut domus ejus quaſi quædam munificentiæ officina crederetur. Illinc enim publicis uſibus apta munimenta exſtruebantur; illinc grata populi oculis ſpectacula edebantur; illinc epularum magnifici apparatus, libentíque animo annonæ ſubſidia tribuebantur; & cùm hæc univerſis, privatim alimenta inopiâ laborantibus, dotes virginibus, paupertate ſuppreſſis ſubſidia; detrimentorum incurſu quaſſatis ſolatia erogabantur: hoſpites quoque tum urbanis penatibus, tum etiam ruſticis tectis beningniſſimè excepti, variis muneribus donati dimittebantur. Quodam verò tempore quingentos ſimul Gelenſium equites vi tempeſtatis in poſſeſſiones ſuas compulſos aluit, ac veſtivit. Quid multa? Eum propemodùm ipſius liberalitatis viſcera conſtat habuiſſe. Ergo quod Gallus poſſidebat, omnium quaſi commune patrimonium erat, pro cujus ſalute & incrementis tum Agrigentina civitas, tum etiam vicinæ regiones votis excubabant. Colloca è contraria parte arcas inexorabilibus clauſtris obſeratas; nonne præſtantiorem aliquando exiſtimes illam impenſam, quàm hanc cuſtodiam? *Valer. l. 4. c. 8.*

(Benevolentia) beneficiis capitur maximè: ſecundo autem loco beneficâ voluntate benevolentia movetur, etiamſi res fortè non ſuppetit. Vehementer autem amor multitudinis commovetur ipsâ famâ & opinione liberalitatis, beneficentiæ, juſtitiæ, fidei, omniúmque earum virtutum, quæ pertinent ad manſuetudinem morum, ac facilitatem. Etenim illud ipſum, quod honeſtum decorúmque dicimus, quia per ſe nobis placet, animóſque omnium naturâ & ſpecie ſuâ commovet, maximéque quaſi perlucet ex eis, quas commemoravi, virtutibus: idcirco illos, in quibus eas virtutes eſſe remur, à naturâ ipsâ diligere cogimur. Hinc Titus, quia naturâ erat benevolentiſſimus, *amor ac deliciæ generis humani* appellatus eſt. Hoc illi propoſitum, & ſolenne fuit, ne quem accedentium ad ſe ſine ſpe dimitteret. Admonentibus verò domeſticis, quaſi plura polliceretur, quàm præſtare poſſet: *non oportere*, ait, *quemquam à ſermone principis triſtem diſcedere.* Atque etiam recordatus

Berman
1803

datus quondam ſuper cœnam, quod nihil cuiquam toto die præſtitiſſet, memorabilem illam, meritóque laudatam vocem edidit: *Amici, hodie diem perdidi.* Quædam ſub eo fortuita ac triſtia acciderunt, ùt incendium Romæ per triduum, totidémque noctes, & peſtilentia, quanta non temerè aliàs. In his tot adverſis ac talibus non modò principis ſollicitudinem, ſed & parentis affectum unicum præſtitit, nunc conſolando, nunc opitulando, quatenus ſuppeteret facultas. Extincto tam benigno Imperatore, majore civium damno, quàm ſuo, omnes tanquam in propriâ orbitate doluerunt; & ſenatus tantas mortuo gratias egit, laudésque congeſſit, quantas ne vivo quidem unquam & præſenti. *Sueton. in Tito. c.* 8. 10. 11. *Eutrop. l.* 7. 14.

Beneficia etiam feræ ſentiunt.

Officia feræ ſentiunt, nec ullum tam immanſuetum animal eſt, quod non cura mitiget, & in amorem ſuî vertat. Leonum ora à magiſtris impunè tractantur: Elephantorum feritatem uſque ad ſervile obſequium demeretur cibus. Adeò etiam, quæ extra intellectum atque æſtimationem beneficii ſunt poſita, aſſiduitas tamen meriti pertinacis evincit. *Sen.* 1, *Benef. c.* 3.

Appion, qui Polyhiſtor appellatus eſt, litteris homo multis præditus, rerúmque Græcarum plurimâ atque variâ ſcientiâ fuit. Ejus libri non incelebres feruntur, quibus omnibus ferme, quæ mirifica in Aegypto viſuntur, audiuntúrque, hiſtoriam comprehendit. Sed in iis, quæ audîſſe, vel legiſſe ſeſe dicit, fortaſſe à vitio, ſtudióque oſtentationis ſit loquacior. Eſt enim ſanè quàm in prædicandis doctrinis ſuis venditator. Hoc autem, quod in libro Aegyptiacorum V. ſcripſit, neque audîſſe, neque legiſſe, ſed ipſum ſeſe in urbe Româ vidiſſe oculis ſuis confirmat. In Circo maximo, inquit, venationis ampliſſimæ pugna populo dabatur. Ejus rei (Romæ cùm fortè eſſem) ſpectator, inquit, fui. Multæ ibi ſævientes feræ, magnitudine beſtiarum excellentes, omniúmque inuſitata aut forma erat, aut ferocia. Sed præter alia omnia leonum, inquit, immanitas admirationi fuit, prætérque omnes ceteros unius. Is unus leo corporis impetu, & vaſtitudine, terrificóque fremitu & ſonoro, toris, comiſque cervicum fluctuantibus,

animos

animos oculósque omnium in sese convertit. Introductus erat inter complures ceteros ad pugnam bestiarum Dacus, servus viri consularis. Ei servo Androdus nomen fuit. Hunc ille leo ubi vidit procul, repentè, inquit, quasi admirans stetit : ac deinde sensim ac placidè tanquam noscitabundus ad hominem accedit. Tum caudam more atque ritu adulantium canum clementer & blandè movet : hominísque sese corpori adjungit : cruráque ejus & manus propè jam exanimati metu, linguâ leniter demulcet. Homo Androdus inter illa tam atrocis feræ blandimenta amissum animum recuperat, paulatímque oculos ad contuendum leonem refert. Tum, quasi mutuâ recognitione factâ, lætos, inquit, & gratulabundos videres hominem & leonem. Eâ re prorsus tam admirabili maximos populi clamores excitatos dicit, arcessitúmque à Cæsare Androdum, quæsitámque causam, cur ille atrocissimus leonum uni parsisset? Androdus rem mirificam narrat, atque admirandam :

Cùm provinciam, inquit, *Africam proconsulari imperio meus Dominus obtineret ; ego ibi iniquis ejus & quotidianis verberibus ad fugam sum coactus ; & ut mihi à domino, terræ illius præside, tutiores latebræ forent, in camporum & arenarum solitudines concessi. Ac si defuisset cibus, consilium fuit, mortem aliquo pacto quærere. Tum sole*, inquit, *medio rapido & flagranti specum quamdam nactus remotam latebrosámque in eam me penetro, & recondo. Neque multò post ad eandem specum venit hic leo, debili uno & cruento pede, gemitus edens & murmura, dolorem cruciatúmque corporis commiserantia. Atque illic primo quidem conspectu advenientis leonis territum sibi & pavefactum animum dixit, sed postquàm introgressus*, inquit, *leo* (*uti re ipsa apparuit*) *in habitaculum illud suum, vidit me procul delitescentem, mitis & mansuetus accessit : & sublatum pedem ostendere mihi, & porrigere, quasi opis petendæ gratiâ, visus est. Ibi*, inquit, *ego stirpem ingentem vestigio pedis ejus hærentem revulsi : conceptámque saniem vulnere intimo expressi : accuratiúsque sine magna jam formidine, siccavi penitus, atque detersi cruorem. Illic tunc meâ operâ & medelâ levatus, pede in manibus meis posito recubuit, & requievit : atque ex eo die triennium totum ego & leo in eâdem specu, eodémque victu viximus. Nam quas venabatur feras, membra opimiora ad specum mihi suggerebat : quæ ego ignis copiam*

piam non habens, sole meridiano torrens, edebam. Sed ubi me, inquit, vitæ illius ferinæ jam pertæsum est, leone in venatum profecto, reliqui specum, & viam ferme tridui permensus, à militibus visus, apprehensúsque sum, & ad dominum ex Africa Romam deductus. Is me statim rei capitalis damnandum, dandúmque ad bestias curavit. Intelligo autem, inquit, *hunc quoque leonem, me tunc separato captum, gratiam nunc mihi beneficii & medicinæ referre.*

Hæc Appion dixisse Androdum tradit. Eáque omnia scripta, circumlatáque tabella populo declarat. Atque ideò cunctis petentibus, dimissum Androdum, & pœnâ solutum; leonémque illi suffragiis populi donatum. Postea, inquit, videbamus Androdum & leonem loro tenui revinctum, urbe totâ circum tabernas ire, donari ære Androdum, floribus spargi leonem, omnésque ferè ubique obvios dicere: *Hic est leo, hospes hominis, hic est homo medicus leonis. A. Gell. l. 5. c. 14.*

DE FORTITUDINE.

Vitiorum irritamenta sunt fugienda.

Non tantùm corpori, sed etiam moribus salubrem locum eligere debemus. Quemadmodùm inter tortores habitare nolim, sic nec inter popinas quidem. Videre ebrios per littora errantes, & comessationes navigantium, & symphoniarum cantibus perstrepentes lacus, & alia, quæ velut soluta legibus luxuria, non tantùm peccat, sed publicat, quid necesse est? Id agere debemus, ut irritamenta vitiorum quàm longissimè profugiamus. Indurandus est animus; & à blandimentis voluptatum procul abstrahendus. Vim Hannibalis hiberna solverunt: & indomitum illum nivibus atque Alpibus virum enervaverunt fomenta Campaniæ. Armis vicit, vitiis victus est. Nobis quoque militandum est: & quidem genere militiæ, quo nunquam quies, nunquam otium datur. Debellandæ sunt in primis voluptates, quæ (ùt vides) sæva quoque ad se ingenia rapuerunt. Si quis sibi proposuerit, quantum operis aggressus sit; sciet, nihil delicatè, nihil molliter esse faciendum: non est emolliendus animus. His cogitationibus intentum, loca seria sanctáque (ad habitandum) eligere oportet. Effeminat animos amœnitas nimia: nec dubiè aliquid ad corrum-

rumpendum vigorem poteſt regio. Quamlibet viam jumenta patiuntur, quorum durata in aſpero ungula eſt: in molli paluſtríque paſcuo ſaginata citò ſubteruntur. Et fortior miles ex confragoſo venit: ſegnis eſt urbanus & verna. Nullum laborem recuſant manus, quæ ad arma ab aràtro transferuntur. In primo deficit pulvere ille unctus & nitidus. Severior loci diſciplina firmat ingenium, aptúmque magnis conatibus reddit. *Seneca ep.* 51.

Divitiæ atque otium peſtes virtutis.

Priſcorum Romanorum virtus ùt labefactata fuerit, narrant his verbis Salluſtius & Paterculus: Ubi labore atque juſtitiâ reſpublica crevit, reges magni bello domiti, & populi ingentes vi ſubacti, Carthago, æmula imperii Romani, à ſtirpe interiit; cuncta maria terraéque patebant: fortuna ſævire ac miſcere omnia cœpit. Qui labores, pericula, dubias atque aſperas res facilè toleraverant, iis otium, divitiæ, optandæ aliis, oneri miſeriaéque fuêre. Non gradu ſed præcipiti curſu à virtute deſcitum, ad vitia transcurſum: vetus diſciplina deſerta, nova inducta: in ſomnum à vigiliis, ab armis in voluptates, à negotiis in otium converſa civitas. Primò pecuniæ, dein imperii cupido crevit. Ea quaſi materies omnium malorum fuêre. Poſtquàm divitiæ honori eſſe cœperunt, & eas gloriæ, imperium, potentia ſequebatur: hebeſcere virtus, paupertas probro haberi, innocentia pro malevolentia duci cœpit: Igitur ex divitiis juventutem luxuria, atque avaritia cum ſuperbia invaſêre. *Sall. Cat. c.* 10. 12. *Paterc. l.* 2. *c.* 1.

Nec Africanus quidem poſterior nos de ſe tacere patitur: qui cenſor cùm luſtrum conderet, ínque ſolito ſacrificio ſcriba ex publicis tabulis ſolenni ejus precationis carmine præiret, quo dii immortales, ut populi Romani res meliores amplioréſque facerent, rogabantur: *Satìs*, inquit, *bona ac magna ſunt: itaque precor, ut eas perpetuò incolumes ſervent.* Ac protinus in publicis tabulis carmen ad hunc modum emendari juſſit. Quâ votorum verecundiâ deinceps Cenſores in condendis luſtris uſi ſunt. *Valer. l.* 4. *c.* 1.

Mortem

Mortem ac dolorem contemnere fortis animi eſt.

Fortitudinis munera duo ſunt maxima, mortis, doloríſque contemptio. Utendum eſt igitur his, ſi virtutis compotes, vel potiùs ſi viri volumus eſſe. *Cic.* 2. *Tuſc. c.* 18.

Hoc meditatum ab adoleſcentia debet eſſe, mortem ut negligamus, ſine quâ meditatione tranquillo eſſe animo nemo poteſt. Moriendum enim certè eſt, & id incertum, an eo ipſo die. Qui autem id, quod vitari non poteſt, metuit, is vivere animo quieto nullo modo poteſt. *de Seneƈt*, c. 20. - 2. *Tuſc. c.* 1.

Stultum eſt timere, quod vitare non potes.
A morte ſemper homines tantundem abſumus:
Homo vitæ commodatus, non donatus eſt. *P. Syrus*
v. 901. *v.* 2. *v.* 306.

Non deterret ſapientem mors, quæ propter incertos caſus quotidie imminet, propter brevitatem vitæ nunquam longè poteſt abeſſe. Dedit nobis natura uſuram vitæ, tanquam pecuniâ, nullâ præſtitutâ die. Quid eſt igitur, quod quæratur, ſi repetit, cùm vult? eâ enim conditione acceperas. &c. Quæ verò ætas longa eſt? aut quid omnino homini longum? Apud Hyſpanim fluvium, qui ab Europæ parte in pontum influit, Ariſtoteles ait, beſtiolas quaſdam naſci, quæ unum diem vivant. Ex his igitur, horâ oƈtavâ quæ mortua eſt, proveƈtâ ætate mortua eſt, quæ verò occidente ſole, decrepita: eò magìs, ſi etiam ſolſtitiali die. Confer noſtram longiſſimam ætatem cum æternitate, in eâdem propemodùm brevitate, quâ illæ beſtiolæ, reperiemur. *Cic.* 1. *Tuſc. c.* 38. 39.

Contemnamus omnes ineptias: (quod enim levius huic levitati nomen imponam?) totámque vim benè vivendi in animi robore, ac magnitudine, & in omnium rerum humanarum contemptione ac deſpicientia, & in omni virtute ponamus. Nam nunc quidem cogitationibus molliſſimis effeminamur, ut, ſi ante mors adventet, quàm Chaldæorum promiſſa conſecuti ſumus, ſpoliati magnis quibusdam bonis, illuſi, deſtitutíque videamur. Quòd ſi exſpeƈtando & deſiderando, pendemus animis, cruciamur, angimur: prô dii immortales! quàm iter illud jucundum eſſe debet,

quo

quo confectò nulla reliqua cura, nulla sollicitudo futura sit! *ibid. c.* 40.

Quàm me delectat Thermamenes! quàm elato animo est! etsi enim flemus; cùm legimus, tamen non miserabiliter vir clarus emoritur. Qui cùm conjectus in carcerem triginta jussu tyrannorum (Atheniensium) venenum, ut sitiens, obduxisset, reliquum sic è poculo ejecit, ut id resonaret; quo sonitu reddito arridens, *propino*, inquit, *hoc pulchro Critiæ:* qui in eum fuerat (è tyrannis) teterrimus. Græci enim in conviviis solent nominare, cui poculum tradituri sint. Tum servo publico, qui venenum præbuerat: *vide igitur*, inquit, *ut hoc poculum continuò ad eum* (Critiam) *perferas.* Lusit vir egregius extremo spiritu, cùm jam præcordiis conceptam mortem contineret, veréque Critiæ mortem est eam auguratus, quæ brevì consecuta est. *Val. l.* 3. *c.* 2.

Non quàm diu, sed quàm bene vixeris, refert.

Nemo tam imperitus est, ut nesciat sibi quandoque moriendum. Tamen, cùm propè accesserit, tergiversatur, tremit, plorat. Nonne tibi videbitur stultissimus omnium, qui fleret, quòd ante annos mille non vixisset? æquè stultus est, qui flet, quòd post mille annos non vivet. &c. Utrumque tempus alienum est. In hoc punctum conjectus es: quod ut extendas, quousque extendes? quid fles? quid optas? perdis operam.

Desine fata deûm flecti sperare precando.

Rata & fixa sunt; atque magnâ & æternâ necessitate ducuntur. Non eris, nec fuisti: quid fles? eò ibis, quò omnia eunt. *Senec. ep.* 77.

Omnia debentur morti: paullúmque morati
Seriùs aut citiùs metam properamus ad unam.
Tendimus huc omnes, hæc est domus ultima nobis.
Ovid. Metam. l. 10. *v.* 32

Ad hanc legem natus es: hoc patri tuo accidit, hoc matri, hoc majoribus; hoc omnibus ante te, hoc omnibus post te. Quantus te populus moriturorum sequetur! quantus comitabitur! multa millia hominum & animalium hoc ipso

ipſo momento, quo tu mori dubitas, animam variis generibus emittunt. &c. Quomodò fabula, ſic vita: non quàm diu, ſed quàm bene, acta ſit, refert. *Seneca ibid.*

Quod cuique temporis ad vivendum datur, eo debet eſſe contentus. Breve tempus ætatis ſatìs eſt longum ad bene honeſtéque vivendum. *Cic. de Sen. c.* 19.

> Stat ſua cuique dies: breve & irreparabile tempus
> Omnibus eſt vita: ſed famam extendere factis
> Hoc virtutis opus. *Virg. Æneid.* 10. *v.* 467.

Major pars mortalium de naturæ malignitate conqueritur, quòd in exiguum ævi gignimur, quòd hæc tam velociter, tam rapidè dati nobis temporis ſpatia decurrant: adeò, ut exceptis admodùm paucis, ceteros in ipſo vitæ apparatu vita deſtituat &c. Verùm non exiguum temporis habemus, ſed multum perdimus. Satìs longa vita, & in maximarum rerum conſummationem largè data eſt, ſi tota bene collocaretur. Sed ubi per luxum ac negligentiam defluit, ubi nulli rei bonæ impenditur; ultimâ demum neceſſitate cogente, quam ire non intelleximus, transîſſe ſentimus. Ita eſt: non accepimus brevem vitam, ſed fecimus: nec inopes ejus, ſed prodigi ſumus, Sicut amplæ & regiæ opes, ubi ad malum dominum pervenerunt, momento diſſipantur: ac quamvìs modicæ, ſi bono cuſtodi traditæ ſunt, uſu creſcunt: ita vita, ſi ſcias uti, longa eſt. Ii verò ſoli uti ſciunt, qui ſapientiæ vacant. Non vivere bonum eſt, ſed bene vivere. Itaque non ut diu vivamus, curandum eſt, ſed ut bene. Longa eſt vita, ſi plena eſt. Quid illum octoginta anni juvant per inertiam exacti? Sapienter ac fortiter factis metiamur cujusque vitam, non tempore. Laudemus itaque, & in numero felicium reponamus eum, cui, quantulumcunque temporis contigit, bene collocatum eſt. *Senec. de brev. c.* 1. 2. *Ep.* 70. 93.

Circumſcribenda multis modis ira eſt.

Non expedit omnia videre, omnia audire. Multæ nos injuriæ tranſeant: ex quibus pleraſque non accipit, qui neſcit. Non vis eſſe iracundus? ne ſis curioſus. Qui inquirit, quid in ſe dictum ſit, qui malignos ſermones, etiamſi ſecretò habiti ſint, eruit, ſe ipſe inquietat. Quædam

dum interpretatio eò perducit, ut videantur injuriæ. Itaque alia differenda sunt, alia deridenda, alia donanda. Circumscribenda multis modis ira est. Pleraque in lusum, jocúmque vertantur. Socratem, ajunt, colapho percussum nihil amplius dixisse quàm *molestum esse, quòd nescirent homines, quando cum galea prodire deberent.* Aliâ vice mirantibus amicis, quod à protervo quodam homine calce impetitus patienter tulisset: *quid enim*, inquit, *si me asinus calce impetisset: num illi diem dixissem?* Denique cùm illum maledictis incessere quidam diceretur; hoc unum respondit: *bene*, inquit, *loqui non didicit. Senec. l.* 3. *de Ira. c.* 11. *Diog. Laërt. in Socr. segm.* 25. *&* 35.

Cato Major proscissus convitiis ab homine flagitioso & improbo: *Iniqua*, inquit, *tecum mihi pugna est. Tu enim probra facilè audis, & dicis libenter: mihi verò & dicere insuave, & audire insolitum. Plut. in Caton, T. I. p.* 341.

Lingua diligentissimè continenda.

Rectum est etiam in illis contentionibus, quæ cum inimicissimis fiunt, etiamsi nobis indigna audiamus, tamen gravitatem retinere, iracundiam repellere. Quæ enim cum aliquâ perturbatione fiunt, nec constanter fieri possunt, nec ab iis, qui adsunt, possunt probari. *Cic.* 1. *off. c.* 38.

Periclem in foro publica negotia tractantem improbus ac petulans homo maledictis insectabatur. Quæ cùm ille patienter ferret, nec ullum ad ea verbum reponeret diem totum perseveravit insectatio. Vesperi vultu, gressúque placido domum reversus est Pericles, insequente eodem nebulone, & omnibus contumeliis eum impetente. Aedes ingressurus, cùm jam nox esset, uni è servis mandavit, ut accenso lumine hominem comitaretur, ac reduceret domum. *Plut. in Pericl. Tom. I. p.* 154.

Dionem Academicum è convivio redeuntem maledicus quidam insectabatur, nulla non convitia in eum fundens. Tacebat intereà Dion: cui jam domum ingressuro cùm convitiator dixisset: *nihilne ad hæc respondes? nihil prorsus*, inquit Dion. *Stob. Serm.* 19.

Cùm Lacedæmoniorum legatus Geloni, Syracuſanorum regi, quædam dixiſſet, quibus offendi poſſe videbatur: *Spartane hoſpes*, inquit Gelon, *contumeliæ homini factæ ſolent ejus iram accendere: verùm tu, contumelioſis licèt in me verbis ſis invectus, non tamen induces me, ad vicem tibi contra decus reddendam. Herod. l. 7.*

Inſerit ſe tantis viris mulier alienigeni ſanguinis, quæ à Philippo rege temulento immerenter damnata: *provocarem*, inquit, *ad Philippum, ſed ſobrium.* Excuſſit crapulam oſcitanti, ac præſentia animi ebrium reſpicere, causâque diligentiùs inſpectâ, juſtiorem ſententiam ferre coëgit. Igitur æquitatem, quam impetrare non poterat, extorſit: ac præſidium potiùs à libertate, quàm ab innocentia mutuavit. *Valer. lib.* 6. *c.* 2.

Quantò ſuperiores ſumus, tantò nos ſubmiſſiùs geramus.

In rebus proſperis, & ad voluntatem noſtram fluentibus, ſuperbiam, faſtidium, arrogantiámque magnopere fugiamus. Nam ùt adverſas res, ſic ſecundas immoderatè ferre, levitatis eſt: præclaráque eſt æquabilitas in omni vitâ, & idem ſemper vultus, eadémque frons, ùt de Socrate, item de C. Cælio accepimus. Philippum quidem Macedonum Regem, rebus geſtis & gloriâ ſuperatum à filio: facilitate & humanitate video ſuperiorem fuiſſe. Ingenti clade apud Chæroneam Athenienſes ac Thebanos affecerat Philippus, & magnos propter tam claram victoriam animos gerere poſſe videbatur. Verùm ille, quo die parta eſt victoria, non ſolita ſacra fecit, non in convivio riſit, non ludos inter epulas adhibuit, non coronas aut unguenta ſumpſit: & quantum in illo fuit, ita vicit, ut victorem nemo ſentiret: ſed nec regem ſe Græciæ, ſed ducem appellari juſſit. Atque inter tacitam lætitiam & dolorem hoſtium temperavit, ut neque apud ſe exultâſſe, neque apud victos inſultâſſe videretur. Athenienſibus, quos paſſus infeſtiſſimos fuerat, & captivos gratìs remiſit, & bello conſumptorum corpora ſepulturæ reddidit, reliquiáſque funerum, ut ad ſepulchra majorum deferrent, ultro hortatus eſt. Denique adeò nihil ſuperbè, nihil inſolenter egit, ut voluerit ſibi deinceps ab uno è ſervis ſuis ſingulis die-

diebus manè in memoriam revocari, se hominem esse. Itaque nec foras ipse prodibat, nec ad eum quisquam manè priùs intrabat, quàm puer ei ter acclamâsset: *Philippe homo es.* *Cic.* 1. *off. c.* 26. *Justin. l.* 9. *c.* 4. *Aelian. l.* 8. 15.

Viri boni nati sunt in exemplar, & eos sibi præparat DEUS.

Quare boni viri quædam dura patiuntur? (paupertatem, exilium, & alia ejusmodi?) ut etiam alios pati doceant. Nati sunt in exemplar. Puta itaque Deum dicere: Quid habetis, quod de me queri possitis vos, quibus recta placuerunt? Aliis bona falsa circumdedi: & animos inanes velut longo fallacíque somnio lusi: auro illos, argento & ebore ornavi: intus boni nihil est. Isti, quos pro felicibus aspicitis, si non quà occurrunt, sed quà latent, videritis, miseri sunt, sordidi, turpes, ad similitudinem parietum suorum extrinsecùs culti. Non est ista solida, & sincera felicitas; crusta est, & quidem tenuis. Itaque dum illis licet stare, & ad arbitrium suum ostendi, nitent & imponunt: cùm aliquid incidit, quod disturbet, ac detegat: tunc apparet, quantum antehac fœditatis alienus splendor absconderit. Vobis dedi bona certa, mansura: quantò magìs versaveritis, & undique inspexeritis, meliora, majoráque. Permisi vobis metuenda contemnere; cupienda fastidire. Non fulgetis extrinsecùs: bona vestra introrsus obversa sunt. Sic mundus exteriora contempsit, spectaculo suo lætus intus omne posuit bonum. Non egere felicitate felicitas vestra est. At multa incidunt tristia, horrenda, dura toleratu. Quia non poteram vos istis subducere, animos vestros adversùs omnia armavi. Ferte fortiter: hoc est, quo Deum antecedatis. Ille extra patientiam malorum est, vos supra patientiam. Contemnite paupertatem. Nemo tam pauper vivit, quàm natus est. Contemnite dolorem: aut solvetur, aut solvet. Contemnite fortunam: nullum illi telum, quo feriret animum, dedi. *Seneca de prov. c.* 6.

DE TEMPERANTIA.

Disce parvo esse contentus.

Non illud præcipio, ut aliquid naturæ neges. Contumax

eſt, non poteſt vinci: ſuum poſcit; ſed ut, quidquid naturam excedit, ſcias precarium eſſe, non neceſſarium. Eſurio: edendum eſt. Utrùm panis hic ſit plebejus, an ſiligineus, ad naturam nihil pertinet. Illa ventrem non delectari vult, ſed impleri. Sitio: bibendum eſt. Utrùm hæc aqua ſit ex lacu proximo excepta, an ea, quam multâ nive cluſero, ut rigore refrigeretur alieno, ad naturam nihil pertinet. Illa hoc unum jubet, ſitim extingui. Utrùm ſit aureum poculum, an cryſtallinum, an 1. murrhinum, an Tiburtinus calix, an manus concava, nihil refert. Finem omnium rerum ſpecta, & ſupervacua dimittes. *Senec. Ep.* 110. *&* 119.

Civitates quædam univerſæ, more doctæ, parſimoniâ delectantur, ùt de Lacedæmoniis paulò ante diximus. Perſarum à Xenophonte victus exponitur: quos negat ad panem adhibere quidquam, præter naſturtium. Quanquam, ſi quædam etiam ſuaviora natura deſideret, quàm multa ex terrâ arboribúsque gignuntur cùm copiâ facili, tum ſuavitate præſtanti? *Cic.* 5. *Tuſc. c.* 34.

Bonæ valetudinis mater eſt frugalitas.

Valetudo ſuſtentatur notitiâ ſui corporis, & obſervatione, quæ res prodeſſe ſoleant, aut obeſſe; & continentiâ in victu omni atque cultu, corporis tuendi causâ; & prætermittendis voluptatibus: poſtremò arte eorum, quorum ad ſcientiam hæc pertinent. *Cic.* 2. *Off. c.* 24.

Medicina quondam paucarum fuit ſcientia herbarum, quibus ſiſteretur fluens ſanguis, vulnera coirent paulatim. Deinde in hanc pervenit tam multiplicem varietatem. Nec mirum, tunc illam minus negotii habuiſſe, firmis adhuc ſolidíſque corporibus, & facili cibo, nec per artem voluptatémque corrupto: qui poſtquàm cœpit non ad tollendam, ſed ad irritandam famem quæri, & inventæ ſunt mille condituræ, quibus aviditas excitaretur; quæ deſiderantibus alimenta erant, onera ſunt plenis. Inde pallor, & nervorum vino madentium tremor, & miſerabilior ex cruditatibus, quàm ex fame macies. Inde incerti labentium pedes, & ſemper qualis in ipsâ ebrietate titubatio. Inde in totam cutem humor admiſſus,

1. Murrhinum μύῤῥα, lapidis egregii ſpecies, ex quo vaſa potoria fiebant.

ſus, diſtentúsque venter, dum malè aſſueſcit plus capere, quàm poterat. Inde ſuffuſio luridæ bilis, & decolor vultus, tabésque in ſe putreſcentium, & retorti digiti articulis obrigeſcentibus, nervorum ſine ſenſu jacentium torpor, aut palpitatio ſine intermiſſione vibrantium. Quid capitis vertigines dicam? Quid oculorum auriúmque tormenta, & cerebri æſtuantis verminationes, & omnia, per quæ exoneramur, internis ulceribus affecta? Innumerabilia prætereà febrium genera, aliarum impetu ſubeuntium, aliarum tenui peſte repentium, aliarum cum horrore & multâ membrorum quaſſatione venientium? quid alios referam innumerabiles morbos, ſupplicia luxuriæ? Immunes erant ab iſtis malis, qui nondum ſe deliciis ſolverant. Qui ſibi imperabant, ſibi miniſtrabant, corpora opere ac vero labore durabant, aut curſu defatigati, aut venatu, aut tellure verſatâ; excipiebat illos cibus, qui nonniſi eſurientibus placere non poterat. Itaque nihil opus erat tam magnâ Medicorum ſuppellectile, nec tot ferramentis, atque pyxidibus. Simplex erat ex ſimplici cauſa valetudo. Multos morbos, multa fercula fecerunt. Vide, quantum rerum per unam gulam tranſiturarum permiſceat luxuria, terrarum marísque vaſtatrix. &c. Tranſeo piſtorum turbam, tranſeo miniſtratorum, per quos ſigno dato ad inferendam cœnam diſcurritur. Dii boni! quantum hominum unus venter exercet! *Sen. ep.* 95.

Cùm autem cœnaret Aſtyages, adhibitâ filiâ & Cyro, quòd puero cœnam illam gratiſſimam eſſe vellet, ut domeſtica minùs deſideraret: tum patinas ei, tum condimenta cibósque varios admovit. Ibi Cyrum dixiſſe ferunt: *Quantum tibi, mi Ave, negotiorum eſt in cœna, ſi quidem ad omnes iſtas patinas manus extendere neceſſe eſt, & cibos hóſce tam varios deguſtare!* Tum Aſtyages: *Quid*, inquit, *an non hæc tibi cœna multò videtur melior eſſe Perſicâ?* ad quæ Cyrus, *nequaquam Ave*, reſpondit. *Nam via multò ſimplicior apud nos & rectior eſt ad ſatietatem, quàm apud vos. Etenim ad eam panis & caro nos deducunt; cùm vos eòdem, quò nos, tendentes multas per ambages vix eò tandem perveniatis, quò dudum delati nos eramus. Xenoph. Cyrop. l.* 1. *c.* 9.

Turpis eſt ebrietas.

Ariſtippus cuidam glorianti, quòd multum bibens non inebria-

briaretur: *hoc*, inquit, *etiam mulus facit.* Sic Demosthenes, cùm legati ad Philippum missi, atque inde Athenas reversi Philippum commendarent, ùt disertissimum & specie pulcherrimum, & verò etiam strenuum potatorem, & hilarem in convivio: non potuit abstinere, quin interverteret ea, & cavillaretur primum sophistæ, fœminæ alterum, postremum esse spongiæ, regis laudem esse nullam. Regem eo nomine laudarent, quod plurimum biberet: *hoc*, inquit, *ei cum spongia commune est. Diogenes Laërt. in Aristipp. segm.* 33. *Plut. in Demosth. Tom. I. p.* 855.

Mirabatur Anacharsis, quòd Græci initio convivii cyathis parvis uterentur, ubi verò saturati essent, majoribus: judicans potum adhibendum esse tantùm ad sedandam sitim: absurdum igitur esse tum bibere, cùm jam sitis esset sedata. Idem interrogatus, quo pacto quis vitare posset, ne vini potator fieret: *Si*, inquit, *præ oculis habeat ebriorum indecora facta, dictaque.* Hinc Lacedæmonii, ut liberos ab ebrietate absterrerent, servos multum vini bibere coactos, atque ita ebrios, in eorum conspectum jubebant venire. *Diog. Laërt. in Anach. segm.* 104. 103. *Plut. in Lycurg. Tom I. p.* 57.

Ebrietas unius horæ hilarem insaniam longi temporis tædio pensat. Sen. ep. 59.

Cùm Astyagi mirum videretur, quòd Cyrus puer pincernam Sacam egregiè imitatus in porrigendo sibi poculo ad bibendum, non prægustâsset vinum, ùt ille solebat: causam ab eo quæsivit. Cui Cyrus, *metuebam*, inquit, *ne vino admistum venenum esset.* Nam cùm tu nuper die natali amicos convivio exciperes, Sacam istum vobis venenum infudisse animadverti. Videbam vos nec animis nec corporibus constare. Quæ nos pueros facere vetatis, ea faciebatis ipsi. Omnes simul vociferabamini, neque quisquam, quid ab altero diceretur, attendebat. Cantabatis ridiculè admodùm, jurabatis tamen cantum illum esse optimum. Quin etiam cùm surrexissetis ad saltandum, non modò non saltare ad numeros, sed ne recti quidem stare poteratis: prorsúsque obliti eratis & tu, & illi, regem esse te. Tum Astyages, *an verò*, inquit, *fili mi, pater tuus, cùm bibit, non fit ebrius?* *Nunquam profectò*, respondit ille: *sitire enim tantùm desinit. Xenoph. de instit. Cyri l.* 1. *c.* 10.

Ado-

Adolescentis est majores natu revereri.

Legibus cautum erat apud Lacedæmonios, ut adolescentes non solùm parentes suos revererentur, eísque obedirent: sed seniores quoque omnes colerent. Itaque de via illis decedebant, è sedibus assurgebant, & consistebant quieti ac verecundantes, dum illi transirent. *Plut. in Lacon. Instit. Tom. II. p.* 237.

Cuilibet seni non modò licebat juniores omnes monere, & verbis castigare; verùm etiam proposita pœna erat hoc officium non præstanti: ita ut, qui peccantem juvenem increpare neglexisset, perinde puniretur, ac si ipse peccâsset. Quin id moris erat, ut juniores à senioribus sibi obviàm factis interrogarentur, quònam, & cujus gratiâ irent? *Ibid.*

Apud Majores nostros juvenis ille, qui foro & eloquentiæ parabatur, imbutus jam domesticâ disciplinâ, refertus honestis studiis deducebatur à patre vel à propinquis ad eum oratorem, qui principem locum in civitate tenebat. Hunc sectari, hunc prosequi, hujus omnibus dictionibus interesse, sive in judiciis, sive in concionibus, assuescebat. Facillimè & in optimam partem cognoscuntur adolescentes, qui se ad claros & sapientes viros, bene consulentes reipublicæ, contulerunt. Quibuscum si frequentes fuerint, opinionem afferunt populo, eorum fore se similes, quos sibi ipsi delegerint ad imitandum. Ego, inquit Cicero, à patre ita eram deductus ad Scævolam, ut, quoad possem, & liceret, à senis latere nunquam discederem. Itaque multa ab eo prudenter disputata, multa etiam breviter & commodè dicta, memoriæ mandabam, fieríque studebam ejus prudentiâ doctior. Quo mortuo, me ad Pontificem Scævolam contuli, quem unum nostræ civitatis & ingenio & justitiâ præstantissimum audeo dicere. *Auct. Cor. Eloq. c.* 34. *Cic.* 2. *off. c.* 13. *de Amic. c.* 1.

Plurima audiamus, loquamur pauca.

Zeno inepta & nihil ad rem loquenti adolescentulo, *idcircò*, inquit, *aures habemus duas, & os unum, ut plura audiamus, loquamur pauca.* Idem interrogantibus eum legatis regis Ptolomæi, quid de se renuntiari regi vellet; *senem*, inquit, *renuntiate à vobis conspectum Athenis, qui inter pocula servare silentium sciat. Diog. Laërt. in Zenon. segm.* 23. 24.

Quid Xenocratis reſponſum, quàm laudabile! cùm maledico ſermoni quorundam ſummo ſilentio intereſſet; uno ex his quærente, cur ſolus ita linguam ſuam cohiberet: *quia dixiſſe me*, inquit, *aliquando pœnituit*, *tacuiſſe nunquam*. *Val. l.* 7. *c.* 2.

Q. Cæcilius Metellus Macedonicus amico cuidam, quid eſſet acturus roganti? *tunicam*, inquit, *meam exurerem*, *ſi eam conſilium meum ſcire exiſtimarem*. *A. Vict. c.* 65.

Antigonus, Philippo filio multis præſentibus quærente, quando caſtra moturus eſſet? *ecquid*, inquit, *times*, *ne ſolus tubam non audias? Plut. Apoph. Tom. II. p.* 182.

Sermo in circulis, diſputationibus, congreſſibus familiarium verſetur, perſequatur etiam convivia &c. Sit hic ſermo lenis minimèque pertinax: inſit in eo lepos. Nec verò, tanquam in poſſeſſionem ſuam venerit, excludat alios: ſed cùm reliquis in rebus, tum in ſermone communi viciſſitudinem non iniquam putet, ac videat inprimis, quibus de rebus loquatur: ſi ſeriis, ſeveritatem adhibeat; ſi jocoſis, leporem &c. ſed quomodò in omni vitâ rectiſſimè præcipitur, ut perturbationes fugiamus, id eſt, motus animi nimios, rationi non obtemperantes: ſic ejusmodi motibus ſermo debet vacare, ne aut ira exiſtat, aut cupiditas aliqua, aut pigritia, aut ignavia, aut tale aliquid appareat. Profert enim mores plerumque oratio, & animi ſecreta detegit. Nec ſine cauſa Græci prodiderunt, ut vivat, quemque etiam dicere. Maximè verò curandum, ut eos, quibuſcum ſermonem conferimus, & vereri, & diligere videamur. *Cic.* 1. *off. c.* 37. 38. *Quintil. l.* 11. *c.* 1.

Periculoſum eſt etiam ad orationis obſcœnitatem progredi. Cùm igitur tale quidpiam inciderit, aut ſi feret opportunitas, objurgabis eum, qui ſermonem illum injecerit; aut taciturnitate ſaltem, & rubore, vultúque oſtendes, eam orationem tibi diſplicuiſſe. *Epict. c.* 55.

CAR-

CARMINA ELEGIACA SELECTA EX OVIDIO NASONE,

ET PRAECIPUIS QUIBUSDAM ELEGIARUM SCRIPTORIBUS VETERIS, AC RECENTIORIS AEVI,

UNA CUM

SUCCINCTA DE ELEGIACO CARMINE DOCTRINA, ET FLORIBUS EX OVIDIO DELIBATIS.

DE CARMINE ELEGIACO

§. I.

DE NATURA ET DIVISIONE ELEGIACAE POESEOS.

ELegia ἀπὸ τοῦ ἔλεος λέγειν, quasi Eleolegia, ex prima institutione lugubri potissimùm materiæ destinata fuerat; posteà genus illud flebile ac querulum ad Vota, Querelas, Desideria, aliósque leniores affectus, denique ad felices rerum eventus, Gratulationes, festivos ac hilares Jocos, ad quævis passim argumenta adhiberi cœpit. Est hoc Poëmatis genus inter omnia propemodùm vulgatissimum; ejúsque artificium potest ex affectuum magisterio, & scribentis indole potiùs, quàm ex definitis præceptis repeti: modò illud attendatur, ut nitidum, clarum, ac facile car-

carmen haud vulgari inventione naſcatur. Solet tamen duplex Elegiarum genus maximè diſtingui; Elegiacas epiſtolas alterum, alterum Elegiacas quaſvis narrationes lætiores æquè, ac triſtiores complectitur. Atque hoc ab ipſo Elegiarum Principis Ovidii exemplo. Facilè enim obſervabis, alio Naſonem in Faſtis, alio in Epiſtolis Heroidum colore res ducere: illic ſine impetu fluit: placidâque in aura exporrigitur: hìc omni affectu verſatus omnem penè formam verbis, ſententiis, figuríſque induit. De gemino hoc capite paucis commemorandum eſt.

§. II.

DE PRIMO ELEGIARUM GENERE.

Qui è præceptis ſupra traditis aliquam contexendarum Epiſtolarum rationem perceperit, facilè, quid in Elegia Epiſtolæ formam imitante præſtandum ſit, intelliget. Iisdem penè partibus, liberiori tamen expolitione, conſtare ſolet, hoc ferè ordine:

I. *Formula exordiendi:* ipſo initio nomen plerumqüe ſcriptoris indicatur: habet aliquam conteſtationem & indicium affectûs illius, quo ſcribitur epiſtola: additur aliquando habitus ſcribentis. v. g. *madentes genæ*, *dilaceratæ comæ &c.* locus item, & tempus, quo ſcribitur.

II. *Antecedens.* Aggredimur proponere cauſam noſtrarum litterarum, quod fit plerumque occultè, & breviſſimè, ſæpius per Affectum. v. g. *Ah! ubi lentus abes?* Nempe Elegia, ubi ubi poteſt,

test, affectus sectatur. Tum rem propositam probamus argumento plerumque latissimo: de hujus inventione non laborabit, qui affectu occupatus scripserit.

III. *Connexio.* Ornatur & amplificatur ratio vel per *similitudines*, & *parium*, *dispariúmve rerum exempla*, vel per *veterum expositos ritus*, *historiásve*, vel per *fabulas*, *fictionésve poëticas*: item per *vota*, *præsagia*, *imagines* & *simulacra* etiam per somnum objecta, vel per *digressiones*, *descriptionésque rerum adjunctarum*, quas *Episodia* appellant: denique per expositionem quorumvis adjunctorum. Commodè etiam elegantérque inducuntur *Miserationes*, *Conquestiones*, *Exclamationes*, *Apostrophæ*, *Prosopopœiæ*. Interlucent interdum *Acumina*, & si quis est alius hujus generis cultus.

Consequens & formula finiendi, affectus potentiores habet; spondet observantiam, gratum animum, memoriam sempiternam &c. Sæpe epistola sententiâ argutè clauditur, sæpe votum suspendit, atque ipsa carmina votorum recitat: sæpe aram, monumentum, tumulum erigit: &c. finit etiam versu sententiâve, quâ cæperat, repetitâ &c. Ejusmodi formulæ, utì è scriptoribus Prosaicis ad epistolam solutæ dictionis scribendam notandæ; ita hic ex Ovidio cetерísque Elegiographis solerter excerpendæ Candidato Poëtices sunt. Sufficiam exempli causâ Elegiarum par, quod ad declarandum ejusmodi epistolæ artificium proponit P. Jacobus Masenius in palæstra stili ligati.

FER-

FERDINANDUS GONZAGA S. ALOYSIUM FILIUM, A VIA ET PROPOSITO RELIGIONIS, CUI NOMEN DARE FESTINABAT, REVOCARE CONATUR.

ELEGIA EPISTOLARIS. I.

QUam tibi nunc mitto, reddes, Gonzaga! ſalutem,
 Cùm te reddideris, ſpes mea nate! patri. — *Formula Exordiendi.*
Cerne meas lacrymas (nec enim ſimulabo dolorem)
 Cerne preces: gnato ſupplicat ipſe pater.
Ne pereas, oro; decet iſthæc cura parentem,
 Te procul à triſti qui cupit eſſe rogo. — *Antecedens.*
Præcipitem video rapit inconſulta voluntas:
 Quâque negant vires, hâc jubet ire viâ.
An neſcis? lædunt teneros juga dura juvencos; — *Connexio, cum*
 Quæ volat ante diem plumea turba, perit. — *Illuſtrationib.*
Dum rudis eſt, patrio ſatiatur bucula campo;
 Dum tener, in pratis exſpatiatur, equus.
Præripis ætati: nondum hæc concedit eremum,
 Fac, humeris tantum par onus eſſe tuis.
Non ego, Nate! tibi pater adverſabor eunti,
 Eripiámque tuâ præſtita vota manu:
I, licet, aſt juſtos concede laboribus annos,
 His ætas nondum eſt uſibus apta tibi.
Qui puer es, cur æqua viro moliris? & ipſos
 Viſa fuit moles tanta gravare viros.
Ille per Hipponis quondam celeberrimus oras, — *Exempla.*
 Quémque Tageſtcæ progenuêre domus:
Vir fuit, hoc tanto cùm ſeſe accenderet auſu;
 Vix tamen huic vires attulit ipſe pares.
Vir fuit ipſe tuus, modò quem ſectabere, ductor,
 Quem conſtat pavido contremuiſſe metu.
Quod Lojola timet, poteris Gonzaga timere;
 Qui fuit, hunc etiam te decet eſſe virum.
Hoc precor, hoc moneo; nolim te cedere votis; — *Optatio.*
 Lojolæ ſimilem te magìs eſſe velim.
Si parére voles, meliùs parebis utrique,
 Illius exemplo, conſilióque meo.

Eſt aliquid, quo cœca ſolet peccare juventus,
 Ingenii vitio quælibet aura movet.
Quod placuit rudibus, dum ferbuit impetus, annis; *Sententia.*
 Vidimus hoc multis diſplicuiſſe viris.
Teſtis Hero, mundum primo qui fugerat ævo: *Exempla.*
 Hic viſus mundum rurſus adire ſenex.
Vixerat Origenes juvenis ſine crimine vitæ:
 In ſenio fidei turpis adulter erat.
Ne nimiùm properes: ſemel ùt penetraveris intrò,
 Non licet illatos inde referre pedes.
Semper aperta via eſt, dum nondum clauſtra ſubîſti,
 Cùm ſemel intrâris, ſemper operta via eſt.
Integra libertas nullo diſcrimine conſtat;
 Perdita diſcrimen non leve mentis habet. *Sententia.*
Nitimur in vetitum, dum libertate potimur;
 Subdimus impoſito libera colla jugo:
Aſt ubi libertas vinclis adſtricta tenetur,
 Subtrahimus juſto colla premenda jugo.
Hoc metuo, ne quod ſuaſit temeraria virtus,
 Hoc luat infami nomine tota domus.
Dum licet, obſiſtas; & partæ conſule famæ:
 Cauſa tua hæc omnis poſteritatis erit. *Miſeratio.*
Negligis hic patrem, ſerósque ex patre nepotes,
 Cunctorum labes unius error erit.
Ergo redi, donec maturis firmior annis *Metus.*
 Et facienda ſcias, & patienda feras.
Si quis amor matris, matrem ne ſperne vocantem; *Conſequens,*
 Si quis amor patris, ne quoque ſperne patrem. *& obte-*
Hic, atque illa rogat; mater ſine pignore mœſta, *ſtatio.*
 Et ſenii feſſus debilitate pater.
Poſcimus auxilium: priùs hæc compone ſepulchro,
 Quæ de ſublato mors dabit oſſa ſene.
Audior? an proprium ſpernes modò, dure! parentem, *Petitio.*
 Hactenus obſequio qui mihi natus eras? *Obſecratio,*
Ne, precor, hiſtoriæ ſit pars hæc ultima noſtræ, *& Form.*
 Deſertum in ſenio me jacuiſſe patrem. *finalis.*

II.

S. Aloyſius Patri reſpondet, atque in via, & propoſito perſiſtit.

Quam præſens nequeo, tibi reddant aſtra ſalutem:
 Quæ venit inde ſalus, plenior eſſe ſolet. *Formulæ Exord.*
Cùm dederis lacrymas, lacrymis penſamus easdem;
 Non tamen expreſſit mœror, amore fluunt.
Quàm cuperem gaudere patrem! lætarer & ipſe *Antecedens,*
 Materies certè nulla doloris eram. *& Vota.*
Ne peream moneor; juvat hìc audire parentem:
 Ne peream, cœpti cura laboris erit.
Fluctuat incertis jactatus motibus orbis, *Connexio.*
 Tutiùs in placidis cymba feretur aquis.
Non ego me primum ventis his credo ferendum, *Allegoria.*
 Plurimus hoc noſtrum navita carpit iter.
Nec celer ætatem cupido præverto labore:
 Immatura polo vix ſolet eſſe dies. *Sententia.*
Qui tener inſuetâ ſtivam cervice juvencus
 Suſcipit, in bobus fortis aratra feret.
Qui rudis aſſueſcit, diſcet parére lupatis,
 Qui ſerò patitur frena, repugnat equus. *Comparationes conglobatæ.*
Quæ roſa purpureo vernat ſpectabilis ævo,
 Carpitur; exuſtis diſplicet illa comis.
Quæ prior erubuit fæcundis uva racemis,
 Uva ſolet primo gratior eſſe botro.
Aetas noſtra DEO eſt puerilibus aptior annis,
 Primitias operum vendicat ille ſibi.
Me Calybita docet, quâ ſint ætate colendi
 Cœlicolæ, quantum prima juventa ferat.
Illud Aquinatum lumen, fideíque, virilem
 Prævertit juvenis relligione togam. *Exempla.*
Vix ubi prætextam poſuit Joſaphatus, eremum
 Præpoſuit ſceptris, Indica terra, tuis.
Invenies primâ nondum lanugine tinctos,
 Quos ubi divino traxit amore polus:
Non honor illecebris, non mollia lina voluptæ
 Hos cœli poterant illaqueare procos: *Repetitio.*
Non pater inflexit, quamvìs obniſús, euntes,
 Sed propè calcatum præteriêre patrem.

Fortè

Fortè dabat mater lacrymas; ſprevêre dolentem:
 Brachia prætendit; brachia pulſa tulit.
Et pretium atque preces, & verbera ſpreta videmus,
 Quos DEUS impellit, nulla repulſa tenet.
Mitius ingenium nobis natura reliquit:
 Non ea vis animi viſa fuiſſe mei.
Oravi matrem, favit perſuaſa roganti:
 Oravi patrem: nexuit ille moras. *Narratio.*
Duravi, contráque moras patientia longas
 Profuit: hâc victus crederis eſſe pater!
Quid malè reclamas? Quod tot potuêre tenelli, *Communi-*
 Ne, rogo, Gonzagas hoc quoque poſſe neges. *catio.*
Das Auguſtinum mihi, Lojolámque ſequendos:
 Quis neget Edmundum me quoque poſſe ſequi? *Refutatio.*
Nos juvenes rectè juvenes facienda docebunt:
 Sit Lojola viris dux, Calybita mihi.
Quid? quod utrumque virum memorant doluiſſe, juventam
 Tam malè conſultis interiiſſe viis.
Hinc luctæ, ſtimulíque graves, radíxque malorum
 Altiùs in tenero pectore nata ſtetit. *Sequela.*
Quod priùs indultum eſt ſtulto ſinè laudibus ævo,
 Materies illis longa doloris erat.
Nemo ſenex doluit, ſuperis quòd ſerviit infans;
 Quòd non ſerviêrit, ſæpe ſenex doluit.
Si quis retro pedem vitio deflexit iniquo:
 Illius exemplo cautior eſſe ſciam.
Effugiunt reliquæ, ſociâ pereunte, columbæ:
 Quæque parem videt in ſtamine, tranſit avis. *Inductiones.*
Ut vites ſcopulos, læſæ docuêre carinæ:
 Quo cadis, hoc alter tutius ibit iter.
Nec libertati metuas, pater optime! noſtræ:
 Libertas tantùm nomen inane fuit. *Conſolatio.*
Hactenus infeſto teneor captivus in orbe;
 Nunc libertatem vincula rupta dabunt.
Rex in ſervitio eſt, caſtè qui ſervit olympo,
 Servus in imperio eſt, quisquis in orbe regit. *Sententia.*
Virtus ſola præeſt: vitium ſervire videmus:
 Imperium nullum majus in orbe ſuî eſt.
Aſpicis, ad quantos aſpiret natus honores? *Gaudium.*
 Sunt, quæ deſerui, vilia; magna peto.

Quid tibi cum famâ eſt? famam virtute paramus:
Si cupias famam quærere, quære polum.
Hoc iter inſiſtam, quamvìs ringatur avernus,
Proderit ad ſtimulos fama petita meos. — *Conſequens.*
Proderit hoc ſtudio ſuadere virentibus annis:
Quem bibit olla recens, ſpirat odore diu.
Hoc pede, quo tendunt pueri, conſtantiùs itur,
Quam juvenis didicit, vir ſolet ire viam.
Unde pater revocas, DEUS ipſe vocavit, euntem: — *Stupor.*
Quid petis? an potior vis pater eſſe DEO?
Obſtabit mater? matrem hìc contemnere poſſum:
Si pater obſiſtas, hìc quoque ſperno patrem. — *Minæ & ſolatia.*
Attamen haud ſpernam: ſupplex proſtratus ad aras
In votis eritis maxima cura meis.
Hoc erit auxilium, quo natus utrumque parentem
Proſequar, obſequium poſcitis? illud erit.
Cetera vana reor. Quis te componat in urnâ,
Neglige: ſufficiant aſtra DEUSque tibi. — *Formula finalis.*
Aſtra tibi rurſum jungant, tua pignora, natos:
Hæc deſiderii meta capútque mei eſt.

§. III.

DE ALTERO GENERE ELEGIARUM.

Elegia narratoria: utì ſi venatio, ludus, convivium &c. deſcribatur, præter ea præcepta, quæ de narratione poëtica dantur, continet *Comparationes*, *fabulas*, *deſcriptiones*, *colloquia*, omnémque illum ornatum, figuras & affectus, qui ſupra laudati ſunt. Elegiæ aliæ, quæ argumentum habent *natalitium*, *panegyricum*, *epinicium*, *propempticum &c.* propriis eorundem carminum modis ac regulis efferuntur. De his vide P. Joannis Derkeni S. J. obſervationes poëticas, & nonnulla exempla inferiùs ſubjicienda.

PARS

PARS PRIMA
DE
ELEGIIS PRIMI GENERIS.

EX OVIDIO
L. I. de Ponto Elegia IV.

ARGUMENTUM : *Dicit, se ex Rufini litteris aliquid solatii percepisse, suum tamen dolorem justis ex causis quotidie recrudescere.*

Hanc tibi Naso tuus mittit, Rufine, salutem:
 Qui miser est, ulli si 1. suus esse potest.
Reddita confusæ nuper solatia menti
 Auxilium nostris spémque tulêre malis.
Utque Machaoniis 2. Pæantius artibus herôs.
 Lenito medicam vulnere sensit opem:
Sic ego mente jacens, & acerbo saucius ictu;
 Admonitu cœpi fortior esse tuo.
Et jam deficiens sic ad tua verba revixi,
 Ut solet affuso vena redire mero.
Nec tamen exhibuit tantas facundia vires,
 Ut mea sint dictis pectora sana tuis.
Ut multum nostræ demas de gurgite curæ,
 Non minùs exhausto, quod superabit, erit:
Tempore ducetur longo fortasse cicatrix,
 Horrent admotas vulnera cruda manus.
Non est in Medico semper, relevetur ut æger ;
 Interdum doctâ plus valet arte malum.
Cernis, ùt è molli sanguis pulmone remissus
 Ad stygias certo limite ducat aquas

1. *Si suus*) *Tuus* dixerat ; nunc corrigit : *si tamen miser alicujus esse potest.*

2. *Pæantius heros*) Philoctetes Pæantis filius in Insula, & antro Lemnio, Herculis sagittâ casu in pedem ejus delapsâ saucius.

Afferat ipse licèt sacras 2. Epidaurius herbas,
Sanabit nullâ vulnera cordis ope.
Tollere 3. nodosam nescit medicina podagram;
Nec 4. formidatis auxiliatur aquis.
Cura quoque interdum nulla est medicabilis arte;
Aut si sit, longâ est attenuanda morâ.
Cùm bene firmârunt animum præcepta jacentem,
Sumptáque sunt nobis pectoris arma tui:
Rursus amor patriæ, ratione valentior omni,
Quod tua texuerunt scripta, retexit opus.
Sive pium vis hoc, seu vis muliebre vocari,
Confiteor misero molle cor esse mihi.
Non dubia est 5. Ithaci prudentia: sed tamen optat
Fumum de patriis posse videre focis.
Nescio, quâ natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non sinit esse sui.
Quid melius Româ? Scythico quid frigore pejus?
Huc tamen ex illâ barbarus urbe fugit.
Cùm bene sint clausæ caveâ 6. Pandione natæ,
Nititur in silvas quæque redire suas.
Assuetos tauri saltus, assueta leones
(Nec feritas illos impedit) antra petunt.
Tu tamen exilii morsus ex pectore nostro
Fomentis speras cedere posse tuis.
Effice, vos ipsi ne tam mihi sitis amandi,
Talibus ut levius sit caruisse malum.
At, puto, quâ fueram genitus, tellure carenti
In tamen humano contigit esse loco.
Orbis in extremi jaceo desertus arenis,
Fert ubi perpetuas obruta terra nives.
Non ager hic pomum, non dulces educat uvas,
Non salices ripâ, robora monte virent.
Néve fretum laudes terrâ magis, æquora semper
Ventorum rabie, solibus orba, tument.

Quo-

2. *Epidaurius*) Aesculapius, Apollinis filius.

3. *Nodosam*) Podagra, cùm in nodos transit, curari non potest.

4. *Formidatis*) est morbus, græcè ὑδροφοβία, quo æger aquam bibere reformidat; creat etiam in sitiente aversionem omnis potûs cum convulsione & singultu.

5. *Ithaci*) Ulyssis.

6. *Pandione natæ*) Philomelæ, ab Athenarum Regis Pandionis filiâ in lusciniam mutatâ.

Quocunque aſpicias: campi cultore carentes,
Vaſtaque, quæ nemo vindicet, arva jacent.
Hoſtis adeſt dextrâ lævâque à parte timendus,
Vicinóque metu terret utrumque latus.
Altera Biſtonias pars eſt ſenſura ſariſſas,
Altera Sarmaticâ ſpicula miſſa manu.
I nunc, & veterùm nobis exempla virorum,
Qui forti caſum mente tulêre, refer.
Et grave magnanimi robur mirare 7. Rutiliî,
Non uſi reditûs conditione dati.
Smyrna virum tenuit, non Pontus & hoſtica tellus,
Smyrna minùs nullo pœne petenda loco.
Non doluit patriâ 8. Cynicus procul eſſe Sinopêus,
Legit enim ſedes, Attica terra! tuas.
Arma 9. Neoclides qui Perſica contudit armis
Argolicâ primam ſenſit in urbe fugam.
Pulſus Ariſtides patriâ Lacedæmona fugit,
Inter quas dubium, quæ prior eſſet, erat.
Cæde puer factâ 10. Patroclus 11. Opunta reliquit,
Theſſalicámque adiit hoſpes Achillis humum.
Exul ab 12. Aemonia 13. Pirenida ceſſit ad undam,
14. Quo duce trabs Colchas ſacra cucurrit aquas.
Liquit 15. Agenorides Sidonia mœnia Cadmus,
Poneret ut muros in meliore loco.

7. *Rutiliî*) Vir doctus fuit Rutilius & vitæ integræ, per invidiam Româ pulſus.

8. *Cynicus Sinopeus*) Diogenes patriâ Sinopeus in exilium voluntarium Athenas conceſſit.

9. *Neoclides*) Themiſtocles Athenienſis, Neoclis filius.

10. *Patroclus*) Menætii filius, cùm talis luderet Aphidamantis filium Eanen, ſiveCiſonymum occidit, fugit in urbem Theſſaliæ Phtiam ad Peleum, ubi cum Achille neceſſitudinem contraxit.

11. *Opunta*) Ex Opunte Locridis oppido oriundus erat Patroclus.

12. *Aemonia* vel *Hæmonia*) Theſſalia.

13. *Pirenida*) à fonte Pirene manantem.

14. *Quo duce*) Jaſon fuit, qui Peliæ ſuaſu in Colchicam expeditionem navigavit.

15. *Agenorides*) Cadmus Agenoris, Regis Phœniciæ, in quâ urbs Sidon, filius juſſus eſt quærere Europam ſororem, nec, niſi inventâ illâ, redire. Exul in Bæotiam venit, & Thebas condidit.

Venit ad 16. Adrastum Tydeus Calidone fugatus;
Et 17. Teucrum Veneri grata recepit humus.
Quid memorem veteres Romanæ gentis? apud quos
Exulibus tellus ultima Tybur erat.
Persequar ut cunctos, nulli datus omnibus ævis
Tam procul à patria est, horridiórve locus.
Quò magìs ignoscat sapientia vestra dolenti,
Qui facit ex dictis non ita multa tuis.
Nec tamen inficior, si possint nostra coire
Vulnera, præceptis posse coire tuis.
Sed vereor, ne me frustra sanare labores,
Nec juver admotâ perditus æger ope.
Nec loquor hæc, quia sit major sapientia nobis,
Sed sim, quàm Medico, notior ipse mihi.
Ut tamen hoc ita sit, munus tua grande voluntas
Ad me pervenit, consuluíque boni.

16. *Adrastus*) Rex Archivorum, filius Talaonis. Ad hunc venit Tydeus regis Calydoniæ filius, occisor fratris Menalippi.

17. *Teucrum*) Teucer ob Ajacis fratris mortem Patri Telamoni invisus sponte in Cyprum contendit.

L. II. ELEGIA IX.

Argum. *Efflagitat auxilium à Rege Thraciæ.*

Regia progenies; cui nobilitatis origo
Nomen in 1. Eumolpi pervenit usque, 2 Coty!
Fama loquax vestras si jam pervenit ad aures,
Me tibi finitimi parte jacere soli:
Supplicis exaudi, juvenum mitissime, vocem,
Quámque potes, profugo (nam potes) affer opem.
Me fortuna tibi (de quâ quod non queror, hoc est)
Tradidit, hoc uno non inimica mihi.
Excipe naufragium non duro littore nostrum,
Ne fuerit terrâ tutior unda tuâ.
Regia, crede mihi, res est, succurrere lapsis,
Convenit & tanto, quantus es ipse, viro.

3. For-

1. *Eumolpi*) Eumolpus Neptuni & Chiones filius, Rex Thracum.

2. *Coty.*) Cotys vel Cotius, vel Cotyson, Thraciæ Rex fuit, imperium in Getas proferens.

3. Fortunam decet hoc istam, quæ maxima cùm sit,
Esse potest animo vix tamen æqua tuo.
Conspicitur nunquam meliore potentia causâ,
Quàm quoties vanas non sinit esse preces.
Hoc nitor iste tui generis desiderat: hoc est
A superis ortæ nobilitatis opus.
Hoc tibi & Eumolpus generis clarissimus auctor
Et prior Eumolpo suadet 4. Erichthonius.
Hoc tecum commune Deis, quòd utrique rogati
Supplicibus vestris ferre soletis opem.
Nam quid erit, quare solito dignemur honore
Numina, si demas, velle juvare Deos?
Juppiter oranti surdas si præbeat aures,
Victima pro templo cur cadat icta Jovis?
Si pacem nullam Pontus mihi præstet eunti,
Irrita Neptuno cur ego thura feram?
Vana laborantis si fiant vota coloni,
Accipiet gravidæ cur 5. suis exta Ceres?
Nec dabit 6. intonso jugulum caper hostia Baccho,
Musta sub inducto si pede nulla fluant.
Cæsar ut imperii moderetur frena, precamur,
Tam bene quòd patriæ consulit ipse suæ.
Utilitas igitur magnos hominésque, Deósque
Efficit, auxiliis quôque favente suis.
Tu quoque fac prosis intra tua castra jacenti,
O Coty! progenies digna parente tuo.
Conveniens homini est hominem servare voluptas,
Et meliùs nullâ quæritur arte favor.
Quis non 7. Antiphaten Læstrygona devovet? aut quis
Munifici mores improbat 8. Alcinoi?

Ee 4 Non

3. *Fortunam*) id est, statum tuum, o Rex, in quo versaris.

4. *Erichthonius*) Hic pedibus draco, ex Vulcano procreatus, Athenarum regnum, pulso Amphictyone, invasit. Ad hunc mater Eumolpi Chione genus suum referebat.

5. *Suis*) mactabatur Cereri sus, quia frugibus terræ præ ceteris animalibus infesta est.

6. *Intonso*) fingitur enim juvenis esse.

7. *Antiphaten*) Hic Læstrygonum Rex fuit omnino barbarus, habitans in extrema Italia Siciliam versùs. Unum ex Ulyssis sociis devorâsse ab Homero perhibetur.

8. *Alcinoi*) Rex fuit Phæacum justissimus; Ullyssem naufragum liberaliter excepit.

Non tibi 9. Cassandrêus pater est gentisque 10. Phereæ;
 Quive 11. repertorem torruit arte suâ.
Sed quàm Marte ferox, & vinci nescius armis,
 Tam nunquam, factâ pace, cruoris amans.
Adde, quòd ingenuas didicisse fideliter artes,
 Emollit mores, nec sinit esse feros.
Nec Regum quisquam magis est instructus ab illis,
 Mitibus aut studiis tempora plura dedit.
Carmina testantur, quæ, si tua nomina demas,
 Threjicium juvenem composuisse negem.
Néve sub hoc tractu vatum fuit unicus Orpheus,
 Bistonis ingenio est terra superba tuo.
Utque tibi est animus, cùm res ita postulat, arma
 Sumere, & hostili tingere cæde manum:
Atque ùt es excusso jaculum torquere lacerto,
 Colláque velocis flectere doctus equi.
Tempora sic studiis data sunt ubi justa paternis,
 Atque tuis humeris forte quievit opus:
Ne tua marcescant per inertes otia somnos,
 Lucida Pieriâ tendis in astra viâ.
Hæc quoque res aliquid tecum mihi fœderis affert,
 Ejusdem sacri cultor uterque sumus.
Ad vatem vates orantia brachia tendo,
 Terra sit auxiliis ut tua fida meis.
Non ego cæde nocens in Pontica littora veni,
 Mistáve sunt nostrâ dira venena manu.
Nec mea subjectâ convicta est 12. gemma tabellâ,
 Mendacem ceris imposuisse notam.
Nec quidquam, quod lege vetor committere, feci:
 Est tamen his gravior noxa fatenda mihi.
Néve roges, quæ sit: stultam conscripsimus artem,
 Innocuas nobis hæc vetat esse manus.
E quid prætereà peccârim, quærere noli:
 Ut pateat solâ culpa sub arte mea.

Quid-

9. *Cassandreus*) Apollodorus Cassandriæ tyrannus.

10. *Gentisque Phereæ*) designatur Alexander Pheræorum in Thessalia crudelissimus tyrannus.

11. *Repertorem*) is fuit Phalaris, æneï bovis repertorem Perillum hoc ipso bove inclusum torruit.

12. *Gemma*) non fictas litteras subjeci mentito signo, vel *sigillo*.

Quidquid id eſt, habui moderatam Principis iram,
Qui niſi natalem nil mihi dempſit humum.
Hâc quoniam careo, tua nunc vicinia præſtet,
Inviſo poſſim tutus ut eſſe loco.

L. III. ELEGIA IV.

Argum. *Petit veniam libello de triumpho Tiberii à ſe conſcripto.*

Hæc tibi non vanam portantia verba ſalutem
Naſo Tomitanâ mittit ab urbe tuus.
Utque ſuo faveas mandat, Rufine, libello,
In veſtras venit ſi tamen ille manus.
Eſt opus exiguum, vaſtiſque paratibus impar,
Quale tamen cunque eſt, ut tueare, rogo.
Firma valent per ſe, nullúmque Machaona quærunt,
Ad medicam dubius confugit æger opem.
Non opus eſt magnis placido lectore Poëtis,
Quamlibet invitum difficilémque tenent.
Nos, quibus ingenium longi minuêre labores,
Aut etiam nullum forſitan ante fuit:
Viribus infirmi, veſtro candore valemus,
Quem mihi ſi demas, omnia rapta putem.
Cunctáque cùm mea ſint propenſo nixa favore,
Præcipuum veniæ jus habet ille liber.
Spectatum vates alii ſcripſêre triumphum;
Eſt aliquid memori viſa notare manu.
Nos ea vix avidam vulgi captata per aurem
Vidimus, atque oculi fama fuêre mei.
Scilicet affectus ſimiles, aut impetus idem
Rebus ab auditis, conſpicuíſque venit.
Nec nitor argenti, quem vos vidiſtis, & auri
Quòd mihi defuerit, purpuráque illa, queror:
Sed loca, vel gentes formatæ mille figuris
Nutrîſſent carmen, prœliáque ipſa meum.
Et Regum vultus, certiſſima pignora mentis,
Juviſſent aliquâ forſitan illud opus.
Plauſibus ex ipſis populi, lætóque favore
Ingenium quodvis incaluiſſe poteſt.
Támque ego ſumpſiſſem tali clamore vigorem,
Quàm rudis auditâ miles ad arma tubâ.

Pectora

Pectora ſint nobis nivibus glaciéque licebit,
Atque hoc, quem patior, frigidiora loco.
Illa ducis facies in curru ſtantis eburno
Excuteret frigus ſenſibus omne meis.
His ego defectus, dubiiſque auctoribus uſus,
Ad veſtri venio jure favoris opem.
Nec mihi nota ducum, nec ſunt mihi nota locorum
Nomina: materiam vix habuêre manus.
Pars quota de tantis rebus, quam fama referre,
Aut aliquis nobis ſcribere poſſet, erat.
Quò magis, o lector! debes ignoſcere, ſi quid
Erratum eſt illic, prætéritúmve mihi.
Adde, quòd aſſiduas 1. domini meditata querelas
Ad lætum carmen vix mea verſa lyra eſt.
Vix bona 2. pòſt tanto quærenti verba ſubibant,
Et gaudere aliquid, res mihi viſa nova eſt.
Utque reformidant inſuetum lumina ſolem,
Sic ad lætitiam mens mea ſegnis erat.
Eſt quoque cunctarum novitas gratiſſima rerum,
Gratiáque officio, quod mora tardat, abeſt.
Cetera certatim de magno ſcripta triumpho
Jam pridem populi ſuſpicor ore legi.
Illa bibit Lector ſitiens, mea pocula plenus,
Illa recèns pota eſt, noſtra tepebit aqua.
Non ego ceſſavi, nec fecit inertia ſerum:
Ultima me vaſti ſuſtinet ora freti.
Dum venit huc rumor, properatáque carmina fiunt,
Factáque eunt ad vos, annus abîiſſe poteſt.
Nec minimum refert, intacta roſaria primus,
An ſerâ carpas penè relicta manu.
Quid mirum lectis exhauſto floribus horto,
Si duce non facta éſt digna corona ſuo?
Deprecor, hæc vatum contra ſua carmina ne quis
Dicta putet: pro ſe Muſa locuta mea eſt.
Sunt mihi vobiſcum communia ſacra, Poëtæ:
In veſtro miſeris ſi licet eſſe choro.
Magnáque pars animæ mecum vixiſtis, amici:
Hâc ego vos abſens nunc quoque parte colo.

Sint

1. *Domini*) Ovidius ipſe intelligitur.

2. *Pòſt tanto*) ſic intellige: tanto pòſt *tempore*.

Sint igitur veſtro mea commendata favori
 Carmina, non poſſum pro quibus ipſe loqui.
Scripta placent à morte ferè: quia lædere vivos
 Livor, & inviſo carpere dente ſolet.
Si genus eſt mortis malè vivere; terra moratur,
 Et deſunt fatis ſola ſepulchra meis.
Denique opus noſtræ culpetur ut undique curæ;
 Officium nemo qui reprehendat, erit.
Ut deſunt vires, tamen eſt laudanda voluntas:
 Hâc ego contentos auguror eſſe Deos.
Hæc facit, ut veniat pauper quoque gratus ad aras,
 Et placeat cæſo non minùs agna bove.
Res quoque tanta fuit, quantæ ſubſiſtere ſummo
 Aeneidos vati grande fuiſſet opus.
Ferre etenim molles Elegi tam vaſta triumphi
 Pondera diſparibus non potuêre rotis.
Quo pede nunc utar, dubia eſt ſententia nobis:
 Alter enim de te, Rhene, triumphus adeſt.
Irrita votorum non ſunt præſagia vatum,
 Danda Jovi laurus, dum prior illa viret.
Nec mea verba legis, qui ſum ſummotus ad Iſtrum,
 Non bene pacatis flumina pota Getis.
Iſta Dei vox eſt: Deus eſt in pectore noſtro,
 Hoc duce prædico, vaticinórque Deo.
Quid ceſſas currum, pompámque parare triumphis
 Livia? dant nullas jam tibi bella moras.
Perfida damnatas Germania projicit haſtas:
 Jam pondus dices omen habere meum.
Crede, brevíque fides aderit; geminabit honorem
 Filius, & junctis, ùt priùs, ibit equis.
Prome, quod injicias humeris victoribus 3. oſtrum,
 Ipſa poteſt ſolitum nôſſe corona caput.
Scuta ſed & galeæ gemmis radientur & auro,
 Sténtque ſuper victos 4. trunca tropæa viros.
5. Oppida turritis cingantur eburnea muris:
 Fictáque res vero more putetur agi.

6.

3. *Oſtrum*) purpuream togam, & palmatam, quâ triumphantes in Capitolium ducebantur.

4. *Trunca tropæa*) nempe ex truncatis arboribus ſpolia hoſtium tanquam monumenta victoriæ ſuſpendebantur.

5. *Oppida*) ſimulacra oppidorum ex ebore aut argento in triumphis transvehi ſolita.

6. Squallidus immittat fractâ sub arundine crines
Rhenus, & infectas sanguine potet aquas.
7. Barbara jam capti poscant insignia Reges:
Textaque fortunâ divitiora suâ.
Et quæ prætereà virtus invicta tuorum
Sæpe parata tibi, sæpe paranda facit.
Diî, quorum monitu sumus hæc ventura locuti,
Verba, precor, celeri nostra probate fide.

6. *Squallidus*) Rhenus superatus confusâ coronâ arundineâ, cujusmodi fluviorum Diis affinxerunt Poëtæ, triumphi monumentum agat.

7. *Barbara* &c.) Reges patrio more decorati, & vincti ducebantur in triumpho.

L. IV. ELEGIA I.

Argum. *Mirâ se teneri cupidine affirmat, Pompeji nomen in scriptis suis exprimendi.*

Accipe, Pompei! deductum carmen ab illo,
Debitor est vitæ qui tibi, Sexte, suæ.
Qui, seu non prohibes à me tua nomina poni,
Accedet meritis hæc quoque summa tuis:
Sive trahis vultus; equidem peccâsse videbor;
Delicti tamen est causa probanda mei.
Non potuit mea mens, quin esset grata, teneri;
Sit precor officio non gravis ira pio.
O quoties ego sum libris mihi visus in istis
Impius, in nullo quòd legerêre loco!
O quoties, alii vellem cùm scribere, nomen,
Rettulit in ceras inscia dextra tuum!
Ipse mihi placuit mendis in talibus error;
Et vix invitâ facta litura manu est.
Viderit ad summum, dixi; licèt ipse queratur;
Ah pudet, offensam non meruisse priùs!
Da mihi, si quid ea est, hebetantem pectora Lethen,
Oblitus potero non tamen esse tuî.
Idque sinas oro; nec fastidita repellas
Verba: nec officio crimen inesse putes.
Et levis hæc meritis referatur gratia tantis;
Sin minùs; invito te quoque gratus ero.

Nun-

Nunquam pigra fuit nostris tua gratia rebus.
 Nec mihi munificas arca negavit opes.
Nunc quoque nil subitis clementia territa fatis
 Auxilium vitæ fértque, ferétque meæ.
Unde, roges forsan, fiducia tanta futuri
 Sit mihi? Quod finxit, quisque tuetur opus.
Ut Venus artificis labor est, & gloria 1. Coi,
 Aequoreo madidas quæ premit imbre comas:
2. Arcis ùt Actææ vel eburna, vel ænea custos
 Bellica Phidiacâ stat Dea facta manu:
Vendicat ùt 3. Calamis laudem, quos fecit, equorum
 Ut similis veræ vacca 4. Myronis opus:
Sic ego pars rerum non ultima, Sexte, tuarum,
 Tutelæque feror munus, opúsque tuæ.

1. *Coi artificis*) Apellis pictoris ex insula Coo, Aegei maris, oriundi, qui insignem illam Veneris imaginem pinxit, quæ è mari exiens repræsentabatur, siccans capillos.

2. *Arcis ùt Actææ*) Pallas arcis Atheniensis custos, à Phidia statuario elaborata.

3. *Calamis*) nomen viri, qui in arte cælandi, præsertim in exprimendis equis excelluit.

4. *Myronis*) Myro celeberrimus statuarius.

ELEGIA III.

Argum. *Amico perfido levitatem suam exprobrat.*

Conquerar, an taceam? ponam sine nomine crimen?
 An notum, qui sis, omnibus esse velim?
Nomine non utar, ne commendêre querelâ
 Quæratúrque tibi carmine fama meo.
Dum mea puppis erat validâ fundata carinâ,
 Qui mecum velles currere, primus eras.
Nunc, quia contraxit vultum fortuna, recedis,
 Auxilio postquàm scis opus esse tuo.
Dissimulas etiam, nec me vis nôsse videri;
 Quíque sit, audito nomine, Naso, rogas.
Ille ego sum, quanquam non vis audire, vetustâ
 Penè puer puero junctus amicitiâ.
Ille ego, qui primus tua seria nôsse solebam,
 Qui tibi jucundis primus adesse jocis.
Ille ego convictor, densóque domesticus usu:
 Ille ego judiciis unica Musa tuis.

Idem

Idem ego ſum, qui nunc an vivam, perfide, neſcis:
 Cura tibi de quo quærere nulla fuit.
Sive fui nunquam charus; ſimulâſſe fateris;
 Seu non fingebas, inveniêre levis.
Eja age, dic aliquam, quæ te mutaverit, iram;
 Nam niſi juſta tua eſt, juſta querela mea eſt.
Quæ te conſimilem res nunc vetat eſſe priori?
 An crimen, cœpi quòd miſer eſſe, vocas?
Si mihi rebus opem nullam, factiſque ferebas;
 Veniſſet verbis charta notata tribus.
Vix equidem credo: ſed & inſultare jacenti
 Te mihi, nec verbis parcere, fama refert.
Quid facis, ac demens? cur ſi fortuna recedat,
 Naufragio lacrymas eripis ipſe tuo?
Hæc Dea non ſtabili, quàm ſit levis, orbe fatetur;
 Quem ſummum dubio ſub pede ſemper habet.
Quolibet eſt folio, quavis incertior aurâ,
 Par illi levitas, improbe, facta tua eſt.
Omnia ſunt hominum tenui pendentia filo,
 Et ſubito caſu, quæ valuêre, ruunt.
Divitis audita eſt cui non opulentia Crœſi?
 Nempe tamen vitam captus ab hoſte tulit.
Ille 1, Syracoſiâ modò formidatus in urbe,
 Vix humili duram reppulit arte famem.
Quid fuerat 2. Magno majus? tamen ipſe rogâvit
 Submiſſâ fugiens voce clientis opem.
Cuîque viro totus terrarum paruit orbis,
 Indigus effectus omnibus ipſe magìs.
Ille 3, Jugurthino clarus, Cimbróque triumpho;
 Quo victrix toties conſule Roma fuit,
In cœno jacuit Marius, cannâque paluſtri:
 Pertulit in tanto multa pudenda viro.

Ludit

1. *Syracoſiâ*) Dionyſius Siciliæ tyrannus, Syracuſis pulſus, Corinthi pueros inſtruere pro maximo munere habuit.

2. *Magno*) Pompejo. Hic victus à Cæſare in Aegyptum fugiebat ad Ptolomæum, clientem ſuum; nam hujus patri regnum reſtituerat.

3. *Jugurthino*) Marius Jugurthæ Numidarum regis, & Cimbrorum, qui erant populi Germaniæ, victor, ut Syllæ rabiem effugeret, in paludibus delituit, demum exinde in carcerem abſtractus eſt.

Ludit in humanis divina potentia rebus,
Et certam præsens vix habet hora fidem.
Littus ad Euxinum, si quis mihi diceret, ibis,
Et metues, arcu ne feriâre Getæ:
I, bibe, dixissem, purgantes pectora succos:
Quidquid & in tota nascitur 4. Anticyra.
Sum tamen hæc passus: nec si mortalia possem,
Et summi poteram tela cavere Dei.
Tu quoque fac timeas, & quæ tibi læta videntur,
Dum loqueris, fieri tristia posse, puta.

4. *Anticyra*) est insula sinûs Maliaci helleboro famosa.

ELEGIA IX.

Argum. *Indicat futurum sibi de Græcini & fratris ejus consulatu gaudium, & Barbarorum erga se benevolentiam.*

Unde licet, non unde juvat, Græcine, salutem
Mittit ab Euxinis hanc tibi Naso vadis.
Missáque, Diî faciant, auroram occurrat ad illam,
1. Bissenos fasces quæ tibi prima dabit.
Ut, quoniam sinè me tanges capitolia Consul,
Et fiam turbæ pars ego nulla tuæ:
In Domini subeat partes, & præstet amici
Officium jusso littera nostra die.
Atque ego si fatis genitus melioribus essem,
Et mea sincero curreret axe rota:
Quo nunc nostra manus per scriptum fungitur, esset
Lingua salutandi munere functa tuî,
Gratatúsque darem cum dulcibus oscula verbis:
Nec minùs ille meus, quàm tuus esset honor.
Illâ, confiteor, sic essem luce superbus,
Ut caperet fastus vix domus ulla meos.
Cúmque latus sancti cingit tibi turba senatûs,
Consulis 2. ante pedes ire viderer eques.
Et quanquam cuperem semper tibi proximus esse,
Gauderem lateri non habuisse locum.

Nec

1. *Bissenos*) Duodecim lictores singuli cum virgarum fascibus mediâque securi consules præcedebant.

2. *Ante pedes*) de more Equitum, qui in hujusmodi pompa solebant præcedere. Ovidius autem equestris ordinis fuit.

Nec querulus, turbâ quamvìs eliderer, essem:
 Sed foret à populo tum mihi dulce premi.
Prospicerem gaudens, quantus foret agminis ordo;
 Densáque quàm longum turba teneret iter.
Quóque magìs nôris, quàm me vulgaria tangant;
 Spectarem, qualis purpura te tegeret.
Signa quoque in 3. sella nôssem formata curuli;
 Et totum Numidæ sculptile dentis opus.
At cùm 4. Tarpejas esses deductus in arces,
 Dum caderet jussu victima sacra tuo;
Me quoque secretò grates tibi Magnus agentem
 Audîsset, mediâ qui sedet æde, 5. Deus.
Thuraque mente magis, plenâ quàm lance, dedissem
 Ter quater, imperii lætus honore tui.
Hìc ego præsentes inter numerarer amicos;
 Mitia jus Urbis si modò fata darent.
Quæque mihi solâ capitur nunc mente voluptas;
 Tunc oculis etiam percipienda foret.
Non ita Cælitibus visum est, & forsitan æquis:
 Nam quid me pœnæ causa negata juvet?
Mente tamen, quæ sola loco non exulat, utar,
 Prætextam, fasces aspiciámque tuos.
Hæc modò te populo reddentem jura videbit;
 Et se secretis finget adesse locis.
Nunc 6. longi reditus hastæ supponere lustri
 Cernet, & exactâ cuncta locare fide:
Nunc facere in medio facundum verba senatu;
 Publica quærentem quid petat utilitas.
Nunc pro 7. Cæsaribus superis decernere grates;
 Altáve opimorum colla ferire boum.
Atque utinam, cùm jam fueris potiora precatus;
 Ut mihi placetur Numinis ira, roges!
Surgat ad hanc vocem plenâ pius ignis ab arâ,
 Détque bonum voto lucidus omen apex!

Inte-

3. *Sellâ-curuli*) curru, qui eburneâ sede ornatus erat. *Numidæ dentis*) elephantis Numidici sive Africani. Est enim Numidia pars Africæ.

4. *Tarpejas*) Capitolium, à Tarpejâ Vestali virgine.

5. *Deus*) Jupiter.

6. *Longi reditus*) à toto & longo lustro reditus & proventus cogere. Vectigalia verò & proventus ejusmodi in publica auctione locabantur, appositâ hastâ, ut, qui plus daret, emeret.

7. *Cæsaribus superis*) diis.

Intereà, quâ parte licet, ne cuncta queramur,
Hìc quoque te festum consule tempus agam.
Altera lætitiæ, nec cedens causa priori,
Successor tanti 8. Frater honoris erit.
Nam tibi finitum summo, Græcine, Decembri
Imperium, Jani suscipit ille die.
Quæque est in votis pietas,, alterna feretis
Gaudia, tu fratris fascibus, ille tuis.
Sic tu bis fueris consul, bis consul & ille,
Inque domo binus conspicietur honor.
Qui quanquàm est ingens, & nullum martia summo
Altius imperium consule Roma videt;
Multiplicat tamen hunc gravitas auctoris honorem,
Et majestatem res data dantis habet.
Judiciis igitur liceat Flaccóque, tibíque
Talibus Augusti tempus in omne frui.
Ut tamen à rerum curâ 9. propiore vacabit,
Vota precor votis addite vestra meis.
Et, si quem dabit aura sinum, laxate rudentes,
Exeat è 10. stygiis ut mea navis aquis.
Præfuit his, Græcine, locis modò Flaccus, & illo
Ripa ferox 11. Istri sub duce tuta fuit.
Hic tenuit 12. Mysas gentes in pace fideli,
Hic arcu fisos terruit ense Getas.
Hic captam 13. Trosmin celeri virtute recepit,
Infecítque fero sanguine Danubium.
Quære loci faciem, Scythicíque incommoda cœli,
Et quàm vicino terrear hoste, roga!
Síntne litæ tenues serpentis felle sagittæ,
Fiat an humanum victima dira caput?
Mentiar; an coëat duratus frigore Pontus,
Et teneat glacies jugera multa freti.
Hæc ubi narrârit, quæ sit mea fama, require,
Quóque modo peragam tempora dura, roga!

Ff Nec

8. *Frater*) Flaccus nomine, frater Græcini.

9. *Propiore*) ad negotia vestra & propria pertinente.

10. *Stygiis*) intelligit terram Geticam.

11. *Istri*) regio hæc ad Danubium sita.

12. *Mysas*) populos Mysiæ, qui intra Hæmum montem, & Danubium fluvium continentur.

13. *Trosmin*) Mysiæ inferioris oppidum.

Nec ſumus hìc odio, nec ſcilicet eſſe meremur:
Nec cum fortuna mens quoque verſa mea eſt.
Illa quies animo, quam tu laudare ſolebas,
Ille vetus ſolito perſtat in ore pudor.
Sic ego ſum longè, ſic hìc (ubi barbarus hoſtis
Ut fera plus valeant legibus arma facit)
Rem queat ut nullam tot jam, Græcine, per annos
Femina de nobis, vírve, puérve queri.
Hoc facit ut miſero faveant adſintque Tomitæ,
Hæc quoniam tellus teſtificanda mihi eſt.
Illi me, quia velle vident, diſcedere malunt,
Reſpectu cupiunt hìc tamen eſſe ſuî.
Nec mihi credideris: perſtant decreta, quibus nos
Laudat, & immunes 14. publica cera facit.
Conveniens miſeris hæc quanquam gloria non eſt,
Proxima dant nobis oppida munus idem.
Nec 15. pietas ignota mea eſt: videt hoſpita tellus
In noſtrâ ſacrum Cæſaris eſſe domo.
Stant pariter natúſque pius, conjúxque ſacerdos
Numina jam facto non leviora deo.
Ne deſit pars ulla domûs, 16. ſtat uterque nepotum
Hic aviæ lateri proximus, ille patris.
His ego do toties cum thure precantia verba,
Eoo quoties ſurgit ab orbe dies.
Tota, licèt quæras, hoc me non fingere dicet
Officii teſtis Pontica terra mei.
Pontica me tellus, quantis hâc poſſumus orâ,
Natalem ludis ſcit celebrare 17. dei.
18. Nec minùs hoſpitibus pietas eſt cognita talis,
Miſit in has ſi quos longa Propontis aquas:
Is quoque, quo lævus fuerat ſub Præſide pontus,
Audierit frater forſitan iſta tuus.

For-

14. *Publica cera*) tabellæ cerâ illitæ.

15. *Pietas*) vident meam erga ſuperos pietatem: ſacrarium Auguſto dicatum, in quo ſtat natus Auguſti, ſive Tiberius, Livia Auguſti caſta uxor, jam facto deo (Auguſto) ſimiles.

16. *Stat uterque*) Germanicus & Druſus, hic Tiberii filius, ille nepos Liviæ.

17. *Dei*) Auguſti.

18. *Nec minùs*) ſciunt hoc & peregrini, ſi tamen longa Propontis ad nos mittit aliquot hoſpites propter acceſſum difficillimum.

Fortuna eſt impar animo, taliqúe libenter
 Exiguas carpo munere pauper opes.
Nec veſtris damus hæc oculis, procul urbe remoti;
 Contenti tacitâ ſed pietate ſumus.
Et tamen hæc tangent aliquando Cæſaris aures,
 Nil illum, toto quod fit in orbe, latet.
Tu certè ſcis hoc, ſuperis adſcite! vidésque
 Cæſar; ùt eſt oculis ſubdita terra tuis.
Tu noſtras audis inter convexa locatus
 Sidera, ſollicito quas damus ore, preces.
Pervenient iſthuc & carmina forſitan illa,
 Quæ de te miſi cælite facta novo.
Auguror, his igitur flecti tua Numina: nec tu
 Immeritò nomen mite Parentis habes.

PARS SECUNDA
DE
ELEGIIS SECUNDI GENERIS.
EX OVIDIO.
L. II. de Ponto Elegia I.

ARGUMENTUM: *Scribit Germanico ſuam de triumpho Tiberii ſingularem lætitiam.*

HUc quoque Cæſarei pervenit fama triumphi,
 Languida quò feſſi vix venit aura Noti.
Nil fore dulce mihi Scythicâ regione putavi:
 Jam minùs hic odio eſt, quàm fuit antè locus.
Tandem aliquod pulſâ curarum nube ſerenum
 Vidi, fortunæ verba dedíque meæ.
Nolit ut ulla mihi contingere gaudia Cæſar,
 Velle poteſt cuivis hæc tamen una dari.
Diî quoque ut à cunctis hilari pietate colantur,
 Triſtitiam poni per ſua feſta jubent.
Denique (quod certus furor eſt audere fateri)
 Hâc ego lætitiâ, ſi vetet ipſe, fruar.

Juppiter utilibus quoties rigat imbribus agros,
 Miſta tenax ſegeti creſcere lappa ſolet.
Nos quoque fructiferum ſentimus inutilis herba
 Numen, & invitâ ſæpe juvamur ope.
Gaudia Cæſareæ mentis pro parte virili
 Sunt mea: privati nil habet illa domus.
Gratia, Fama, tibi! per quam ſpectata triumphi
 Incluſo mediis eſt mihi pompa Getis.
Indice te didici, nuper viſenda coîſſe
 Innumeras gentes ad ducis ora ſui.
Quæque capit latis immenſum mœnibus orbem,
 Hoſpitiis Romam vix habuiſſe locum.
Tu mihi narrâſti, cùm multis lucibus antè
 Fuderat aſſiduas nubilus Auſter aquas,
Numine cæleſti ſolem fulſiſſe ſerenum,
 Cum populi vultu conveniente die.
Atque ita victorem cum magnæ vocis honore
 Bellica laudatis dona dediſſe viris.
Claráque ſumpturum pictas, inſignia, veſtes,
 Thura priùs ſanctis impoſuiſſe focis.
Juſtitiámque ſui caſtè placâſſe parentis,
 Illo, quo templum pectore ſemper habet.
Quáque ierit felix adjectum plauſibus omen,
 Saxáque jactatis erubuiſſe roſis.
Protinus argento verſos imitantia muros
 Barbara cum victis oppida lata viris.
Flumináque & montes & in altis paſcua ſilvis,
 Armáque cum telis in ſtrue miſta ſuis.
Déque triumphato, quod ſol accenderit, auro,
 Aurea Romani tecta fuiſſe fori.
Tótque tuliſſe duces captivis addita collis
 Vincula, pene hoſtes quot ſatis eſſe fuit.
Maxima pars horum vitam veniámque tulêre,
 In quibus & belli ſumma, capútque 1. Bato.
Cur ego poſſe negem minui mihi Numinis iram,
 Cùm videam mites hoſtibus eſſe deos?
Pertulit huc idem nobis, 2. Germanice, rumor,
 Oppida ſub titulo nominis îſſe tui.

Atque

1. *Bato*) Pannonius dux fuit, quem præmiis ingentibus donatum Tiberius Ravennam tranſtulit, gratiam referens, quòd ſe quondam cum exercitu iniquitate loci circumcluſum paſſus eſſet evadere.

2. *Germanice*) Druſi filius fuit, à Tiberio patruo, Auguſti voluntate adoptatus.

Atque ea te contra nec muri mole, nec armis,
 Nec satìs ingenio tuta fuisse loci.
Diî tibi dent annos, à te nam cetera sumes,
 Sint modò virtuti tempora longa tuæ.
Quod precor, eveniet: sunt quiddam oracula vatum:
 Nam Deus optanti prospera signa dedit.
Te quoque victorem Tarpejas scandere in arces
 Læta coronatis Roma videbit equis.
Maturósque pater nati spectabit honores,
 Gaudia percipiens, quæ dedit ipse suis.
Jam nunc hæc â me, juvenum bellóque togâque
 Maxime, dicta tibi vaticinante, nota!
Hunc quoque carminibus referam fortâsse triumphum,
 Sufficiet nostris si modò vita malis.
Imbuero Scythicas si non prior ipse sagittas,
 Abstulerítque ferox hoc caput ense Getes.
Quodsi me salvo dabitur tua laurea templis,
 Omnia bis dices vera fuisse mea.

ANGELI POLITIANI
ELEGIA
DE EXILIO ET MORTE OVIDII.

Et jacet Euxinis vates Romanus in oris:
 Romanum vatem barbara terra tegit.
Terra tegit vatem, teneros qui lusit amores,
 Barbara, quam gelidis alluit Ister aquis.
Nec te, Roma! pudet, quæ tanto immitis alumno,
 Pectora habes ipsis barbariora Getis?
Ecquid, Iö, Musæ, Scythicis in finibus ægro
 Tædia qui morbi demeret, ullus erat?
Ecquid frigidulos qui lecto imponeret artus,
 Aut qui dulciloquo falleret ore diem?
Aut qui tentaret salientis tempora venæ,
 Aut fomenta manu qui properata daret?
Conderet aut oculos mediâ jam morte natantes,
 Aut legeret summam qui pius ore animam?
Nullus erat, nullus. Veteres, tu dura, sodales
 Heu procul à Ponto, martia Roma! tenes.

Nullus erat, procul ah conjux, parvíque nepotes,
Nec fuerat profugum nata ſecuta patrem.
Scilicet immanes Beſſi, flavíque Coralli,
Aut vos pelliti, ſaxea corda, Getæ,
Scilicet horribili dederit ſolatia vultu
Sarmata, ab epoto ſæpe vehendus equo?
Sarmata, cui rigidam demiſſo in lumine frontem
Mota pruinoſo tempora crine ſonant.
Sed tamen & Beſſi extinctum, & flevere Coralli,
Sarmatáque, & durus contudit ora Getes.
Extinctum & montes flebant, & ſilva, feraéque,
Et flêſſe in mediis dicitur Iſter aquis.
Quin etiam pigro concretum frigore Pontum,
Nereïdum lacrymis intepuiſſe ferunt.
Accurrêre leves Paphiâ cum matre volucres,
Arſuróque faces ſupposuêre rogo.
Quem ſimul abſumpſit rapidæ violentia flammæ,
Relliquias tecto compoſuêre cado.
Impoſitúmque brevi ſignârunt carmine ſaxum:
Qui jacet hìc, teneri doctor amoris erat.
Ipſa locum latè ſancto Cytherea liquore
Irrorat niveo térque quatérque manu.
Vos quoque Pierides vati libâſtis adempto
Carmina, ſed noſtro non referenda ſono.

SIDRONII HOSCHII S. J.
ELEGIA.
Argum. *Vita mari ſimilis.*

Vita mare eſt: res plena metu, res plena tumultu
Utraque. Mortales credite, vita mare eſt.
Neutri tuta fides: quot fluctibus aſpera ſurgunt
Aequora, tot cauſas illa timoris habet.
Syrtibus infame eſt, ſaxíſque latentibus æquor;
Infamis ſcopulis eſt quoque vita ſuis.
Saxa, maris ſcopuli: vitæ ſua cuíque cupido:
Heu mihi, quot ſcopulus perdidit ille rates!
Et fluit, & refluit, rapitúrque & volvitur æſtu,
Et ſtabile in ſolâ mobilitate mare eſt.
Littora nunc repetit, nunc littora deſerit unda,
Occurrítque ſibi, ſéque reverſa fugit.

Aeſtuat,

Aeſtuat, & diſcors etiam ſibi vita reſiſtit,
 Pérque ſuos æſtus noſtráque, nósque rapit.
Et modò, quod prodeſt, temerè averſatur, & horret,
 Et modò, quod lædit, per ſua damna petit.
Et dolet, & gaudet; ſperátque, timétque; ſibíque
 Cedit, & obſiſtit; neſciáque ipſa ſuî eſt.
Nec magìs immite eſt pelagus, quàm vita, nec iræ
 Plus habet: hoc monſtris, nec minùs illa ſcatet.
Eſt maris, eſt vitæ curſus metuendus & anceps:
 Publica naufragiis utraque facta via eſt.
Aſpicis, ùt vexent crudeles æquora venti?
 Ut tollant undas montibus illa pares?
Concurrunt Euri Zephyris, Aquilonibus Auſtri,
 Præliáque in pelago cum pelagóque gerunt.
Vita quid hæc aliud, niſi triſtis & aſpera pugna eſt?
 Pace caret pelagus: vitáque pace caret.
Si qua tamen pax eſt, nihil eſt incertius illâ:
 Jam Boreas franget, quam tulit antè, ratem.
Navita quid precibus fluctus placare laboras?
 Accipiunt nullas æquora ſurda preces.
Ipſe tonat, precibúsque tuis obmurmurat æther,
 Verbáque diſcerpunt, qui tua vela, Noti.
Unda furens inopum cymbas, regúmque triremes
 Percutit, & meritas immeritásque rapit.
Pluribus, aut totidem nullo diſcrimine ſævit:
 Nec minùs infeſtis improba vita malis.
Nonne per adverſas agitur propè tota procellas?
 Nonne ſuos fremitus, ùt mare, ſemper habet?
Non quos Oleniæ ſidus pluviale capellæ,
 Aut oriens Sterope, Taygetéque ciet;
Sed quos ipſa ſibi, quos ipſi plurimus hoſtis,
 Ipſa ſibi atque hoſtis, ſed magìs ipſa movet.
Cúmque ars ſæpe domet fluctus vitæque marísque;
 Deficit ars dubiis utraque ſæpe malis.
Hic primo, hic medio curſu perit, ille ſupremo:
 Sæpe etiam in portu naufraga turba ſumus.
Sors eadem populos florentes jactat & urbes,
 Sors eadem reges, totáque regna rapit.
Illa viris armíſque potens, tot nomina faſtis
 Quæ dedit, & ſuperis par propè Roma fuit,

Tótque triumphorum ſibi maximus ipſa triumphus,
Quæ ſibi ſubdiderat ſolis utrumque latus:
Viſa ſibi alterius ſortis diſcrimine major
Interiit ventis naufraga facta ſuis.
Majeſtas cecidit, ſellæ cecidêre curules,
Barbaries victrix Itala ſigna tulit.
Quem domitum vidit ſeptem de montibus orbem,
Vidit in externas victa venire manus.
Hæc ego te moneo, qui, quod jubet impetus, audes:
Cuî volat excuſſo cymba ſoluta metu:
Quem nil Cyaniæ, nil monſtra natantia terrent,
Nil tabulæ, & merces, gazáque ſparſa mari:
Qui neque, quid moneant venti, quid ſidera, curas:
Quid reſonans longè littus, & unda notet:
Quid ſignent medio revolantes æquore mergi,
Oblitus pelagi, nec minùs ipſe tui.
At niſi ludibrium debes animámque procellis,
Quot fluctus, totidem crede venire neces.
Sollicitos ſervat felix induſtria nautas,
Nec niſi ſollicito naſcitur illa metu.
Cùm mare, cùm ventos, cùm circumſpexeris aſtra,
Dic: Ubi nunc velis commoda ſtella meis:
Sic tibi ſit nunquam Ceyca referre natantem,
Seráque poſt fractam perdere vota ratem.

GILBERTI JONINI S. J.
ELEGIA.

Argum. *Narrantur Chriſti miracula.*

Juſſu, Chriſte, tuo, juvenum mirante coronâ
Erubuit ſubito lympha parata mero.
Plena coronabat puro ros vaſa fluento,
Hauſtæ de puteo vena tepebat aquæ.
Verbo facta merum eſt: & vino cedere viſus
Cúmque colore ſapor, cúmque ſapore color.
Quid loquar, ùt juſſi tenuêre ſilentia venti?
Ut timidi tumidas depoſuêre minas?
Cùm fluctus pavidos, tempeſtatémque ſonoram
Compoſuit famulo dextra timenda mari.
Obſtupuêre undæ, cùm vox tribus ardua verbis
Frangeret attonitos imperioſa Notos.

Cal-

Calcantes timuit plantas mare tingere, & altum
 Cæruleæ greſſum ſuſtinuêre viæ.
Illibata mari veſtigia pendula ſenſit
 Non auſa audaces ſpuma notare gradus.
Aeternis olim tenebris damnata negatum
 Viderunt pulsâ lumina nocte diem;
Nulla Machaonios admovit dextera ſuccos:
 Impoſito eſt oculis lux reparata luto.
Sic DEUS humanas res temperat; omnia mutat
 Natura arbitrio ſubdita jura ſuo.
Sic olim Hebræis, fruſtra indignante camino,
 Lambebat teneras roſcida flamma comas.
Sic aqua ſacrificas urnis effuſa per aras;
 Accendit cæſos igne latente boves.
Quæ priùs annoſo torpebant vincta veterno,
 Reppeŕêre ſuas membra ſoluta vices.
Morbidus effœto ceſſit de corpore languor
 Sæpius, & rediit vivus in ora decor.
Qualis vere novo, cùm jam clementior annus
 Mittit in Arctoas frigora pulſa domos.
Ridet humus, florúmque novos oſtentat amictus,
 Atque iterum campis vita colórque redit.
Vox tua, Chriſte, vagos in retia inania piſces
 Invitos mediis currere juſſit aquis.
Illa graves ſolvit ſtringentia vincula linguas,
 Et faciles muto duxit ab ore ſonos.
Illa diu clauſas ſurdorum pertudit aures,
 Ut patulâ exciperent libera verba viâ.
Illa etiam, quæ ſaxa aditum, tumuliquę negabant,
 Exciit aggeſto funera tecta ſolo:
Pallentésque animas gelidos revocavit in artus,
 Et fati & mortis ſolvere jura potens.
E limbo illa tuos excivit, Lazare, manes,
 Condita cùm ſolidus clauderet oſſa lapis.
Audiit innocui tenebroſum limen Averni,
 Audiimus ſacri, candida turba, patres.
Venerat umbra recens, cœcâque errabat in aulâ:
 Móxque pedem ad ſuperos, juſſa redire, tulit.
Narrabat patrum cupidæ miracula turbæ,
 Dum facili totus pendet ab ore chorus.

Orbis quæ ſeries, quis mundum volveret ordo:
 Quâ gerat Herodes non ſua ſceptra manu.
Quæ Chriſto facies, quæ vox, quæ fronte ſerenâ
 Majeſtas, placido quantus in ore decor.
Hic deſiderii, productarúmque morarum
 Impatiens, Chriſtum lætior aula vocat.
Cùm revocata ſono medio in ſermone reſiſtit,
 Et modò decurſum læta recurrit iter.
Ingreſſura diu tabo deforme cadaver
 Horruit, ignotam ceu peregrina domum.
Mox ſubit, & totis decurrens artubus, aptum
 Officiis vitæ corpus inane facit.
Et jam marmorei dimotâ mole ſepulchri,
 Pulchrior è tumulo Lazarus ora levat.
Miratur tacitum confuſo murmure vulgus,
 Et variâ diſcors mente corona fremit.
Viderat hoc ſolyma, & poſt tot miracula rurſum
 In Domini movit perfida tela caput.
Impiáque, inſanam moriens quà reſpicit urbem,
 Suſtulit infami lurida membra crûce.

LIVINI MEYERI S. J. ELEGIA
IN HERODEM INFANTICIDAM.

Impie Rex! nemoris latebroſo nate ſub antro,
 Cui lupa villoſis lac tulit uberibus:
Vagitúſque feros crudi pulmone juvenci
 Sedavit, laceræ viſceribúſque canis:
Pavit & humanâ puerilia guttura prædâ,
 Unde tibi noſtri ſanguinis orta ſitis.
Téne, Lycaoniæ ſuperantem opprobria ſtirpis,
 Impia Romani ſceptra tenere ferunt?
Téne ferunt ullæ poſt tot tua crimina terræ?
 Nec negat unda tibi, nec negat aura viam?
Debueras ruptæ dudum telluris hiatu
 Nare ſuper ſtygios victima fœda lacus,
Et Danai relevare genus, vel crimine victi
 Ultrices Tityi paſcere vivus aves.
Oſſa ſuperpoſitâ ſi quis tua condat arenâ,
 Ejiciet vindex turpe cadaver humus.

Nec

Nec te projectum Tethys feret omnibus undis,
 Ne mala Nereïdum corpora præda gravet:
Corpus ad infernas animâ comitante paludes
 Ibit, & antiquis manibus horror eris.
Illic æternos reus ut toleraveris ignes,
 Pars minor è pœnâ non erit ulla tuâ.
Non humeri tibi Sisyphiâ si mole laborent,
 Et cava lapsuros hauriat urna lacus:
Horrendóque fragore sonans revolubilis orbis
 Torqueat assiduâ corpora vincta rotâ:
Flumina vel captes semper fugientia ripas,
 Pomáque prensuras fallere docta manus.
Quæcunque atra tuos incendet pœna dolores,
 Nil satìs inventum, quo crucieris, erit.
Semper inexhaustæ superabunt debita culpæ,
 Noxáque tortores vincet inulta suos.
Aeace quid cessas? pœnas maturus ad omnes
 (Parce fatigatis manibus) unus adest.
Quid memorem antiquas nullo sub vindice cædes,
 Raptáque vi, cunis non data sceptra tuis?
Ista prior passa est aliis dominantibus ætas,
 Exemplúmque, scelus quo tuearis, habes.
Crimen inauditum est, pueros laniare tenellos,
 Fatáque natali jungere mœsta suo.
Inque sinu matrum (ne non mala tanta viderent)
 Figere per tenerum grandia tela latus.
Et dubium est, sanguis vel lac de vulnere molli
 Fluxerit, hostiles imbuerítque manus.
Non Scytha, non Parthus, nec inhospita barbarus horrens
 Antra colens, tantum sustinuêre nefas.
Impie, credibile est, quæ te natura sub auras
 Fudit, ad aspectus erubuisse tuos.
Natales certè rorârunt sanguine stellæ,
 Viperáque ad cunas sibila dira dedit.
Tecta super sonuit ferali carmine bubo,
 Nocturnósque ferunt exululâsse lupos.
Lináque, queis pueri velavit nuda recentis
 Pectora, de busto mater olente tulit.
Et sanie, & spumâ lacrymantem Cerberus albâ
 Contigit, & stygio gurgite mersit anus.

Eu-

Eumenidésque faces admôrunt: déque colubro
 Hæſerunt labris toxica preſſa tuis.
Et furiæ torto circùm ſonuêre flagello,
 Sulphuráque obſcœnis impoſuêre focis.
Et vitæ ſeriem filo contexuit atro,
 Crimináque innevit de tribus una ſoror.
Sera rudimentis feritas adolevit ab iſtis,
 Pérque gradus crevit vita ſceleſta ſuos.
Nam ſimul infanti ſenſim maturuit ætas,
 Lapſus & à ſexto proximus annus erat:
Non ratio, non ars, radiiſque ſcientia puris
 Adfuit, & menti lumina prima dedit:
Nec vitæ probitas, nec amor ſucceſſit honeſti,
 Quidquid & æternæ mens bona legis habet.
Invaſit mentem contemptrix ira deorum,
 Et Venus ante annos prodigioſa ſuos.
Fortunæque comes livor, ſtudiúmque nocendi,
 Atráque mens fictis ingenioſa dolis.
Atráque ad cædes, violentáque furta juventus
 Explevit partes viribus aucta ſuas.
Lumina volvuntur populos terrentia faſtu,
 Quæque poteſt ſolas forma decere feras.
Hinc ſcelerum torrens longos effuſus in annos
 Materiem turpi præbuit hiſtoriæ.
Hæc alios moveant. Pueros ulturus inermes
 Adſit, & ingenio juſta det arma dolor.
Agmina vos læſæ mecum conjungite matres,
 En cadit in caſſes præda cupita meos.
Omnibus hoc monſtrum calami configere telis
 Convenit: indigno parcere, crimen erit.
Impie! Bethlemias fœdâſti ſanguine cunas,
 Antra nec à telis tuta fuêre tuis.
Quódque nefas fugit nutritum felle Procruſtem,
 Quódque Thyeſteæ vix potuêre manus:
Auſus es, ô (vocem ſceleris mihi præpedit horror,
 Inſolitúmque timet lingua referre nefas)
Auſus es ex ulnis pueros evellere matrum,
 Et tenerum alliſo ſpargere poſte caput:
Lactcáque obnixis divellere membra lacertis,
 Et prenſare cavâ viſcera viva manu:

Im-

Imbellésque vagis jactare volucribus escas,
 Et dare montanis membra voranda lupis.
Quæ te non subiit, subiit clementia tigres;
 Credibile est avidas abstinuisse feras.
Ista tuas tantùm decuerunt fercula lances,
 Poculáque ista tuam sanguinolenta sitim.
Et ne causa malis desit sceleratior ausis,
 Sævìit in puerum tota procella DEUM.
Nec te Majestas, nec te reverentia cœli
 Movit, & æthereis publica stella minis?
Quid facis? unius perdes tot millia fato?
 Eheu! nox quantum sanguinis una bibit!
Non scissis potuêre comis te flectere matres,
 Implicitæ pavido viscera chara sinu?
Non ferus ætatem, non molles respicis annos:
 Non movet aspectu candida turba suo?
Non tua vagitus præcordia barbara rumpunt,
 Quásque parens supplex tendit ad astra manus?
Quid queror ex scopulis, ex duro pectora ferro,
 Nil prece, nil lacrymis quod moveantur, habent.
Instat, & exiles puerorum calcat acervos,
 Et queritur, fusum sanguinis esse parùm.
Cogitur invitus crebrò dare vulnera miles,
 Et pudor horrendum sæpe remittit opus.
Funera, purpureíque fluunt per compita rivi,
 Inque domo cædes angulus omnis habet.
Exanimes passim luctu cecidêre parentes,
 Dîque lares vultus occuluêre suos.
Ut niveâ verni ceciderunt arbore flores,
 Aspera quos subitâ grandine læsit hiems:
Utque recens canâ periit rosa tacta pruinâ,
 Aut violæ, madidi quas quatit aura Noti;
Sic cecidit primis moriens vagitibus infans:
 Eheu! quas lacrymas mater inulta dedit!
Infelix Solyma, & mœstæ sine vindice matres,
 Paulisper madidas imbre levate genas.
Ne gemite æternùm generis dispendia vestri;
 Credite sublatos vita perennis habet.
Vallibus Elysiis ludunt, intérque vireta
 Ducit inoffensos lactea turba choros.

Mox

Mox etiam cœli tractu meliore recepta
 Fulgebit rutilis æmula ſideribus.
Tartara crudelis deſcendet in ima tyrannus;
 Fœtáque inextincto ſulphure ſtagna colet.
Quíque reis tormenta parat juſtiſſima Minos,
 Illius in pœnas ingenioſus erit.
Hæc quondam. Vivus furiis agitabitur idem,
 Perpetuáſque feret nox vigilanda minas.
Ante oculos umbræque truces, manéſque cruenti
 Tendent jactatas ora ſub ipſa faces:
Donec fatali rumpens præcordia telo
 In loca mors ſontem deteriora ferat.
Siſtite jam lacrymas. At tu, truculente! caveto:
 Non levis eſt factis pœna parata tuis.

ANGELINI GAZÆI ATREBATIS S. J.
AD S. ANGELUM CUSTODEM.

Angele mi, bone Dux animæ, bone mentis Achate!
 Quo ſinè non poſſum vivere, nolo mori.
Auſim ego progenies lutea, & mera pulveris urna,
 Tecum, naturâ cælite, pauca loqui?
Tu mihi, cùm primum vitæ jubar editus hauſi,
 Antiſtes vitæ juſſus es eſſe meæ.
Juſſus es infantem, puerum, juvenémque, virúmque
 Atque ſenem, curâ non abeunte, ſequi.
Dum flevi in cunis, dum ſedi matris in ulnis,
 Senſi te lacrymas diminuiſſe meas.
Dum cœpi genibus niti, dum verba creare
 Non ſatìs experto dimidiata ſono:
Per te molle genu cæpit ſolideſcere nodo:
 Per te lingua ſuis eſt animata rotis.
Sæpe fui ſorbendus aquis, ſæpe igne vorandus;
 Sed timuêre tuas ignis & unda manus.
Sæpe ſub incautis nutricibus extinguendum
 Me tua ſurripuit provida cura meî.
Eſto, dies abeant, menſes moriantur & anni:
 Anne putas ſimili lege peribit amor?
Vivit amor longùm: longùm, comes optime, vivet,
 Qui ſemper tibi me, te mihi junxit amor.

Ange-

Angele mi, bone Dux animæ, bone mentis Achate!
Quo ſinè non poſſum vivere, nolo mori,
Fac vivam cœlo gratiſſimus, utilis orbi:
Contentus parvo, deſpiciénſque meî.
Dúmque preces fundo: calatho bonus excipe fuſas,
Ex his angelicâ confice ſerta manu:
Et porta in cœlum, & cælo partitor in omnes,
Prima DEO, ſuperis dona ſecunda ferens.
Si fors & precibus lacrymas interpluo paucas,
Fac placeant paucæ pumicis hæ lacrymæ.
Si Sophiæ, ſi Thejoſophos tentâro receſſus,
Largire ingenii paucula fruſta tui.
Si bona pangendis in verſibus otia fallam,
Præcipe, ut è venâ divitiore fluant.
Dum loquor, arte meas ſic interjungito voces,
Ne lædant ſuperos, terrigenáſque gravent.
Dum taceo, moréſque mei, vultúſque loquantur,
Dáque legi in mediâ fronte: *Modeſtus homo eſt.*
Angele mi, bone Dux animæ, bone mentis Achate!
Quo ſinè non poſſum vivere, nolo mori.
Si comedo: nunquam plenus conviva recedam,
Ut citò pulſa, citò ſit revocanda fames.
Si bibo, per ſiccas ita dent ſe pocula venas.
Ut nullam menti vim maleſana ferant.
O cave, ne titubem, & videam per inane geri res:
Delirétque ſuis ebria lingua viis.
Si luſu vires renovo, viréſque levâſſo,
Fac ludus ſortis proſperioris eat.
Velle aurem, ſi transgrediar data tempora luſus,
Corripe, tranſiliam ſi ſine more modum.
Si, quà prætereo, vult tegula linquere tectum,
Dic, ſiſtat, dum me præteriiſſe ſcias.
Si cœlum terræ iratum ſua fulmina vibrat,
Excipe, nam major fulmine dextra tibi eſt.
Si mare conſcendo, mare formidabile nautis,
Fac, ut pacificâ net mihi linter aquâ.
Angele mi, bone Dux animæ, bone mentis Achate!
Quo ſinè non poſſum vivere, nolo mori.
Fac hoſtem me deliciis, fac honoribus hoſtem,
Ne plus hæc rerum vilia ſtultus amem.

Fac, ut divitias nolim præponere cœlo,
 Ne pro tam certis tam malè certa velim.
Non ſim de tetricis, non ſim de magna profeſſis:
 Non cupiam, de me prædicet orbis: *Hic eſt.*
Pone meas, ſi fortè volunt ulciſcier, iras:
 Semper ſim placidæ cultor amicitiæ.
Si me luctus edet, putrem illi deijce dentem,
 Et prohibe, ut curas, ulcera mentis, alam.
Dum laſſi fuerint anni, dum in fronte ſenectus
 Deſcribet rugas, inficiétque comas:
Sit mihi mens ſceleris pura, & fecunda bonorum,
 Nec doleam irreduces præteriiſſe dies.
Tum velut è ſpeculis dum fors malus afforet hoſtis,
 Si fors occultas cuderet inſidias.
Angele mi, bone Dux animæ, bone mentis Achate!
 Quo ſinè non poſſum vivere, nolo mori.
Suppetias affer, fraudes expunge malignas,
 Quas in cœlituum dedecus ille creat.
Si mala mors paret exitium, nondúmque parato
 Immineat, ſuris inſidioſa meis:
Punge aurem mihi, conclama, Gazæe! parator:
 Poſt aliquot ſoles mors tibi dicet: *Obi.*
Tunc ego præcipites lacrymas rupto aggere fundam,
 Terſuras noſtræ crimina pigritiæ.
Terſuras, ſi vel tenuis pulviſculus adſit,
 Qui fieret magnis nauſea cælitibus.
Tum Satanæ dices: I longum, perdite prædo!
 Præda modò non eſt unguibus iſta tuis.
Inferni lupus ille, ſiti ſitientior ipſâ,
 Circumeat fruſtrà, diſpereátque ſiti.
Indignans fremat, & dentem ſub dente fatigans
 Devoret invidiæ præmia digna ſuæ.
Reddam naturæ, communis debitor æris,
 Ultima, in arbitrium flebile mortis iens.
Tum duce te, nihil aut minimum debebimus igni,
 Fas erit extemplò dicere: *Tranſiimus.*
Jungetur ſuperis animus magis aureus auro,
 Hauſturus pleno gutture delicias.
Angele mi, bone Dux animæ, bone mentis Achate!
 Te *ſine non poſſum vivere, nolo mori.*
Da vocémque, oculúmque, animúmque, manúmque, volabo,
 Et mox ad ſuperos, te comitante, ferar.

FLO.

FLORES PRÆCIPUI EX OVIDIO DELIBATI, AD EXERCITIUM MEMORIÆ ET PARANDAM PHRASIUM COPIAM.

EX LIBRIS DE PONTO.

Pœnitet, & facto torqueor ipſe meo.
Cùm ſit exilium, magìs eſt mihi culpa dolori,
Eſtque pati pœnam, quàm meruiſſe, minus.
Pœna poteſt demi, culpa perennis erit.
Non priùs hi mentem ſtimuli, quàm vita relinquent,
Quódque dolet citiùs, quàm dolor ipſe, cadet.
Sit piger ad pœnas princeps, ad præmia velox,
Quíque dolet, quoties cogitur eſſe ferox.
Nos quoque præteritos ſine labe peregimus annos.
Tempore ducetur longo fortaſſe cicatrix;
Horrent admotas vulnera cruda manus.
Jam mihi deterior canis aſpergitur ætas,
Jamque meos vultus ruga ſenilis arat.
Quæ nunquam vacuâ ſolita eſt ceſſare novali,
Fructibus aſſiduis laſſa ſeneſcit humus.
Cernis, ùt ignavum corrumpant otia corpus,
Ut capiant vitium, nî moveantur aquæ?
Nec dolor ullus adeſt, nec febribus uror anhelis,
Et peragit ſoliti vena tenoris iter.
Os hebes eſt, poſitæque movent faſtidia menſæ,
Et queror, inviti cùm venit hora cibi.
Da precor acceſſum lacrymis, mitiſſime, noſtris,
Nec rigidam timidis vocibus obde forem.
- - - *Timeo* naufragus omne fretum.
Cura, *quid* expediat, prior eſt, quàm quid ſit honeſtum,
Et cum fortunâ ſtátque cadítque fides.
Nec facilè invenies multis de millibus unum,
Virtutem pretium qui putat eſſe ſuî.
Ipſe decor recti, facti ſi præmia deſint,
Non movet, & gratìs pœnitet eſſe probum.
Nil, niſi quod prodeſt, charum eſt: en detrahe menti
Spem fructûs avidæ: nemo petendus erit.

At reditus jam quisque ſuos amat, & ſibi quid ſit
 Utile, ſollicitis computat articulis.
Illud amicitiæ quondam venerabile nomen
 Proſtat, & in quæſtu pro meretrice ſedet.
Diligitur nemo, niſi cuî fortuna ſecunda eſt:
 Quæ ſimul intonuit, proxima quæque fugat.
Judice te, mercede caret, per ſéque petenda eſt
 Externis virtus incomitata bonis.
Candor in hoc ævo res intermortua penè.
Turpe, referre pedem, nec paſſu ſtare tenaci:
 Tranquillas etiam naufragus horret aquas.
Membra reformidant mollem quoque ſaucia tactum,
 Vanáque ſollicitos incutit umbra metus.
Omnia deficiunt: animus tamen omnia vincit:
 Ille etiam vires corpus habere facit.
Qui ſemel eſt læſus fallaci piſcis ab hamo,
 Omnibus unca cibis æra ſubeſſe putat.
Nominis ante mei venient oblivia nobis,
 Pectore quàm pietas ſit tua pulſa meo.
Acer & ad palmæ per ſe curſurus honores,
 Si tamen horteris, fortiùs ibit equus.
Velle parùm eſt, cupias, ut re potiaris, oportet.
 Interdum lacrymæ pondera vocis habent.
Quis non è timidis ægri contagia vitat,
 Vicinum metuens ne trahat inde malum?
Nox erat, & bifores intrabat luna feneſtras,
 Menſe ferè medio quanta nitere ſolet.
Livor iners vitium mores non exit in altos,
 Utque latens imâ vipera ſerpit humo.
Eſt quoque cunctarum novitas gratiſſima rerum,
 Gratiáque officio, quod mora tardat, abeſt.
Quanquam ſapor eſt ablatâ dulcis in undâ,
 Gratiùs ex ipſo fonte bibuntur aquæ.
Et magìs adducto pomum decerpere ramo,
 Quàm de cælatâ ſumere lance juvat.
Crede mihi, miſeris cæleſtia Numina parcunt,
 Nec ſemper læſos & ſinè fine premunt.
Ductus ab armento taurus detrectat aratrum,
 Subtrahit & duro colla novella jugo.
Curando fieri quædam majora videmus
 Vulnera, quæ melius non tetigiſſe fuit.

Impetus

Impetus ille ſacer, qui vatum pectora nutrit,
Qui priùs in nobis eſſe ſolebat, abeſt.
Excitat auditor ſtudium, laudatáque virtus
Creſcit, & immenſum gloria calcar habet.
Nil adeò fortuna gravis miſerabile fecit,
Ut minuant nullâ gaudia parte malum.
Multaque fert miles vulnera, multa facit.
Qui, quàm potuit, dat maxima, gratus abunde eſt,
Et pietas finem contigit illa ſuum.
Carmine fit vivax virtus, expérsque ſepulchri,
Notitiam veræ poſteritatis habet.
Tabida conſumit ferrum lapidémque vetuſtas,
Nulláque res majus tempore robur habet.
Quis labor eſt puram non temerâſſe fidem?
Gutta cavat lapidem, conſumitur annulus uſu,
Et teritur preſsâ vomer aduncus humo.
Temporis officium ſolatia dicere certi eſt,
Dum dolor in curſu eſt, dum petit æger opem:
At cùm longa dies ſedavit vulnera mentis,
Intempeſtivè qui movet, illa novat.
Crede mihi, miſeros prudentia prima relinquit,
Et ſenſus cum re, conſiliúmque fugit.
Tam felix utinam, quàm pectore candidus, eſſem,
Extat adhuc nemo ſaucius ore meo.
Omnia perdidimus, tantùm mihi vita relicta eſt,
Præbeat ut ſenſum materiámque mali.
Tendimus huc omnes, metam properamus ad unam:
Omnia ſub leges mors vocat atra ſuas.
Non habet in nobis jam nova plaga locum.

EX LIBRIS FASTORUM.

Eloquar, an ſileam? lacrymæ ſua verba morantur.
Nunc dicenda bonâ ſunt bona verba die.
Arboribus redeunt detonſæ frigore frondes,
Jam nova de gravido palmite gemma tumet.
Creverunt & opes, & opum furioſa cupido,
Et cùm poſſideant plurima, plura petunt.
Quò plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.
Victima, quæ dextrâ cecidit victrice, vocatur,
Hoſtibus à domitis hoſtia nomen habet.

Jam dederat cantus lucis prænuntius ales.
Omne ſolum forti patria eſt, ùt piſcibus æquor,
Ut volucri vacuo quicquid in orbe patet.
Differ: habent parvæ commoda magna moræ.
Aprilem memorant ab aperto tempore dictum.
Próque ſua cauſa quisque diſertus erat.
Nunc herbæ ruptâ tellure cacumina tollunt,
Nunc tumido gemmas cortice palmes agit.
Conſcia mens recti famæ mendacia ridet,
Sed nos in vitium credula turba ſumus.
Jam color unus ineſt rebus, tenebríſque teguntur
Omnia, jam vigiles conticuêre canes.
- ˘ *Habent* ventos jam mea vela ſuos.
Omnia ſunt humeris inferiora tuis.
Stat mihi non parvo virtus mea: vulnera teſtor.
Magna fuit capitis quondam reverentia cani,
Inque ſuo pretio ruga ſenilis erat.
Eſt DEUS in nobis, agitante caleſcimus illo:
Impetus hic ſacræ ſemina mentis habet.
Res eſt arbitrio non dirimenda meo.
Terra pilæ ſimilis, nullo fulcimine nixa
Aëre ſubjecto tam grave pendet onus.
Auctor in incerto eſt.
Scilicet interdum miſcentur triſtia lætis.
Sic agitur cenſura, & ſic exempla parantur,
Cùm judex, alios quod monet, ipſe facit.
Nox erat, & vinis oculíque, animíque natabant:
Nec mora: convivæ valido titubantia vino
Membra movent: dubii ſtántque, labántque pedes.
Tempora labuntur, tacitísque ſeneſcimus annis
Et fugiunt freno non remorante dies.

EX EPISTOLIS.

Res eſt ſolliciti plena timoris amor.
Jura, fides, ubi nunc? commiſſáque dextera dextræ?
Quíque erat in falſo plurimus ore DEUS?
Exitus acta probat.
Quod caret alternâ requie, durabile non eſt,
Hæc reparat vires, feſſáque membra levat.
Leniter, ex merito quidquid patiare, ferendum eſt:
Quæ venit indignè, pœna dolenda venit.

Tu

Tu levior foliis, tunc, cùm ſine pondere ſucci
 Mobilibus ventis arida facta volant.
Et minùs eſt in te, quàm in ſummâ pondus ariſtâ,
 Quæ levis aſſiduis ſolibus uſta riget.
 Illa minor culpâ pœna futura meâ eſt.
Cœpiſti meliùs, quàm deſinis, ultima primis
 Cedunt.
Aucupor infelix incertæ murmura famæ.
 Illa fuit mentis prima ruina meæ.
 Fac meus in ventos hic timor omnis eat.
Ultima mandato claudatur epiſtola parvo:
 Sit tibi cura meî, ſit tibi cura tuî.
 Nox tibi, nî properes, iſta perennis erit.
 Eſt virtus placitis abſtinuiſſe bonis.
 Non tibi plus cordis, ſed minus oris ineſt.
 Spes tua lenta venit: quod petis, alter habet.
 Tarda ſolet magnis rebus ineſſe fides.
Quid bibulum curvo proſcindere littus aratro,
 Spémque ſequi coner, quam locus ipſe negat?
 Flamma recens parvâ ſparſa reſedit aquâ.
 An neſcis, longas regibus eſſe manus?
 Fallitur augurio ſpes bona ſæpe ſuo.
Sed nimiùm properas, & adhuc tua meſſis in herba eſt.
Non bove mactato cœleſtia Numina gaudent,
 Sed, quæ præſtanda eſt, & ſine teſte, fide.
Improbe! quid gaudes, aut quæ tibi gloria parta eſt?
Sex mihi ſurgat opus humeris, in quinque reſidat,
 Muſa per undenos emodulanda pedes.
 Cedamus, leve fit, quod bene fertur onus.
Vidi ego jactatas, motâ face, creſcere flammas,
 Et vidi, nullo concutiente, mori.
Multa miſer timeo, quæ feci multa protervè,
 Exemplíque metu torqueor ipſe mei.
Aeſtus erat, mediámque dies exegerat horam.
 Ante vel à membris dividar ipſe meis.
Nox, *&* amor, vinúmque nihil moderabile ſuadent.
Cùm voluit (DEUS) toto glomerantur nubila cœlo,
 Cùm voluit, puro fulget in orbe dies.
Adſpice, ùt auritus miſerandæ ſortis aſellus,
 Aſſiduo domitus verbere, tardus eat!

Stulte! quid eſt ſomnus, gelidæ niſi mortis imago?
Longa quiescendi tempora fata dabunt.
Conveniens vitæ mors fuit iſta tuæ.
Obſequio vinces aptiùs iſta tuo.
Nitimur in vetitum ſemper, cupimúsque negata:
Sic interdictis imminet æger aquis.
Quidquid ſervatur, cupimus magìs, ipsáque furem
Cura facit; pauci, quod ſinit alter, amant.
Perfer & obdura: dolor hic tibi proderit olim:
Sæpe tulit laſſis ſuccus amarus opem.
Sed nunquam dederis ſpatioſum tempus in iram:
Sæpe ſimultates ira morata facit.
Quærit aquas in aquis, & poma fugacia captat
Tantalus; hoc illi garrula lingua dedit.
Optima prima ferè manibus rapiuntur avaris:
Implentur numeris deteriora ſuis.
Quid folia arboribus, quid pleno ſidera cœlo,
In freta collectas alta quid addis aquas?
Spectatum veniunt, veniunt ſpectentur ut ipſi,
Ille locus caſti damna pudoris habet.
Jam magno nobis ore ſonandus eris.
Enumerem? numero cedet arena meo.
Qualibet officio cauſa ſit apta tuo.
Fertilior ſeges eſt alienis ſemper in agris,
Vicinúmque pecus grandius uber habet.
Flectitur iratus voce rogante DEUS.
Sic, ne perdiderit, non ceſſat perdere, luſor:
Et revocat cupidas alea ſæpe manus.
Quid magìs eſt durum ſaxo, quid mollius undâ?
Dura tamen molli ſaxa cavantur aquâ.
Horruit, ùt ſteriles, agitat quas ventus, ariſtæ:
Ut levis in madidâ canna palude tremit.
Sæpe tacens vocem verbáque vultus habet.
Jurgia, præcipuè vino ſtimulata, caveto.
Peſſima ſit, nulli non ſua forma placet.
Innocui vivite, Numen adeſt.
Reddite depoſitum: pietas ſua fœdera ſervet:
Fraus abſit, vacuas cædis habete manus.
Pectoribus mores tot ſunt, quot in orbe figuræ,
Qui ſapit, innumeris moribus aptus erit.

Nec

Nec minor eſt virtus, quàm quærere, parta tueri:
 Caſus ineſt illic, hìc erit artis opus.
Reſtat iter cœli: cœlo tentabimus ire.
Sit procul omne nefas: ut ameris, amabilis eſto.
Forma bonum fragile eſt, quantúmque accedit ad annos,
 Fit minor, & ſpatio carpitur illa ſuo.
Et tibi jam venient cani, formoſe! capilli:
 Jam venient rugæ, quæ tibi corpus arent.
Dextera præcipuè capit indulgentia mentes:
 Aſperitas odium ſæváque bella movet.
Cede repugnanti, cedendo victor abibis.
 Si rota defuerit, tu pede carpe viam.
Aurea nunc verè ſunt ſæcula, plurimus auro
 Venit honos, auro conciliatur amor.
Ipſe licèt venias Muſis comitatus, Homere,
 Si nihil attuleris, ibis, Homere, foras.
 Nunc ferè, quæ plenâ poſtmodò falce metas.
- - - ˘ ˘ - *Nihil* aſſuetudine majus.
 Sub quâ nunc recubas arbore, virga fuit.
 Nec ſemper dubias adjuvat aura rates.
 Dedecet ingenuos tædia ferre ſuî.
Quid moror in parvis? animus majoribus inſtat.
Eximia eſt virtus, præſtare ſilentia rebus:
 At contra gravis eſt culpa, tacenda loqui.
Quod malè fers, aſſueſce, feres bene, multa vetuſtas
 Lenit.
Dum novus in viridi coaleſcit cortice ramus,
 Concutiat tenerum quælibet aura, cadet.
Mox etiam ventis, ſpatio durata, reſiſtit:
 Firmáque adoptivas arbor habebit opes.
 Sæpe latet vitium proximitate boni.
Dum vires, anníque ſinunt, tolerate labores:
 Jam veniet tacito curva ſenecta pede.
 Solus & artifices qui facit, uſus abeſt.
Ventura memores jam nunc eſtote ſenectæ,
 Sic nullum vobis tempus abibit iners.
 Diſcite, eunt anni more fluentis aquæ.
Nec, quæ præteriit, rurſum revocabitur unda,
 Nec quæ præteriit, hora redire poteſt.
Ite per exemplum, genus ô mortale! piorum:

Anguibus exuitur tenui cum pelle vetuſtas.
Majus opus, mores compoſuiſſe ſuos.
- ᴗ ᴗ - - - *Ignoti* nulla cupido.
- ᴗ ᴗ - ᴗ ᴗ - *Semper* tibi pendeat hamus,
Quo minimè credis tempore, piſcis erit.
Candida pax homines, trux decet ira feras.
Ora tument irâ, nigreſcunt ſanguine venæ,
Lumina Gorgóneo ſæviùs angue micant.
Sæpe tacens odii ſemina vultus habet.
Scilicet ingenium placidâ mollitur ab arte,
Et ſtudio mores convenienter eunt.
Cingenda eſt altis ſepibus alta ſeges.
Munera, crede mihi, placant hominésque, Deósque.
Non avis aucupibus monſtrat, quâ parte petatur,
Non docet infeſtos currere cerva canes.
Jámque dies medius tenues contraxerat umbras,
Inque pari ſpatio veſper & ortus erant.
Terra ſalutiferas herbas, eadémque nocentes
Nutrit, & urticæ proxima ſæpe roſa eſt.
Utile propoſitum eſt, ſævas extinguere flammas,
Nec ſervum vitiis pectus habere ſuum.
Quale ſit, id quod amas, celeri circumſpice mente,
Et tua læſuro ſubtrahe colla jugo.
Qui non eſt hodie, cras minùs aptus erit.
Difficiles aditus impetus omnis habet.
Temporibus medicina valet; data tempore proſunt:
Et data non apto tempore vina nocent.
Otia ſi tollas, periêre Cupidinis arcus,
Contemptaéque jacent, & ſine luce faces.
Cedet amor rebus: res age, tutus eris.
Quæritur Aegyſthus, quare ſit factus adulter?
In promptu cauſa eſt, deſidioſus erat.
Poma dat Auguſtus: formoſa eſt meſſibus æſtas;
Ver præbet flores: igne levatur hiems.
Sæpe bibi ſuccos, quamvìs invitus, amaros
Aeger, & oranti menſa negata mihi eſt:
Ut corpus redimas, ferrum patieris & ignes,
Arida nec ſitiens ora levabis aquâ:
Ut valeas animo, quidquam tolerare negabis?
At pretium pars hæc corpore majus habet.
Prætendis culpæ ſplendida verba tuæ.

- *Mala*

Mala ſunt vicina bonis: errore ſub illo
Pro vitio virtus crimina ſæpe tulit.
Si ſapis, ad numeros exige quæque ſuos.
Quæ nimis apparent retia, vitat avis.
Propoſitis frenis ſæpe repugnat equus.
Quáque vocant fluctus, hàc tibi remus eat.
Semper habe Pyladen aliquem, qui curet Oreſten.
Proximus è tectis ægrè defenditur ignis,
Utile finitimis abſtinuiſſe locis.
Ut flerent, oculos erudière ſuos.
Eloquar invitus: teneros ne tange poëtas.
Non opus eſt, celeri ſubdere calcar equo.
Nutritur vento, vento reſtinguitur ignis,
Lenis alit flammas, grandior aura necat.
Contigimus portum, quò mihi curſus erat.

ILLUSTRIORES ALIQUOT LOCI
EX LIBRIS METAMORPHOSEON.
PRO EXEMPLO VERSUS HEROICI.
Deorum Concilium L. I.

Eſt via ſublimis, cœlo manifeſta ſereno,
Lactea nomen habet, candore notabilis ipſo;
Hàc iter eſt ſuperis ad magni tecta Tonantis,
Regalémque domum: dextrâ, læváque deorum
Atria nobilium valvis celebrantur apertis.
Plebs habitat diverſa locis: à fronte potentes
Cælicolæ, claríque, ſuos poſuêre penates.
Hic locus eſt, quem, ſi verbis audacia detur,
Haud timeam magni dixiſſe palatia cœli.
Ergo ubi marmoreo ſuperi ſedêre receſſu;
Celſior 1. ipſe loco, ſceptróque innixus eburno
Terrificam capitis concuſſit térque, quatérque
Cæſariem, cum quâ terram, mare, ſidera movit.
Talibus inde modis ora indignantia ſolvit:
Non ego pro mundi regno magis anxius illâ
Tempeſtate fui, quâ centum quisque parabat

1. *Ipſe*) Jupiter.

Injicere 2. anguipedum captivo brachia cœlo.
Nam quanquàm ferus hostis erat, tamen illud ab uno
Corpore, & ex unâ pendebat origine bellum.
Nunc mihi quà totum 3. Nereus circumsonat orbem,
Perdendum est mortale genus: per flumina juro
Infera, sub terras stygio labentia luco.
Cuncta priùs tentanda: sed immedicabile vulnus
Ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.
Sunt mihi Semi-dei, sunt rustica numina Fauni,
Et Nymphæ, Satyrique, & ruricolæ Silvani:
Quos quoniam cœli nondum dignamur honore,
Quas dedimus, certò terras habitare sinamus.
An satìs, ô superi! tutos fore creditis illos?
Cùm mihi, qui fulmen, qui vos habeóque, regóque,
Struxerit insidias notus feritate Lycaon?
Confremuêre omnes, studiisque ardentibus ausum
Talia deposcunt. Sic cùm manus impia sævit
Sanguine Cæsareo Romanum extinguere nomen;
Attonitum tanto subitæ terrore ruinæ
Humanum genus est: totúsque perhorruit orbis.
Nec tibi grata minùs pietas, Auguste tuorum,
Quàm fuit illa Jovi: qui postquàm voce manúque
Murmura compressit, tenuêre silentia cuncti.

2. *Anguipedum*) gigantum: his enim draconum pedes dant Poëtæ.
3. *Nereus*) Deus maris, Oceani & Thetydis filius.

DILUVII A JOVE DECRETI DESCRIPTIO.

Pœna placet diversa, genus mortale sub undis
Perdere, & ex omni nimbos demittere cœlo.
Protinus Aeoliis Aquilonem claudit in antris:
Et quæcunque fugant inductas flamina nubes:
Emittítque Notum. Madidis Notus advolat alis,
Terribilem piceâ tectus caligine vultum.
Barba gravis nimbis: canis fluit unda capillis;
Fronte sedent nebulæ: rorant pennaéque, sinúsque:
Utque manu latè pendentia nubila pressit,
Fit fragor, & densi funduntur ab æthere nimbi.
Nuntia Junonis varios induta colores
Concipit Iris aquas, alimentáque nubibus affert.
Sternuntur segetes, & deplorata coloni
Vota jacent, longíque perit labor irritus anni.

Nec

Nec cœlo contenta ſuo eſt Jovis ira: ſed illum
1. Cæruleus frater juvat auxiliaribus undis.
Convocat hic amnes, qui poſtquàm tecta 2. tyranni
Intravêre ſui: *Non eſt hortamine longo*
Nunc, ait, *utendum: vires effundite veſtras:*
Sic opus eſt, aperite domos, ac mole remotâ
Fluminibus veſtris totas immittite habenas.
Iuſſerat: hi redeunt, ac fontibus ora relaxant,
Et defrenato volvuntur in æquora curſu.
Ipſe tridente ſuo terram percuſſit: at illa
Intremuit, motúque vias patefecit aquarum.
Exſpatiata ruunt per apertos flumina campos;
Cúmque ſatis arbuſta ſimul, pecudéſque, viróſque,
Tectáque, cúmque ſuis rapiunt penetralia ſacris.
Si qua domus manſit, potuítque reſiſtere tanto
Indejecta malo; culmen tamen altior hujus
Unda tegit, preſſaéque latent ſub gurgite turres.
Jámque mare & tellus nullum diſcrimen habebant:
Omnia pontus erat, deerant quoque littora ponto,
Occupat hic collem, cymbâ ſedet alter aduncâ,
Et ducit remos illic, ubi nuper arârat:
Ille ſuper ſegetes, aut merſæ culmina villæ
Navigat, hic ſummâ piſcem deprendit in ulmo:
Figitur in viridi ſi fors tulit anchora prato,
Aut ſubjecta terunt curvæ vineta carinæ,
Et modò, quà graciles gramen carpsêre capellæ,
Nunc ibi deformes ponunt ſua corpora 3. phocæ.
Mirantur ſub aquâ lucos, urbéſque, domóſque
4. Nereides, ſilváſque tenent Delphines, & altis
Incurſant ramis, agitatáque robora pulſant.
Nat lupus inter oves, fulvos vehit unda leones,
Unda vehit tigres, nec vires 5. fulminis apro,
Crura nec ablato proſunt velocia cervo.
Quæſitíſque diu terris, ubi ſiſtere poſſit
In mare laſſatis volucris vaga decidit alis.

Obru-

1. *Cæruleus frater*) Neptunus.
2. *Tyranni*) Regis ſui Neptuni.
3. *Phocæ*) vituli marini.
4. *Nereides*) Deæ marinæ.
5. *Fulminis*) Poëtæ vocant aprum *fulmineum*, quia in eo vis dentis eſt inſtar fulminis.

Obruerat tumulos immenſa licentia ponti,
Pulſabántque novi montana cacumina fluctus.
Maxima pars undâ rapitur; quibus unda pepercit,
Illos longa domant inopi jejunia victu.

FABULA PHAETONTIS. L. II.

I.

Solis regia, currus, equi deſcribuntur.

Regia ſolis erat, ſublimibus alta columnis,
Clara micante auro, flammáſque imitante pyropo:
Cujus ebur nitidum faſtigia ſumma petebat:
Argenti bifores radiabant lumine valvæ.
Materiam ſuperabat opus: nam 1. Mulciber illic
Aequora cælabat medias cingentia terras,
Terrarúmque orbem, cælúmque, quod imminet orbi.
Cæruleos habet unda deos, Tritona canorum,
2. Proteáque ambiguum, balænarúmque prementem
3. Aegæona ſuis immania terga lacertis,
4. Doridáque & natas: quarum pars nare videtur,
Pars in mole ſedens virides ſiccare capillos:
Piſce vehi quædam: facies non omnibus una,
Nec diverſa tamen, qualem decet eſſe ſororum.
Terra viros, urbéſque gerit, ſylváſque, feráſque,
Fluminá que & Nymphas, & cetera numina ruris.
Hæc ſuper impoſita eſt cœli fulgentis imago,
Signáque ſex foribus dextris, totidémque ſiniſtris.
Quò ſimul, acclivo 5. Clymeneïa limite proles
Venit, & intravit dubitati tecta parentis.
Protinus ad patrios ſua fert veſtigia vultus:
Conſiſtitque procul: (nec enim propiora ferebat
Lumina.) Purpureâ velatus veſte ſedebat
In ſolio Phœbus claris lucente ſmaragdis.
A dextrâ lævâque dies, & menſis, & annus,

Secu-

1. *Mulciber*) Vulcanus, dictus à mulcendo, vel molliendo ferro.

2. *Protea*) Neptuni Paſtor eſt, phocas cuſtodiens, in omnem formam mutabilis.

3. *Aegæona*) Unus è gigantibus fuit, Ponti & terræ filius. Vehitur balænis inſidens.

4. *Dorida*) Doris, Oceanî filia, Nerei uxor.

5. *Clymeneia proles*) Phaëton Clymenes filius.

Seculáque & positæ spatiis æqualibus horæ,
Vérque novum stabat cinctum florente coronâ.
Stabat pigra æstas, & spicea serta gerebat,
Stabat & autumnus calcatis sordidus uvis,
Et glacialis hiems canos hirsuta capillos.
Inde loco medius, rerum novitate paventem
Sol oculis juvenem, quibus adspicit omnia, vidit.
Quæq; viæ tibi causa? quid hâc, ait, *arte, petisti*
Progenies Phaëton haud inficienda parenti?
Ille refert: *O lux immensi publica mundi,*
Phœbe pater, si das usum mihi nominis hujus,
Nec falsâ culpam Clymene sub imagine celat;
Pignora da, genitor, per quæ tua vera propago
Credar, & hunc animis errorem detrahe nostris.
Dixerat; at genitor circum caput omne micantes
Deposuit radios, propiúsque accedere jussit,
Amplexúque dato: *Nec tu meus esse negari*
Dignus es, & Clymene veros, ait, edidit ortus:
Quóque minùs dubites, quodvis pete munus, & illud
Me tribuente, feres: promissis testis adesto
Dis juranda palus, oculis incognita nostris.
Vix bene desierat; currus petit ille paternos,
Inque diem alipedum jus & moderamen equorum.

II.

Phœbus deterrere Phaëtontem frustra conatur à temeraria petitione.

Pænituit jurâsse patrem, qui térque quatérque
Concutiens illustre caput; *Temeraria*, dixit,
Vox mea facta tua est: utinam promissa liceret
Non dare: confiteor solùm hoc tibi, nate, negarem.
Dissuadere licet: non est tua tuta voluntas.
Magna petis Phaëton, & quæ nec viribus istis
Munera conveniunt, nec tam puerilibus annis.
Sors tua mortalis; non est mortale, quod optas:
Plus etiam, quàm quod superis contingere possit,
Nescius affectas: vasti quoque rector olympi,
Qui fera teribili jaculatur fulmina dextrâ,
Non aget hos currus: & quid Jove majus habetur?

Ardua prima via est, & quò vix manè recentes
Enituntur equi; media est altissima cœlo,
Unde mare & terras ipsi mihi sæpe videre
Sit timor, & pavidâ trepidet formidine pectus.
Ultima prona via est, & eget moderamine certo.
Tunc etiam, quæ me subjectis excipit undis,
Ne ferar in præceps, Thetys solet ipsa vereri.
Adde, quòd assiduâ rapitur vertigine cœlum,
Sideráque alta trahit, celerique volumine torquet.
Nitor in adversum; nec me, qui cetera, vincit
Impetus, & rapido contrarius evehor orbi.
Finge datos currus; quid ages? poterisne rotatis
Obvius ire polis, ne te citus auferat axis?
Forsitan & lucos illic, urbésque deorum,
Concipias animo, delubráque ditia donis
Esse; per insidias iter est, formásque ferarum.
Utq; viam teneas, nulloque errore traharis,
Per tamen adversi gradiêris cornua Tauri,
1. *Aemoniósque arcus, violentique ora Leonis,*
Sæváque circuitu curvantem brachia longo
Scorpion, atque aliter curvantem brachia cancrum.
Nec tibi quadrupedes animosos ignibus illis,
Quos in pectore habent, quos ore & naribus efflant,
In promptu regere est; vix me patiuntur, ubi acres
Incaluêre animi; cervixque repugnat habenis.
At tu, funesti ne sim tibi muneris auctor,
Nate cave, dum résque sinit, tua corrige vota.
Scilicet ut nostro genitum te sanguine credas,
Pignora certa petis; do pignora certa, timendo:
Et patrio pater esse metu probor: aspice vultus
Ecce meos: utinámque oculos in pectora posses
Inserere, & patrias intus deprêndere curas.
Denique, quidquid habet dives, circumspice, mundus,
Déque tot ac tantis cœli, terraq;, marisque
Posce bonis aliquid; nullam patiêre repulsam.
Deprecor hoc unum, quod vero nomine pœna,
Non honor est; pœnam Phaëton pro munere poscis.
Quid mea colla tenes blandis, ignare! lacertis?
Ne dubita: dabitur (stygias juravimus undas)
Quodcunque optâris: sed tu sapientiùs opta.

III.

1. *Aemonios*) Arcitenens. Chiron Centaurus, Aesculapii & Achillis educator in sidera translatus.

III.

Phœbus currui ſuo Phaëtontem imponit, ac monitis non profuturis inſtruit.

Finierat monitis: dictis tamen ille repugnat:
Propoſitúmque premit, flagrátque cupidine currûs.
Ergo, quà licuit genitor cunctatus, ad altos
Deducit juvenem, 1. Vulcania munera, currus.
Aureus axis erat, temo aureus, aurea ſummæ
Curvatura rotæ, radiorum argenteus ordo;
Per juga Chryſolithi, poſitæque ex ordine gemmæ
Clara repercuſſo reddebant lumina Phœbo.
Dúmque ea magnanimus Phaëton miratur, opúsque
Perſpicit, ecce vigil nitido patefecit ab ortu
Purpureas aurora fores, & plena roſarum
Atria: diffugiunt ſtellæ, quarum agmina cogit
2. Lucifer, & cœli ſtatione noviſſimus exit.
At pater, ùt terras, mundúmque rubeſcere vidit,
Cornuáque extremæ velut evaneſcere Lunæ,
Jungere equos Titan velocibus imperat Horis.
Juſſa deæ celeres peragunt, ignémque vomentes
Ambroſiæ ſucco ſaturos præſepibus altis
Quadrupedes ducunt, addúntque ſonantia frena.
Tum pater ora ſui ſacro medicamine nati
Contigit, & rapidæ fecit patientia flammæ;
Impoſuítque comæ radios, præſagáque luctûs
Pectore ſollicito repetens ſuſpiria, dixit:
Si potes his ſaltem monitis parere parentis,
Parce puer ſtimulis, & fortiùs utere loris:
Sponte ſuâ properant; labor eſt inhibere volantes.
Nec tibi directos placeat via quinque per 3. *arcus:*
Sectus in obliquum eſt lato curvamine limes,
Zonarúmque trium contentus fine, polúmque
Effugit Auſtralem, junctámque Aquilonibus Arcton.
Hàc ſit iter; manifeſta rotæ veſtigia cernes.
Utque ferant æquos & cœlum & terra calores,

Nec

1. *Vulcania*) à Vulcano, deo ignis, fabricata.

2. *Lucifer*) Veneris ſtella, quæ in ortu ſolem præcedit, aliàs Phoſphorus.

3. *Arcus*) Zonæ. Circulorum quinque ſegmenta.

Nec preme, nec ſummum molire per æthera curſum:
Altiùs egreſſus cæleſtia tecta cremabis,
Inferiùs, terras: medio tutiſſimus ibis.
Ne te dexterior tortum declinet ad anguem,
Néve ſiniſterior preſſam rota ducat ad aram:
Inter utrumque tene: fortunæ cetera mando,
Quæ juvet, & meliùs, quàm tu, tibi conſulat opto.
Dum loquor, Heſperio poſitas in littore metas
Humida nox tetigit, non eſt mora libera nobis:
Poſcimur, & fulget tenebris aurora fugatis.
Corripe lora manu, vel ſi mutabile pectus
Eſt tibi, conſiliis, non curribus utere noſtris,
Dum potes, & ſolidis etiamnum ſedibus adſtas,
Dúmque malè optatos nondum premis inſcius axes;
Quæ tutus ſpectes, ſine me dare lumina terris.
Occupat ille levem juvenili corpore currum,
Státque ſuper, manibúsque datas contingere habenas
Gaudet, & invito grates agit inde parenti.

IV.

Phaëton malè currum ſolis regit; habenas, mentis impos, abjicit.

Intereà volucres Pyroeis, Eous, & Aethon,
Solis equi, quartúsque Phlegon, hinnitibus auras
Flammiferis implent, pedibúsque repagula pulſant.
Quæ poſtquam 1. Tethys, fatorum ignara nepotis,
Reppulit, & facta eſt immenſi copia cœli;
Corripuêre viam, pedibúsque per aëra motis
Obſtantes ſcindunt nebulas, penníſque levati
Prætereunt ortos iîſdem de partibus Euros.
Sed leve pondus erat, nec quod cognoſcere poſſent
Solis equi, ſolitâque jugum gravitate carebat.
Utque labant curvæ juſto ſine pondere naves,
Pérque mare inſtabiles nimiâ levitate feruntur:
Sic onere inſueto vacuos dat in æthera ſaltus,
Succutitúrque altè, ſimiliſque eſt currus inani.
Quod ſimul ac ſenſêre; ruunt, tritúmque relinquunt
Quadrijuges ſpatium, nec quo priùs ordine currunt.

Ipſe

1. *Tethys*) Oceani uxor, Clymenes mater.

Ipſe pavet, nec quà commiſſas flectat habenas,
Nec ſcit, quà ſit iter; nec ſi ſciat, imperet illis.
Tum primùm radiis gelidi caluêre Triones,
Et vetito fruſtra tentârunt æquore tingi.
Quæque polo poſita eſt glaciali proxima ſerpens
Frigore pigra priùs, nec formidabilis ulli,
Incaluit, ſumpſitque novas fervoribus iras.
Te quoque turbatum memorant fugiſſe Boote!
Quamvìs tardus eras, & te tua plauſtra tenebant.
Ut verò ſummo deſpexit ab æthere terras
Infelix Phaëton penitus, penitúsque jacentes,
Palluit, & ſubito genua intremuêre timore,
Súntque oculis tenebræ per tantum lumen obortæ:
Et jam mallet equos nunquam tetigiſſe paternos,
Jam cognôſſe genus piget, & valuiſſe rogando:
Jam 2. Meropis dici cupiens, ita fertur, ut acta
Præcipiti pinus Boreâ, cui victa remiſit
Frena ſuus rector, quam dîis, votíſque reliquit.
Quid faciat? multum cœli poſt terga relictum,
Ante oculos plus eſt: animo metitur utrumque;
Et modò, quos illi fas tum contingere non eſt,
Proſpicit occaſus; interdum reſpicit ortus:
Quídque agat, ignarus, ſtupet: & nec frena remittit,
Nec retinere valet; nec nomina novit equorum.
Sparſa quoque in vario paſſim miraculo cœlo,
Vaſtarúmque videt trepidus ſimulacra ferarum.
Eſt locus, in geminos ubi brachia concavat arcus
Scorpius, & caudâ, flexíſque utrinque lacertis
Porrigit in ſpatium ſignorum membra duorum.
Hunc puer ùt nigri madidum ſudore veneni

2. *Meropis*) Filius Meropis dici mallet.

Vulnera curvatâ minitantem cuſpide vidit:
Mentis inops gelidâ formidine, lora remiſit.
Quæ poſtquam ſummo ſenſêre jacentia tergo,
Exſpatiantur equi: nullóque inhibente per auras
Ignotæ regionis eunt: quáque impetus egit,
Hàc ſine lege ruunt, altóque ſub æthere fixis
Incurſant ſtellis, rapiúntque per avia currum:
Et modò ſumma petunt, modò per decliva, viáſque
Præcipites, ſpatio terræ propiore feruntur:
Inferiúſque ſuis fraternos currere luna
Admiratur equos, combuſtáque nubila fumant.

V.

Montes flammis corripiuntur.

Corripitur flammis, ut quæque altiſſima, tellus,
Fiſſáque agit rimas, & ſuccis aret ademptis.
Pabula caneſcunt, cum frondibus uritur arbor:
Materiámque ſuo præbet ſeges arida damno.
Parva queror: magnæ pereunt cum mœnibus urbes:
Cúmque ſuis totas populis incendia gentes
In cinerem vertunt: ſilvæ cum montibus ardent;
Ardet 1. Athos, Taurúſque Cilix, & Tmolus, & Oete,
Et tum ſicca, priùs celeberrima fontibus, Ide;
Virgineúſque Helicon, & nondum Oeagrius Hœmus,
Ardet in immenſum geminatis ignibus Aetna,
Parnaſſúſque biceps, & Eryx, & Cynthrus, & Othrys,
Et tandem nivibus Rhodope caritura, Mimáſque,

Din-

1. *Athos* Mons Theſſaliæ. *Taurus* Ciliciæ. *Tmolus* Aſiæ. *Ide* Cretæ. *Helicon* Bœotiæ. *Aetna* Siciliæ. *Hæmus* Thraciæ. *Parnaſſus* Phocidis. *Eryx* Siciliæ. *Dindyma* Phrygiæ. *Mycale* Cariæ. *Caucaſus* Aſiæ, &c.

Dindymáque, & Mycale, natúsque ad sacra Cithæron:
Nec prosunt Scythiæ sua frigora: Caucasus ardet;
Ossáque cum Pindo, majórque ambobus Olympus,
Aëreæque Alpes, & nubifer Apenninus.
Tunc verò Phaëton cunctis è partibus orbem
Aspicit accensum, nec tantos sustinet æstus,
Ferventésque auras, velut è fornace profundâ
Ore trahit; currúsque suos candescere sentit,
Et neque jam cineres, ejactatámque favillam
Ferre potest, calidóque involvitur undique fumo:
Quóque eat, aut ubi sit piceâ caligine tectus
Nescit, & arbitrio volucrum raptatur equorum.
Sanguine tum credunt in corpora summa vocato
Aethiopum populos nigrum traxisse colorem.
Tum facta est Lybie, raptis humoribus, æstu
Arida: tum Nymphæ passis fontésque, lacúsque
Deflevêre comis: quærit Bœotia 2. Dircen,
Argos Amymonen, Ephyre Pirenidas undas.

2. *Dirce* fons est Bœotiæ: *Amymone* Achajæ prope *Argos*: *Ephyre* Corinthus, cui *Pirene* fons vicinus.

VI.

Flumina & maria exarescunt.

Nec sortita loco distantes flumina ripas
Tuta manent: mediis 1. Tanais fumavit in undis,
Peneúsque senex, Teuthranteúsque Caycus,
Et celer Ismenus, cum Phocaico Erymantho;
Arsurúsque iterum Xanthus, flavúsque Lycormas

1. *Tanais* fluvius Sarmatiæ, *Peneus* Thessaliæ, *Caycus* Asiæ minoris in regione Teutranthia. *Ismenus* Bœotiæ, *Erymanthus* Phocidis, *Xanthus* Phrygiæ, quem bello Trojano Vulcanus iterum deussit, *Lycormas* Aetoliæ, prope Tænarum promont.

Quíque recurvatis ludit Mæander in undis,
Mygdoniúsque Melas, & Tænarius Eurotas.
Arſit & 2. Euphrates Babylonius, arſit Orontes,
Thermodoónque citus, Gangésque, & Phaſis, & Iſter.
Aeſtuat Alpheus, ripæ Sperchiades ardent;
Quódque ſuo Tagus amne vehit, fluit ignibus aurum.
Et quæ Mæonias celebrabant carmine ripas.
Flumineæ volucres medio caluêre Cayſtro.
Nilus in extremum fugit perterritus orbem,
Occuluítque caput, quod adhuc latet: oſtia ſeptem
Pulverulenta vacant, ſeptem ſine flumine valles.
Sors eadem Iſmarios Hebrum cum Strymone ſiccat,
Heſperiósque amnes, Rhenum, Rhodanúmque, Padúmque,
Cuíque fuit rerum promiſſa potentia, Tibrim.
Diſſilit omne ſolum, penetrátque in tartara rimis
Lumen, & infernum terret cum conjuge regem.
Et mare contrahitur, ſiccæque eſt campus arenæ
Quod modò pontus erat, quósque altum texerat æquor,
Exiſtunt montes, & ſparſas Cycladas augent.
Ima petunt piſces: nec ſe ſuper æquora curvi
Tollere conſuetas audent Delphines in auras.
Corpora Phocarum ſummo reſupina profundo
Exanimata jacent: ipſum quoque Nerea fama eſt
Doridáque & natas tepidis latuiſſe ſub undis.
Ter Neptunus aquis cùm toto brachia vultu
Exerere auſus erat, ter non tulit aëris ignes.

2. *Euphrates* fluvius Babylonis, *Orontes* Syriæ, *Thermodoon* Cappadociæ, *Ganges* Indiæ, *Phaſis* Colchidis, *Iſter* Germaniæ, *Sperchius* Theſſaliæ, *Tagus* Hiſpaniæ, *Cayſter* Lydiæ cygnís frequens. *Nilus* Aegypti, *Hebrus*, *Strymon* Thraciæ, haud procul Iſmăro monte. *Rhodanus* Galliæ, *Rhenus* Germaniæ, *Padus*, *Tiberis* Italiæ.

VII.

VII.

Tellus de Orbis exitio expoſtulat cum Jove.

Alma tamen tellus, ùt erat circumdata ponto,
Inter aquas pelagi, contractósque undique fontes,
Qui ſe condiderant in opacæ viſcera matris,
Suſtulit 1. omniferos, collo tenus, arida vultus:
Oppoſuítque manum fronti, magnóque tremore
Omnia concutiens, paulùm ſubſedit, & infra
Quàm ſolet eſſe, fuit; ſacrâque ita voce locuta eſt:
Si placet hoc, meruique quid, ô tua fulmina ceſſent
Summe Deûm! liceat perituræ viribus ignis,
Igne perire tuo, cladémque auctore levare.
Vix equidem fauces hæc ipſa in verba reſolvo,
(Presserat ora pavor) toſtos en aſpice crines,
Inq́; oculis fumum, volitant ſuper ora favillæ.
Hósne mihi fructus, hunc fertilitatis honorem
Officiique refers? quòd adunci vulnera aratri,
Raſtrorúmque fero, totóque exerceor anno?
Quòd pecori frondes, alimentáque mitia fruges
Humano generi, vobis quoque thura miniſtro?
Sed tamen exitium fac me meruiſſe; quid undæ?
Quid meruit frater? Cur illi tradita ſorte
Aequora decreſcunt; & ab æthere longiùs abſunt?
Quòdſi nec fratris, nec te mea gratia tangit;
At cœli miſerere tui: circumſpice utrimque
Fumat uterque polus, quos ſi violaverit ignis,
Atria veſtra ruent: Atlas en ipſe laborat,

1. *Omniferos)* Omnia ferentes & producentes.

Vixque suis humeris candentem sustinet axem.
Si freta, si terræ pereunt, si regia cœli,
In chaos antiquum confundimur: eripe flammis,
Si quid adhuc superest, & rerum consule summæ.
Dixerat hæc Tellus: nec enim tolerare vaporem
Ulteriùs potuit, nec dicere plura; suúmque
Rettulit os in se, propioráque Manibus antra.

VIII.

Phaëton fulmine percutitur. Ejus tumulus, & elogium tumulo inscriptum.

At Pater Omnipotens superos testatus, & ipsum,
Qui dederat currus, nisi opem ferat, omnia fato
Interitura gravi, summam petit arduus arcem:
Unde solet nubes latis inducere terris,
Unde movet tonitru, vibratáque fulmina jactat.
Sed neque, quas posset, terris inducere nubes
Tunc habuit, nec quos cœlo demitteret imbres.
Intonat, & dextrâ libratum fulmen ab aure
Misit in aurigam; paritérque animâque, rotísque
Exuit, & sævis compescuit ignibus ignes.
Consternantur equi, & saltu in contraria verso,
Colla jugo eripiunt, abruptáque ora relinquunt.
Illic frena jacent, illic temone repulsus
Axis; in hac radii fractarum parte rotarum,
Sparsáque sunt latè laceri vestigia currûs.

At

At Phaëton rutilos flammâ populante capillos,
Volvitur in præceps, longóque per aëra tractu
Fertur, ùt interdum de cœlo stella sereno,
Etsi non cecidit, potuit cecidisse videri.
Quem procul à patriâ diverso maximus Orbe
Excipit Eridanus, fumantiáque abluit ora.
Najades Hesperiæ trifidâ fumantia flammâ
Corpora dant tumulo, signant quoque carmine saxum:
Hic situs est Phaëton, currûs auriga paterni,
Quem si non tenuit, magnis tamen excidit ausis.

Narratio de Dædalo & Icaro L. VIII.

Dædalus intereà Creten longúmque perosus
Exilium, tactúsque loci natalis amore,
Clausus erat pelago. *Terras licèt*, inquit, *& undas*
Obstruat; at cœlum certè patet, ibimus illac.
Omnia possideat, non possidet aëra Minos.
Dixit & ignotas animum dimittit in artes
Naturámque novat. Nam ponit in ordine pennas;
A minimâ cœptas, longam breviore sequente,
Ut clivo crevisse putes: sic rustica quondam
Fistula disparibus paulatim surgit avenis.
Tum lino medias, & ceris alligat imas;
Atque ita compositas parvo curvamine flectit,
Ut veras imitetur aves. Puer Icarus unà
Stabat, & ignarus sua se tractare pericla;
Ore renidenti, modò quas vaga moverat aura,
Captabat plumas, flavam modò pollice ceram
Mollibat, lusúque suo mirabile patris
Impediebat opus. Postquàm manus ultima cœpto
Imposita est, geminas opifex libravit in alas

Ipſe ſuum corpus; motâque pependit in aurâ.
Inſtruit & natum; *medióque ut limite curras,*
Icare, aït, *moneo? ne, ſi demiſſior ibis,*
Unda gravet pennas: ſi celſior, ignis adurat.
Inter utrumque vola. Nec te ſpectare 1. *Boöten*,
Aut 2. *Helicen jubeo, ſtrictúmque* 3. *Orionis enſem.*
Me duce carpe viam. Pariter præcepta volandi
Tradit, & ignotas humeris accommodat alas.
Inter opus, monitúsque genæ maduêre ſeniles,
Et patriæ tremuêre manus: dedit oſcula nato
Non iterum repetenda ſuo, pennáſque levatus
Ante volat, comitíque timet, (velut ales, ab alto
Quæ teneram prolem produxit in aëra nido)
Hortatúrque ſequi, damnoſáſque erudit artes,
Et movet ipſe, ſuas, & nati reſpicit alas.
Hos aliquis, tremulâ dum captat arundine piſces,
Aut Paſtor baculo, ſtivaéque innixus arator
Vidit & obſtupuit: quíque æthera carpere poſſent
Credidit eſſe deos. Et jam 4. junonia lævâ
Parte Samos fuerat, Delóſque Paróſque relictæ;
Dextra Lebinthos erat, fœcundáque melle Calydne.
Cùm puer audaci cœpit gaudere volatu,
Deſeruítque ducem, cœlíque cupidine tactus

Al-

1. *Booten*) Bootes ſidus eſt, quod & *Arctophylax* dicitur; videtur agitare plauſtrum, unde & à bobus nomen accepit.

2. *Helicen*) Helice major eſt urſa, ſic dicta ab *Helice* Arcadiæ urbe, in qua Caliſto nata eſſe dicitur.

3. *Orionis*) eſt ſidus Orion, habens figuram quaſi enſem nudum in manu tenere videatur.

4. *Junonia*) Junoni dicata, nam ibi Juno & nata, & educata, & Jovi uxor tradita dicitur. Samos, Delos, Inſulæ in mediterraneo.

Altius egit iter. Rapidi vicinia ſolis
Mollit odoratas, pennarum vincula, ceras:
Tabuerant ceræ, nudos quatit ille lacertos,
Remigióque carens non ullas concipit auras:
Oráque cæruleâ patrium clamantia nomen
Excipiuntur aquâ, quæ 5. nomen traxit ab illo.
At pater infelix, nec jam pater, *Icare*, dixit,
Icare, dixit, *ubi es? quâ te regione requiram?*
Icare, dicebat: pennas adſpexit in undis,
Devovítque ſuas artes, corpúsque ſepulchro
Condidit, & tellus à nomine dicta ſepulti eſt.

5. *Nomen traxit*) Icaros, Inſula, ab Icaro, Dædali filio, illic ſepulto dicta fuiſſe videtur.

Jupiter & Mercurius apud pauperes divertunt. Ibid.

Haud procul hinc ſtagnum eſt, tellus habitabilis olim:
Nunc celebris mergis, fulicíſque paluſtribus unda.
Juppiter hìc ſpecie mortalis, cúmque parente
Venit 1. Atlantiades poſitis caducifer alis.
Mille domos adiêre, locum requiémque petentes:
Mille domos clauſêre ſeræ; tamen una recepit.
Parva quidem ſtipulis, & cannâ tecta paluſtri;
Sed pia Baucis anus, parilíque ætate Philemon.
Illâ ſunt annis juncti juvenilibus, illâ
Conſenuêre casâ: paupertatémque ferendo
Effecêre levem, nec iniquâ mente ferendam.
Nec refert, dominos illic, famulósne requiras:
Tota domus duo ſunt: iîdem paréntque, jubéntque.

1. *Atlantiades*) Mercurius caduceum ferens.

Ergo ubi cœlicolæ parvos tetigêre penates
Summiſſóque humiles intrârunt vertice poſtes;
Membra ſenex poſito juſſit relevare ſedili,
Quod ſuper injecit textum rude ſedula Baucis.

II.

Philemon & Baucis hoſpitibus convivium parant.

Inde foco tepidum cinerem dimovit, & ignes
Suſcitat heſternos; foliísque & cortice ſicco
Nutrit, & ad flammas animâ perducit anili,
Multifidásque faces, ramaliáque arida tecto
Detulit, & minuit, parvóque admovit aheno:
Quódque ſuus conjux riguo collegerat horto,
Truncat olus foliis: furcâ levat ille bicorni
Sordida terga ſuis nigro pendentia tigno;
Servatóque diu reſecat de tergore partem
Exiguam, ſectámque domat ferventibus undis.
Intereà medias fallunt ſermonibus horas,
Sentiríque moram prohibent. Erat alveus illic
Fagineus, durâ clavo ſuſpenſus ab anſa:
Is tepidis impletur aquis, artúsque fovendos
Accipit. In medio torus eſt de mollibus ulvis
Impoſitus lecto, ſpondâ, pedibúsque ſalignis:
Veſtibus hunc velant, quas non niſi tempore feſto
Sternere conſuêrant; ſed & hæc viliſque, vetúsque
Veſtis erat, lecto non indignanda ſaligno.
Accubuêre Dei. Menſam ſuccincta, treménſque
Ponit anus; menſæ ſed erat pes tertius impar;

Te-

Testa parem fecit: quæ postquàm subdita clivum
Sustulit, æquatam 1. menthâ extersêre virenti,
Ponitur hìc bicolor sinceræ bacca Minervæ,
Conditáque in liquida corna autumnalia 2. fece,
Intybáque, & radix, & lactis massa coacti,
Ováque, non acri leviter versata favillâ:
Omnia 3. fictilibus. Posthæc cælatus eodem
Sistitur argento crater, fabricatáque 4. fago
Pocula, quæ cava sunt flaventibus illita ceris.

1. *Mentha*) suavissimi odoris herba est.
2. *fece*) Muria.
3. *Fictilibus*) vasis apponuntur.
4. *Fago*) arbore glandiferâ, ex cujus ligno vasa conficiuntur.

III.

Convivium ipsum, & præmium inde latum.

Parva mora est: epulásque foci misêre calentes,
Nec longæ rursus referuntur vina senectæ,
Dántque locum mensis paulùm seducta secundis,
Hìc nux, hìc mista est rugosis 1. Carica 2. palmis,
Prunáque & in patulis redolentia mala canistris,
Et de purpureis collectæ vitibus uvæ.
Candidus in medio favus est: super omnia vultus
Accessêre boni, nec iners paupérque voluntas.
Intereà quoties haustum cratera repleri
Sponte suâ, per séque vident succrescere vina;

Atto-

1. *Carica*) species ficûs siccæ.
2. *Palmis*) cum fructibus palmæ rugosis, & siccis.

Attoniti novitate pavent, manibúsque ſupinis
Concipiunt Baucísque preces, timidúsque Philemon,
Et veniam dapibus, nullísque paratibus orant.
Unicus anſer erat, minimæ cuſtodia villæ,
Quem diîs hoſpitibus domini mactare parabant:
Ille celer pennâ tardos ætate fatigat,
Eludítque diu, tandémque eſt viſus ad ipſos
Confugiſſe deos. Superi vetuêre necari,
Diîque ſumus, meritásque luet vicinia pœnas
Impia, dixerunt; *vobis immunibus hujus*
Eſſe mali dabitur: modò veſtra relinquite tecta,
Ac noſtros comitate gradus, & in ardua montis
Ite ſimul. Parent, & diîs præeuntibus ambo
Membra levant baculis, tardíque ſenilibus annis
Nituntur longo veſtigia ponere clivo.
Tantùm aberant ſummo, quantùm ſemel ire ſagitta
Miſſa poteſt; flexêre oculos, & merſa palude
Cetera proſpiciunt, tantùm ſua tecta manere.
Dúmque ea mirantur, dum deflent fata ſuorum:
Illa vetus, dominis & jam caſa parva duobus,
Vertitur in templum; furcas ſubiêre columnæ,
Stramina flaveſcunt, auratáque tecta videntur,
Cælataéque fores, adopertáque marmore tellus.
Talia cùm placido Saturnius edidit ore:
Dicite juſte ſenex, & fœmina conjuge juſto
Digna, quid optetis. Cum Baucide pauca locutus:
Judicium ſuperis aperit commune Philemon:
Eſſe ſacerdotes, delubráque veſtra tueri
Poſcimus; & quoniam concordes egimus annos,
Auferat hora duos eadem: nec conjugis unquam
Buſta meæ videam, nec ſim tumulandus ab illâ.

Vota

Vota fides ſequitur: Templi tutela fuêre,
Ante gradus templi cùm ſtarent fortè, locíque
Narrarent caſus, frondere Philemona Baucis,
Baucida conſpexit ſenior frondere Philemon.
Jámque ſuper geminos creſcente cacumine vultus,
Mutua, dum licuit, reddebant dicta, valéque:
O conjux, dixêre ſimul, ſimul abdita texit
Ora frutex. Oſtendit adhuc 3. Tynaeïus illic
Incola de gemino vicinos corpore truncos.
Hæc mihi non vani, nec erant, cur fallere vellent,
Narravêre ſenes: equidem pendentia vidi
Serta ſuper ramos, ponénsque recentia, dixit:
Cura deum dii ſunt, & qui coluêre, colantur.

3. *Tynaejus*) quidam ex Tyana Oppido Cappadociæ, qui tunc fortè in Phrygiâ fuit.

Midæ ſtultum votum, & aurea Pactoli arena. L. XI.

Nec ſatìs hoc Baccho eſt. Ipſos quoque deſerit agros,
Cúmque choro meliore, ſui vineta 1. Timoli,
2. Pactolónque petit: quamvìs non aureus illo
Tempore, nec caris erat invidioſus arenis.
Hunc aſſueta cohors, Satyri, Bacchaéque frequentant;

At

1. *Timoli*) Tmolus eſt mons Lydiæ.

2. *Pactólon*) fluvius Lydiæ eſt Pactólus, aureis abundans arenis.

At 3. Silenus abest: titubantem annísque meróque
Ruricolæ cepêre Phryges, vinctúmque coronis
Ad Regem duxêre 4. Midam, cui Thracius Orpheus
5. Orgia tradiderat cum 6. Cecropio Eumolpo.
Qui simul agnovit socium, comitémque sacrorum;
Hospitis adventu festum 7. genialiter egit
Per bis quinque dies, & junctas ordine noctes.
Et jam stellarum sublime coëgerat agmen
Lucifer undecimus, Lydos cùm lætus in agros
8. Rex venit, & 9. juveni Silenum reddit alumno.
Huic deus optanti gratum, sed inutile, fecit
Muneris arbitrium, gaudens altore recepto.
Ille malè usurus donis, ait: *Effice, quidquid*
Corpore contigero, fulvum vertatur in aurum.
Annuit optatis, nociturúque munera solvit
Liber: & indoluit, quòd non meliora petîsset.
Lætus abit, gaudétque malo 10. Berecynthius heros,
Pollicitíque fidem tangendo singula tentat.
Víxque sibi credens non altâ fronde virentem
Ilice detraxit virgam; virga aurea facta est.
Tollit humo saxum, saxum quoque palluit auro:
Contigit & glebam: contactu gleba potenti
Massa fit: arentes Cereris decerpsit aristas;

Sive

3. *Silenus*) Bacchi Pædagogus atque educator, vulgo ebrius exhibetur asino vehi solitus.
4. *Midam*) Gordiæ bubulci filium, Phrygiæ regem ditissimum, indeque fabula, quod omnia, quæ tetigisset, in aurum transmutaret.
5. *Orgia* Bacchi sacrificia.
6. *Cecropio*) Atheniensi.
7. *Genialiter*) voluptuosè ac lætè.
8. *Rex*) Midas.
9. *Juveni . . . alumno*) Baccho.
10. *Berecynthius heros*) Midas rex Phrygiæ, in qua Berecynthus mons.

Aurea messis erat: demptum tenet arbore pomum;
11. Hesperidas donasse putes: si postibus altis
Admovit digitos; postes radiare videntur.
Ille etiam liquidis palmas ubi laverat undis,
Unda fluens palmis Danaën eludere possit.
Vix spes ipse suas animo capit, aurea fingens
Omnia gaudenti mensas posuêre ministri
Exstructas dapibus, nec tostâ frugis egentes.
Tum verò, sive ille suâ Cerealia dextrâ
Munera contigerat; Cerealia dona rigebant:
Sive dapes avido convellere dente parabat;
Lamina fulva dapes admoto dente nitebat.
Miscuerat puris 12. auctorem muneris undis;
Fusile per rictus aurum fluitare videres.
Attonitus novitate mali, divésque, misérque,
Effugere optat opes, & quæ modò voverat, odit.
Copia nulla famem relevat; sitis arida guttur
Urit: & inviso meritus torquetur ab auro.
Ad cœlúmque manus, & splendida brachia tollens,
Da veniam, Lenæe pater, peccavimus, inquit:
Sed miserere, precor, speciosóque eripe damno.
Mite deûm numen: Bacchus peccâsse fatentem
Restituit, factíque fide data munera solvit.
Néve malè optato maneat circumlitus auro,
Vade, ait, ad *magnis vicinum Sardibus* 13. *amnem*,

Per-

11. *Hesperidas*) Nam Hesperides hortos dicuntur habuisse, in quibus arbores aurea poma ferebant.

12. *Auctorem*) Bacchum, metonymicè pro *vino*.

13. *Amnem*) intelligit Pactolum, Lydiæ fluvium, ex Tmolo monte Sardes oppidum prætérlabentem.

Pérque jugum ripæ labentibus obvius undis
Carpe viam, donec venias ad fluminis ortus,
Spumigeróque tuum fonti, quà plurimus exit,
Subde caput, corpúsque ſimul, ſimul elue crimen.
Rex juſſæ ſuccedit aquæ: vis aurea tinxit
Flumen, & húmano de corpore ceſſit in amnem.
Nunc quoque jam veteris percepto ſemine venæ
Arva rigent auro madidis pallentia glebis.

JACOBI GRETSERI
SOCIETATIS JESU
INSTITUTIONUM LINGUAE GRAECAE
PARS TERTIA
DE
VERBIS ANOMALIS,
ET
SYNTAXI
IN COMMODIOREM USUM REDACTA, ET VARIE ILLUSTRATA.

CAPUT I.
DE VERBORUM ANOMALIA.

Triplex Verborum Anomalia apud Græcos considerandа est: *prima* Verborum in μι, *altera* Verborum in ω, quæ Temporibus deficiunt, *tertia* Verborum Formâ & Personis defectivorum.

SECTIO I.
DE PRIMA ANOMALIA VERBORUM in μι.

Verba Anomala in μι, quæ à communi formâ magìs recedunt, hæc ferè ſunt:

A VER-

Verbum Subſtantivum
Εἰμὶ, *Sum.*

Indic. Præſ.

Sing.	Εἰμὶ,	εἶ,	ἐστὶ,
Dual.	--	ἐστὸν,	ἐστὸν,
Plur.	ἐσμὲν,	ἐστὲ,	εἰσὶ,

Imperfectum.

Ἦν,	ἦς,	ἦν, (ἦ).
--	ἦτον,	ἤτην.
ἦμεν,	ἦτε,	ἦσαν.

Plusquamp.

S.	Ἤμην,	ἦσο,	ἦτο.
D.	ἤμεθον,	ἦσθον,	ἤσθην,
P.	ἤμεθα,	ἦσθε,	ἦντο.

Futur.

Ἔσομαι,	ἔσῃ,	ἔσεται, *vel* ἔσται,
ἐσόμεθον,	ἔσεσθον,	ἔσεσθον.
ἐσόμεθα,	ἔσεσθε,	ἔσονται.

Imperat. Præſ. & Imp.

S.	Ἔσω *vel* ἴσθι,	ἔστω.
D.	ἔστον,	ἔστων.
P.	ἔστε,	ἔστωσαν.

Optat. Præſ. & Imp.

Εἴην,	εἴης,	εἴη.
--	εἴητον,	εἰήτην.
εἴημεν,	εἴητε,	εἴησαν.

Futurum.

Sing.	Ἐσοίμην,	ἔσοιο,	ἔσοιτο.
Dual.	ἐσοίμεθον,	ἔσοισθον,	ἐσοίσθην.
Plur.	ἐσοίμεθα,	ἔσοισθε,	ἔσοιντο.

Conjunct. Præſ. & Imp.

S.	Ὦ,	ἦς,	ἦ.
D.	-	ἦτον,	ἦτον.
P.	ὦμεν,	ἦτε,	ὦσι.

Futurum.

Ἔσωμαι,	ἔσῃ,	ἔσηται.
ἐσώμεθον,	ἔσησθον,	ἔσησθον.
ἐσώμεθα,	ἔσησθε,	ἔσωνται.

Infinit. Præſ. & Imperf. εἶναι. **Futurum.** ἔσεσθαι.

Particip. Præſ. & Imp.

Maſc.	ὁ ὢν,	τοῦ ὄντος.
Fœm.	ἡ οὖσα,	τῆς οὔσης.
Neutr.	τὸ ὂν,	τοῦ ὄντος.

Futurum.

ὁ ἐσόμενος,	τοῦ ἐσομένου.
ἡ ἐσομένη,	τῆς ἐσομένης.
τὸ ἐσόμενον,	τοῦ ἐσομένου.

Nota.

Nota. Reliqua tempora, quæ deficiunt, supplentur ex γίνομαι vel γείνω. E. g. *fui*, γέγονα, ἐγεγόνειν. &c.

Εἶμι à Verbo ἔω, i. e. πορεύομαι, *vado*.

	Indicat. Præs.			Imperfect.		
S.	Εἶμι,	εἶς vel εἶ,	εἶσι.	Εἶν,	εἶς,	εἶ.
D.	--	ἴτον,	ἴτον.	--	ἴτον,	ἴτην.
P.	ἴμεν,	ἴτε,	ἴσι.	ἴμεν,	ἴτε,	ἴσαν.

Perfect. εἶκω, inusitatum. Plusqu. εἴκειν, Att. ᾔκειν.
Aorist. I. εἶσα, Att. ἦσα, per Dialysin ἤϊσα, raro adhibetur.

	Aoristus II.		
S.	ἴον,	ἴες,	ἴε.
D.	--	ἴετον,	ἰέτην.
P.	ἴομεν,	ἴετε,	ἴον.

Futur I. εἴσω, εἴσεις, &c. non est hic in usu: utimur Præsenti pro eo. Datur tamen & ἤσω, quasi ab ἔω.

Imperativus.

	Præsens & Imperf.			Aoristus II.		
S.	--	ἴθι,	ἴτω.	--	ἴε,	ἰέτω.
D.	--	ἴτον,	ἴτων.	--	ἴετον,	ἰέτων.
P.	--	ἴτε,	ἴτωσαν.	--	ἴετε,	ἰέτωσαν.

Optativus.

Præs. & Imperf. εἴην, εἴης, &c. sicut εἴην ab εἰμὶ sum; sed non est in usu.

	Aoristus II.		
S.	ἴοιμι,	ἴοις,	ἴοι.
D.	--	ἴοιτον,	ἰοίτην.
P.	ἴοιμεν,	ἴοιτε,	ἴοιεν.

Conjunct. Præs. & Imperf. non est usitatum.

Aoristus II. *S.* ἴω, ἴῃς, ἴῃ, &c.

Infinitiv. Præs. & Imperf. εἶναι & ἴναι.
Partic. Aor. II. ἰὼν (όντος) ἰοῦσα, ἰόν.

VERBUM MEDIUM.

Indicat. Præsenti & Imperfecto caret.

	Perfectum.			Plusquamperf.		
S.	εἶα, (ἦα)	εἶας,	εἶε.	ᾔειν,	ᾔεις,	ᾔει.
D.	--	εἴατον,	εἴατον.	--	ᾔειτον,	ᾐείτην.
P.	εἴαμεν, (ἦμεν)	εἴατε,	εἴασι.	ᾔειμεν,	ᾔειτε,	ᾔεισαν.

	Aoristus I.			Futurum I.		
S.	εἰσάμην,	εἴσω,	εἴσατο. &c.	εἴσομαι,	εἴσῃ,	εἴσεται. &c.

Præter hæc tempora inveniuntur tantùm in Conjunctivo Perfect. ᾔω, ᾔῃς, ᾔῃ, &c.
In Infinitivo Futur. I. εἴσεσθαι.
In Particip. Aor. I. εἰσάμενος.

Ἴημι ab ἔω, *vado.*

Formatur regulariter ab ἔω præpositâ reduplicatione impropriâ. Ejus tertia persona singularis est ἴησι, *vadit.* Aoristus II. ἦν: hinc παρῆν, *adveni*, vel *adveniebam.* Et Infinitivus ἰέναι sicut τιθέναι.

Præsens Medium ἵεμαι, ἵεσαι, ἵεται.
Imperat. ἵεσο, ἱέσθω, *Plur.* ἵεσθε.

Imperf. ἱέμην, ἵεσο, ἵετο.
Particip. ἱέμενος, ἱεμένη, ἱέμενον.

Ἵημι ab ἕω *mitto.*

	Indic. Activi Præsens.			Imperf.		
S.	Ἵημι,	ἵης,	ἵησι.	ἵην,	ἵης,	ἵη,
D.	--	ἵετον,	ἵετον.	--	ἵετον,	ἱέτην,
P.	ἵεμεν,	ἵετε,	ἱεῖσι.	ἵεμεν,	ἵετε,	ἵεσαν.

Not. Habet etiam Imperf. ἵεον, (ἵουν) ἵεες, (ἵεις) ἵεε, (ἵει) à circumflexo ἱέω, sicut τιθέω, ἐτίθουν. Sic in 3. pers. plur. præsentis ἱέουσι-ἱοῦσι pro ἱεῖσι.

Perfect.

Perfect. εἷκα, εἷκας, &c. ut distinguatur ab ἧκα in Aoristo I.
Plusquamp. εἵκειν, &c. inusitatum.
Aor. I. ἧκα, ἧκας, ἧκε, &c.

Aoristus II.

S.	ἧν,	ἧς,	ἧ.
D.	--	ἕτον,	ἕτην.
P.	ἕμεν,	ἕτε,	ἕσαν.

Futurum I. ἥσω, ἥσεις, ἥσει. &c.

Imperativus.

Præsens & Imperf.			Aoristus II.		
S. --	ἵεθι,	ἱέτω.	--	ἕς,	ἕτω.
D. --	ἵετον,	ἱέτων,	--	ἕτον,	ἕτων.
P. --	ἵετε,	ἱέτωσαν.	--	ἕτε,	ἕτωσαν.

Optativus.

Præs. & Imperf.

S. ἱείην, ἱείης, ἱείη. ut τιθείην.

Aoristus II.

S.	εἵην,	εἵης,	εἵη.
D.	--	εἵητον,	εἱήτην,
P.	εἵημεν,	εἵητε,	εἵησαν.

Conjunctivus.

Præs. & Imperf.			Aoristus II.		
S. ἱῶ,	ἱῇς,	ἱῇ.	ὧ,	ἧς,	ἧ.
D. --	ἱῆτον,	ἱῆτον.	--	ἧτον,	ἧτον.
P. ἱῶμεν,	ἱῆτε,	ἱῶσι	ὧμεν,	ἧτε,	ὧσι.

Perfect. εἵκω, εἵκῃς, εἵκῃ, &c.

Jonica Dialysis ἕω pro ὧ, ἕῃς, ἕῃ.

Infinitivus.

Præs. & Imperf. ἱέναι.
Aor. II. εἶναι.
Perf. & Plusqu. εἱκέναι.
Fut. I. ἥσειν.

Participium.

Præſ. & Imperf.	Perfect. & Plusqu.
Maſc. ὁ ἱεὶς, τῦ ἱέντος.	*Maſc.* ὁ εἰκὼς, τῦ εἰκότος.
Fœm. ἡ ἱεῖσα, τῆς ἱείσης.	*Fœm.* ἡ εἰκυῖα, τῆς εἰκυίας.
Neutr. τὸ ἱὲν, τῦ ἱέντος.	*Neutr.* τὸ εἰκὸς, τῦ εἰκότος.
Aoriſtus II.	Futurum I.
Maſc. ὁ εἷς, *Fœm.* ἡ εἷσα, *N.* τὸ ἕν.	*Maſc.* ὁ ἥσων, *F.* ἡ ἥσυσα. *N.* τὸ ἧσον.

INDICATIVUS PASSIVI.

Præſens.	Imperf.
S. ἵεμαι, ἵεσαι, ἵεται, ùt τίθεμαι.	*S.* ἱέμην, ἵεσο, ἵετο, ùt ἐτιθέμην.
Perfectum.	Plusquamperf.
S. εἷμαι, εἷσαι, εἷται, ùt τέθειμαι.	*S.* εἵμην, εἷσο, εἷτο, ùt ἐτεθείμην.
Aoriſtus I.	Futurum I.
S. ἕθην *vel* εἵθην, ἕθης, ἕθη, ùt ἐτέθην.	*S.* ἑθήσομαι, ἑθήσῃ, ùt τεθήσομαι.

Paulò poſt Futurum.
εἵσομαι ſicut τεθείσομαι.

Eodem modo reliquos Modos & Participia formabis juxta normam Verbi Paſſivi τίθεμαι.

MEDIUM.

INDICATIVUS.

Præſens & Imperf. ſicut in Paſſivo.	Perfecto & Plusquamperfecto, caret.
Aoriſtus I. in ſolo Indicativo uſitatus ἡκάμην, ἥκω, ἥκατο, &c.	Aor. II. ἕμην, ἕσο *vel* ὗ, ἕτο. ἕμεθον, ἕσθον, ἕσθον. ἕμεθα, ἕσθε, ἕντο.
Futurum I. ἥσομαι, ἥσῃ, ἥσεται. &c.	

IMPERA-

Imperativus.

Præſens & Imperf. ſicut in Paſſivo.

Aor. II. ἕσο *vel* οὗ, ἕσθω, ut θέσο.

Optat. Aor. II. εἵμην, εἷο. εἷτο.

Futur. I. ἡσοίμην, ἥσοιο, ἥσοιτο.

Conj. Aor. II. ὧμαι, ᾗ, ἧται ùt θῶμαι. Compoſitum πρόωμαι & προῶμαι.

Infin. Aor. II. ἕσθαι. Compoſ. ἀφέσθαι.

Futur. I. ἥσεσθαι.

Partic. Aor. II. ἕμενος, ἑμένη, ἕμενον.

Futur. I. ἡσόμενος, ἡσομένη, ἡσόμενον.

Not. Compoſita hujus Verbi, ùt: καθίημι, demitto, ἀφίημι, dimitto, μεθίημι, prætermitto, ἀνίημι, remitto, ἐνίημι, immitto, διίημι, transmitto, προίημι, præmitto, συνίημι, intelligo, conjugantur ad normam verbi ſimplicis.

Φημὶ, *dico*,

fit à φάω ſine reduplicatione.

Præſens.

S.	Φημὶ,	φὴς,	φησὶ,
D.	--	φατὸν,	φατὸν,
P.	φαμὲν,	φατὲ,	φασί.

Dicitur etiam ἠμὶ, ᾗς, ἠσὶ, ſine φ.

Imperfectum.

S.	ἔφην,	ἔφης,	ἔφη.
D.	--	ἔφατον,	ἐφάτην.
P.	ἔφαμεν,	ἔφατε,	ἔφασαν.

Sine augmento φῆν, φῆς, φῆ. Sine φ. ἦν, ἦς, ἦ.

Aoriſtus I.

S.	ἔφησα,	ἔφησας,	ἔφησε.
D.	--	ἐφήσατον,	ἐφησάτην.
P.	ἐφήσαμεν,	ἐφήσατε,	ἔφησαν.

Optat. Aor. II. φαίην, ſicut σταίην.

Infinit. Aor. II. φάναι, nam φᾶναι à φαίνω eſt.

Aoriſtus II.

S.	ἔφην,	ἔφης,	ἔφη.
D.	--	ἔφητον,	ἐφήτην.
P.	ἔφημεν,	ἔφητε,	ἔφησαν.

Conj. Aor. II. φῶ, φῇς, φῇ.

Part. Aor. II. φάμενος, φαμένη, φάμενον.

Aoriſtus II. Medii.

S. ἐφάμην, ἔφασο, ἔφατο.
D. ἐφάμεθον, ἔφασθον, ἐφάσθην.
P. ἐφάμεθα, ἔφασθε, ἔφαντο.

Nota. Reliqua Anomala in μι in ſequenti Anomalorum ſerie occurrunt.

SECTIO II.

DE ALTERA ANOMALIA VERBORUM in ω.

Membrum I.

Verba Anomala, quæ quibusdam vel Temporibus vel Modis, vel Generibus deficiunt, varii ſunt generis: alia Præſenti & Imperfecto deſtituuntur, alia paucis tantùm temporibus gaudent, alia denique ſolum Præſens tempus & Imperfectum regulariter formant, reliquis vel carent, vel ea aliunde mutuantur, e. g. φέρω, fero, Imperf. à ſe regulariter ἔφερον: Futurum ab inuſitato οἴω, ut οἴσω &c. Atque hæc potiſſimùm diſcuntur uſu; ſolent tamen ex quinque maximè ſignis cognoſci:

I. Ex SIGNIFICATIONE: huc pertinent

a) *Frequentativa* in άζω & ώττω, ùt τρωχάζω curſito à τρωχάω, ὑπνώττω, dormito, ex ὑπνάω, dormio.

b) *Deſiderativa* in άω, & είω, ùt ὠνητιάω, empturio, μαθητιάω diſcendi ſum avidus, πολεμησείω bellum deſidero.

c) *Imitativa* in άω, ùt χιάω albeſco ut nix.

d) *Diminutiva* in ίλλω, & ύλλω, ut ἀποτίλλω evello, μιστύλλω in minutas partes ſeco.

II. Ex

II. Ex REDUPLICATIONE: huc autem ſpectant verba in ω & ομαι, in quibus aliqua reduplicatio locum habet, e. g. τιτρώσκω, vulnero, πιπράσκω, vendo, μαρμαίρω, rutilo, κέκλω à κέλω, hortor, πέφνω à φένω, occido. &c.

III. Ex TERMINATIONE: huc pertinent verba

a) In βω & penultima ε, ut φέρβω alo, ῥέμβω circumago, φέβομαι fugio.

b) In δω, ubi præcedit λ vel ν, ùt μέλδω liquefacio, κυλίνδω volvo.

c) In λω ſimplex, ùt θέλω, βούλομαι volo, vis.

d) In ύω plurima polyſyllaba, quando Verba in νμι ex ſe formant: item hæc eadem verba in νμι, ùt ῥωννύω, ῥώννυμι, roboro, &c.

e) Quæ mutam cum liquida ante ω habent, ut δάκνω, mordeo, τέτμω, invenio, &c.

IV. Ex DERIVATIONE: huc pertinent

a) Quæ ex Futuris aliorum Verborum fiunt, & ſignificationem Præſentis habent, ùt: ἄξω duco ab ἄγω, Imperat. ἄξε; οἴσω fero ab οιω, Imperfect. οἶσον; ὄρσω concito ab ὄρω, Imperf. ὦρσε concitabat; βήσω, δύσω, δέψω, λέξω, τέρσω.

b) Quæ à Perfectis Activi & Medii oriuntur, & augmentum retinent, ùt: πεφρίκω horreo à perfecto Activi πέφρικα, Verbi φρίσσω; ἑστήκω ab ἕστηκα perſto; πεποιθέω confido à perf. Med. πέποιθα, Verbi πείθω; κεκλήγω clango à κέκληγα.

c) Quæ ab aliis Verbis, quæ iterum ab aliis oriuntur, derivantur, ùt: δρασκάζω, à δράσκω & hoc à δράω.

d) Quæ à circumflexis Barytona fiunt, ùt: μάχομαι pugno à μαχέομαι.

V. Ex TERMINATIONE & DERIVATIONE ſimul: huc pertinent verba derivata ab aliis, deſinentia

a) In ω purum, ut in αίω, είω, ώω: e. g. σκεδαίω diſpergo à σκεδάω.

b) In ω non purum, ut in ζω, θω, σκω, λω, μω, νω purum & non purum, πω cum σ epenthetico, ut ἐνίσπω, ρω, σσω, τω, χω. E. g. αἰτίζω peto ab αἰτέω, φλεγέθω uro à φλέγω, ἀρέσκω placeo ab ἀρέω, ὄφλω debeo ab ὀφείλω,

 φαίνω

φαίνω luceo à φάω, δάκνω mordeo à δήκω, ἀγνώσσω ignoro ab ἀγνοέω &c.

Not. Ejusmodi Verba regulariter ultra Imperfectum non conjugantur, nisi fortè aliunde tempora alia mutuentur.

Membrum II.

Cetera Anomala, quæ frequentiùs occurrunt, & ab aliis Anomala κατ' ἐξοχὴν appellantur, ordine hìc Alphabetico sæpius relegendo exhibentur. Omissa autem sunt plura *Composita* & *Derivata*, quia ad modum *simplicis* ordinariè conjugantur.

A.

1. Ἀγνύω, & ἄγνυμι *frango*: format tempora ab ἄγω, ùt: Fut. 1. Act. ἄξω. Aor. 1. ἦξα, jon. ἔαξα; Imper. ἄξον; Opt. ἄξαιμι; Inf. ἄξαι. Perf. Act. ἦχα vel ἔαχα. Aor. 2. ἦγον vel ἔαγον. Perf. Pass. ἦγμαι vel ἔαγμαι. Aor. 1. ἤχθην vel ἐάχθην: hinc Comp. κατεάχθη fractus est. A. 2. ἤγην vel ἐάγην, hinc κατεάγην. Med. Perf. ἦγα vel ἔαγα quod ε manet etiam in reliquis modis, ut in A. 2. Conj. Pass. κατεαγῶσι pro καταγῶσι Joan. 19. 30. imò reperitur quoque in futuro 1. Act. ùt: κατεάξει pro κατάξει Matth. 12. 20.

2. Ἄγω, *duco*: format 1) à se ipso F. I. Act. ἄξω, Perf. ἦχα: Att. ἄγηχα & ἀγήοχα, Bœoticè ἀγείοχα; F. II. ἀγῶ. A. 2. ἦγον, Dor. ἄγον, & Jon. ἔαγον. Pass. Perf. ἦγμαι. 2) ab ἀγάγω quod est Atticè pro ἄγω: habet Act. F. 2. ἀγαγῶ: A. 2. ἤγαγον; Imper. ἄγαγε; Opt. ἀγάγοιμι; Conj. ἀγάγω; Inf. ἀγαγεῖν, Dor. ἀγαγὲν, Part. ἀγαγὼν & ἀγαγὰς, quasi ab ἀγάγημι. Med. A. 2. ἠγαγόμην; Inf. ἀγαγέσθαι ex ἀγάγομαι. 3) ab ἄξω. Imper. Præs. ἄξε, duc, *plur.* ἄξετε, ducite. Apud Hom.

3. Αἱρέω vel αἱρῶ, *capio, eligo*, habet 1) â se ipso Act. Imp. ᾕρεον, & contr. ᾕρουν: hinc ᾕρει capiebat. F. I. αἱρήσω. Perf. ᾕρηκα. Pass. Imp. ᾑρούμην. Perf. ᾕρημαι. A. 1. ᾑρέθην; Imper. αἱρέθητι. F. 1. αἱρεθήσομαι. Paulò post F. ᾑρήσομαι. Med. F. 1. αἱρήσομαι. A. 1. Part. Pass. αἱρεθεὶς. Præs. Inf. Pass. αἱρεῖσθαι.

2) ab

2) ab ἕλω. Act. F. 2. ἑλῶ. A. 2. εἷλον. hinc Comp. ἀνεῖλον, ἐξεῖλον, καθεῖλον; Inf. ἑλεῖν; Part. ἑλών. F. 2. Med. ἑλοῦμαι. A. 2. εἱλόμην; Imper. ἕλω; Opt. ἑλοίμην; Conj. ἕλωμαι; Inf. ἑλέσθαι quasi ab ἕλομαι.

4. Αἰσθάνομαι, *sentio*, habet 1) à se ipso Imp. ᾐσθανόμην. 2) ab αἰσθέω vel αἰσθέομαι, Fut. 1. Med. αἰσθήσομαι. A. 1. ᾐσθησάμην. A. 2. ᾐσθόμην, Opt. αἰσθοίμην, Conj. αἴσθωμαι, Inf. αἰσθέσθαι. Perf. Ind. Pass. ᾔσθημαι; Inf. ᾐσθῆσθαι.

5. Ἀλέξω, *opitulor, arceo*, habet 1) à se ipso Act. Præs. Inf. ἀλέξειν & jon. ἀλεξέμεναι. A. 1. ἀλέξαι. Med. A. 1. ἀλέξασθαι. 2) ab ἀλεξέω Act. Fut. 1. ἀλεξήσω. A. 1. Opt. ἀλεξήσαιμι, Aeol. ἀλεξήσεια. Præs. Inf. ἀλεξεῖν pro ἀλεξέειν. Sic αὔξω, *augeo* pro αὐξέω; hinc Fut. 1. Act. αὐξήσω &c.

6. Ἁλίσκω, *capio*, habet 1) à se ipso Imp. Act. ἥλισκον; Pass. ἡλισκόμην, hinc 3. pl. ἡλίσκοντο. 2) ab ἁλόω Fut. 1. Act. ἁλώσω; Med. ἁλώσομαι; Part. ἁλωσόμενος. Perf. Act. ἥλωκα, *Att.* ἑάλωκα; Pass. ἥλωμαι, *Att.* ἑάλωμαι. 3) ab ἅλωμι more verborum in ωμι significatione tamen Passivâ. Act. A. 2. ἥλων, *Att.* ἑάλων, ως, ω. *Plur.* ωμεν, ωτε, ωσαν; Imper. ἅλωθι; Conj. ἁλῶ, ῷς, ῷ; Opt ἁλοίην vel ἁλώην; Inf. ἁλῶναι; Part. ἁλούς, όντος. Sic Compositum ἀναλίσκω *consumo*, habet ab ἀναλόω Act. F. 1 ἀναλώσω. A. 1. ἀνήλωσα, ἠνάλωσα, ἠνήλωσα; *jon.* ἀνάλωσα. Perf. ἀνήλωκα, ἠνάλωκα, ἠνήλωκα, & *jon.* ἀνάλωκα. Pass. Perf. ἀνήλωμαι, ἠνήλωμαι, ἀνάλωμαι. Part. ἀνηλωμένος & ἠνηλωμένος. Plusq. ἠναλώμην. A. 1. ἀνηλώθην, & ἠνηλώθην. Part. ἀναλωθείς.

7. Ἁμαρτάνω, *pecco*, habet 1) à se tantum Præsens & Imperfectum ἡμάρτανον. 2) ab ἁμαρτέω Act. F. 1. ἁμαρτήσω. A. 1. ἡμάρτησα. Perf. ἡμάρτηκα. Pass. ἡμάρτημαι. A. 2. Act. ἥμαρτον, *jon.* ἄμαρτον, *poët.* ἤμβροτον tanquam ab ἀμβροτέω. Part. ἁμαρτών.

8. Ἀμφιέννυμι, ἀμφίημι, & ἀμφίσκω, *induo*, habet 1) à se Imp. ἠμφιεννύμην. 2) ab ἀμφιέω, Act. F. 1. ἀμφιέσω. A. 1. ἠμφίεσα, *jon.* ἀμφίεσα. Pass. Perf. ἠμφίεσμαι, & ἠμφίειμαι, *jon.* ἀμφίεσμαι & ἀμφίειμαι. Part. ἠμφιεσμένος & ἀμφιειμένος. A. 1. Conj. Act. ἀμφιέσω. Aor. 1. Part. Med. ἀμφιεσάμενος. F. 2. Act. ἀμφιῶ, hinc Comp. προσαμφιῶ. 3) ab ἀμπέχω vel ἀμπίσχω, aut

aut ἀμπίσχω. F. 1. Act. ἀμφέξω. A. 2. Inf. Act. ἀμπισχεῖν vide ἔχω. 4) ab ἀμφιάζω. F. 1. Act. ἀμφιάσω. Perf. Pass. ἠμφίασμαι, hinc ἀμφίασμα, *vestis*.

9. Ἁνδάνω, *placeo*, habet 1) à se Imp. ἥνδανον, *poët.* ἑήνδανον, *Att.* & *jon.* ἑάνδανον. 2) ab ἀδέω Fut. 1. Act. ἀδήσω. 3) ab ἅδω, Act. A. 1. ἧσα & *Att.* ἕασα. F. 2. ἁδῶ. A. 2. ἧδον, Dor. ἅδον, *jon.* ἕαδον, *Aeol.* εὔαδον, hinc 3. *sing.* εὔαδε pro εὔαδεν. A. 2. Opt. ἅδοιμι; Inf. ἁδεῖν; Part. ἁδών, Perf. Med. ἧδα, *Att.* ἕαδα & *Aeol.* εὔαδα; Part. Med. ἡδώς, *Attic.* & *jon.* ἑαδώς.

10. Ἀνοίγω, *aperio*, format quidem sua tempora regulariter, circa augmentum tamen varias patitur mutationes, ut F. 1. Act. ἀνοίξω. A. 1. ἤνοιξα, *Att.* ἀνέῳξα; Imper. ἄνοιξον; Inf. ἀνοῖξαι; Part. ἀνοίξας. Perf. Act. ἀνῷχα, & *Att.* ἀνέῳχα. Perf. Pass. ἀνῷγμαι, ἀνέῳγμαι, & ἠνέῳγμαι. A. 1. ἠνοίχθην, ἠνεῴχθην, hinc 3. *Plur.* ἠνεῴχθησαν; Inf. ἀνεῳχθῆναι; A. 2. ἀνῴγην & ἠνοίγην. F. 2. ἀνοιγήσομαι. Perf. Med. ἀνέῳγα & ἠνέῳγα, Part. ἀνεῳγώς, ότος, *apertus*.

11. Ἀπεχθάνομαι, *odi* vel *odio sum*, habet 1) à se ipso Imp. ἠπεχθανόμην pro ἀπηχθανόμην. 2) ab ἀπεχθέω vel ἀπεχθέομαι F. 1. Med. ἀπεχθήσομαι. Præt. Pass. ἀπήχθημαι. A. 2. Med. ἀπηχθόμην, *jon.* ἀπεχθόμην. Opt. ἀπεχθοίμην, οιο, οιτο, &c. 3) ab ἀπέχθω vel ἀπέχθομαι Præs. Conj. Pass. ἀπέχθωμαι, hinc 2. *sing.* ἀπέχθῃ, & *jon.* ἀπέχθηαι. Præs. Inf. Act. ἀπέχθειν, *Att.* vel *Dor.* ἀπεχθέμεναι, *jon.* ἀπεχθέμεν.

12. Ἀρέσκω, *placeo*, habet 1) à se ipso Imp. ἤρεσκον. 2) ab ἀρέω, Act. F. 1. ἀρέσω. A. 1. ἤρεσα. Perf. ἤρεκα, Pass. ἤρεσμαι. F. 1. Med. ἀρέσομαι. Sic & Composit. ἀπαρέσκω, *displiceo*.

13. Αὐξάνω, *augeo*, *cresco*, habet 1) à se ipso Imp. ηὔξανον. 2) ab αὐξέω Act. F. 1. αὐξήσω. A. 1. ηὔξησα. Perf. ηὔξηκα, Pass. ηὔξημαι, hinc 3. *sing.* ηὔξηται, *jon.* αὔξηται. A. 1. Pass. ηὐξήθην; Conj. αὐξηθῶ; Inf. αὐξηθῆναι; Part. αὐξηθείς. A. 1. Act. Inf. αὐξῆσαι. 3) ab αὔξω Præs. Pass. αὔξομαι, 3. *sing.* αὔξεται. Imper. Act. αὖξε; Part. Med. αὐξόμενος. A. 1. Act. Ind. ηὖξα.

14. Ἄχθομαι, *doleo*, *molestè fero*, habet 1) à se ipso Imp. ἠχθόμην. 2) ab ἀχθέω vel ἀχθέομαι F. 1. Med. ἀχθήσομαι & ἀχθέσομαι. Præt. Pass. ἤχθημαι. A. 1. ἠχθέσθην.

B.

1. Βαίνω, *incedo*, habet 1) Imp. ἔβαινον, hinc 3. *fing.* ἔβαινε, *jon.* βαῖνε, ibat. A. 1. Pass. ἐβάνθην, quod tamen est pro ἐβάθην. 2) à βάω, Act. F. 1. βήσω. A. 1. ἔβησα: hinc 3. perf. ἔβησε, *jon.* βῆσε. F. 1. Med. βήσομαι, *Dor.* βάσομαι, βασεῦμαι & βασεῦμαι. Perf. Act. βέβηκα, *jon.* βέβαα; hinc Part. βεβαώς, & contr. βεβώς, Plusq. Act. ἐβεβήκειν, *jon.* βεβήκειν, hinc 3. *pl.* βέβασαν pro ἐβεβάεισαν, & hoc pro ἐβεβήκεισαν. Perf. Pass. βέβημαι, *Dor.* βέβαμαι. A. 1. ἐβάθην; Imper. βάθητι. 3) à βίβημι, quod est per reduplicationem à βῆμι, Præs. Part. Act. βιβάς, A. 2. Ind. Act. ἔβην, hinc Comp. 3. *fing.* κατέβη; Matth. 1. v. 25. *Poët.* ἔβα & in *plur.* ἔβαν per sync. pro ἔβησαν; Imper. βῆθι vel βᾶθι, hinc Comp. ἀνάβηθι vel ἀνάβαθι, κατάβηθι vel κατάβαθι, & per Apocopen ἀνάβα, & κατάβα; Conj. βῶ, hinc Comp. ἀναβῶ, ῇς, ῇ; Opt. βαίην; Inf. βῆναι; Part. βάς, βᾶσα, βάν. 4) à βήσομαι, quod poëtico more ex futuro in Præsens translatum est, habet tantùm Imp. ἐβησόμην, 3. *fing.* ἐβήσετο.

2. Βάλλω, *jacio*, *jaculor*, habet 1) à se ipso Imp. Act. ἔβαλλον; hinc 3. *fing.* ἔβαλλε, & *jon.* βάλλε; Pass. seu Med. ἐβαλλόμην, hinc 3. *fing.* ἐβάλλετο, *jon.* βάλλετο. F. 1. Act. βαλῶ, hinc 3. *pl.* βαλοῦσι. 2) à βαλέω F. 1. Act. βαλήσω. A. 1. ἐβάλησα. A. 2. ἔβαλον; Imper. βάλε; Opt. βάλοιμι; Conj. βάλω; Inf. βαλεῖν, *jon.* ac *poët.* βαλέειν; Part. βαλών. Perf. Med. βέβολα. 3) à βλέω, F. 1. Act. βλήσω. Perf. βέβληκα, Pass. βέβλημαι, βέβλησαι, & *jonicè* βέβληαι, βέβληται, *pl.* βέβληνται, *jon.* βεβλήαται; Inf. βεβλῆσθαι, & sine augm. βλῆσθαι; Part. βεβλημένος. Plusq. Pass. ἐβεβλήμην, ησο, ητο, per sync. ἔβλητο, *poët.* βλῆτο, & in 3. *pl.* pro ἐβέβληντο, *jon.* βεβλήατο. A. 1. Pass. ἐβλήθην; Imp. βλήθητι; Conj. βληθῶ; Inf. βληθῆναι; Part. βληθείς. Fut. 1. Ind. βληθήσομαι. 4) à βλῆμι, A. 2. Act. ἔβλην, Med. ἐβλέμην; Opt. Med. A. 2. βλείμην, εῖο, εῖτο significatione Passivâ. Part. βλείς. 5) à βολέω, Pass. Perf. βεβόλημαι, hinc pro 3. *pl.* βεβόληνται est *jon.* βεβολήαται; Part. βεβολημένος. Plusq. Ind. Pass. ἐβεβολήμην, hinc pro 3. *pl.* ἐβεβόληντο est *jon.* βεβολήατο.

3. Βιβρώσκω, quod est per reduplicationem pro βρώσκω, *comedo*, *depasco*, habet 1) à βρόω, Act. F. 1. βρώσω. A. 1. ἔβρωσα. Perf. βέβρωκα. Plusq. ἐβεβρώκειν, *jon.* βεβρώκειν. Pass. Perf.

βέβρωμαι.

βέβρωμαι. A. 1. ἐβρώθην; Inf. βρωθῆναι; Part. βρωθείς. 2) à βιβρωμι vel βρῶμι, Act. A. 2. ἔβρων. 3) à βρώθω; Med. Perf. βέβρωθα; Opt. βεβρώθοιμι, hinc 2. *sing.* βεβρώθοις, *comederis.*

4. Βιόω vel βιώσκω, *vivo*, habet 1) à se ipso Imperf. ἐβίοον, & contr. ἐβίουν, ους, ου. Fut. 1. Act. βιώσω; Med. βιώσομαι per *sync.* βώσομαι. Act. A. 1. ἐβίωσα; Inf. βιῶσαι. Perf. βεβίωκα; Pass. βεβίωμαι: hinc Impersonale βεβίωται, *vita peracta est;* Part. βεβιωμένος, *vivendo peractu.* Præs. Inf. Act. βιοῦν, *jon.* & *poët.* βιοῦσθαι. 2) à βίωμι Act. A. 2. ἐβίων. Imper. βίωθι, βιώτω &c.; Opt. βιοίην, *Attic.* βιῴην; Inf. βιῶναι; Part. βιούς.

5. Βλαστάνω, *germino, fruticor*, habet à βλαστέω Act. F. 1. βλαστήσω. Perf. βεβλάστηκα. A. 1. ἐβλάστησα. A. 2. ἔβλαστον; Part. βλαστών.

6. Βόσκω, *pasco*, habet 1) à se ipso Imp. ἔβοσκον. 2) à βόω Act. F. 1. βόσω & βώσω. Perf. βέβοκα & βέβωκα. 3) à βοσκέω F. 1. Act. βοσκήσω; Med. βοσκήσομαι, hinc 2. *pl.* βοσκήσεσθε & *Doricè* βοσκησεῖσθε. Act. A. 1. ἐβόσκησα. Perf. βεβόσκηκα.

7. Βούλομαι, βούλη & *Att.* βούλει, βούλεται, &c. *volo*, habet 1) à se ipso Imp. ἐβουλόμην. 2) à βουλέομαι, F. 1. Med. βουλήσομαι. Perf. Pass. βεβούλημαι. A. 1. ἐβουλήθην, *Att.* ἠβουλήθην. Perf. Med. βέβουλα.

Γ.

1. Γαμέω, *uxorem duco, nubo*, habet 1) à se ipso F. 1. Act. γαμήσω & γαμέσω. A. 1. ἐγάμησα; Inf γαμῆσαι, *uxorem ducere*, & γαμέσαι, *nuptui dare;* Med. γαμήσασθαι. Perf. Act. γεγάμηκα; Pass. γεγάμημαι. A. 1. ἐγαμήθην; Inf. γαμηθῆναι, de sponsa. 2) à γάμω Act. A. 1. ἔγημα Luc. 4. 20. hinc 3. *sing.* ἔγημε, *jon.* γῆμε. A. 1. Conj. γήμῃς. 1. Cor. 7. 28. Infin. γῆμαι; Part. γήμας. A. 1. Med. ἐγημάμην; Inf. γήμασθαι. 3) à γαμίσκω seu γαμίζω, *nuptui do*, F. 1. Act. γαμίσω. Perf. γεγάμικα. A. 1. γεγάμισα.

2. Γηράσκω, *senesco*, habet 1) à γηράω F. 1. Act. γηράσω. A. 1. ἐγήρασα; Conj. γηράσω, ῃς. Perf. Ind. γεγήρακα & γεγήρηκα. 2) à γήρημι, A. 2. Act. ἐγήρην, ης, η, vel ἐγήραν, ας, α; Inf. γηρᾶναι; Part. γηράς, άντος.

3. Γίνομαι

3. Γίνομαι vel γίγνομαι, *sum*, *fio*, *nascor*, &c. habet 1) à se Præs. tantùm & Imp. ἐγινόμην. 2) à γενέω F. 1. Med. γενήσομαι. A. 1. ἐγενησάμην. Perf. Pass. γεγένημαι, Inf. γεγενῆσθαι; Part. γεγενημένος & *Dor.* γεγεναμένος. A. 1. Pass. ἐγενήθην; Imper. γενήθητι; Part. γενηθείς. Fut. 1. γενηθήσομαι. F. 2. Med. γενοῦμαι. A. 2. ἐγενόμην, ἐγένου (*Dor.* γένευ) ἐγένετο; (*jon.* γένετο) Imper. γένου, ἔσθω; Opt. γενοίμην, οιο, οιτο; Conj. γένωμαι, ῃ, ηται. &c. Inf. γενέσθαι; Part. γενόμενος. Perf. Med. γέγονα; Plusq. ἐγεγόνειν; Inf. γεγονέναι; Part. γεγονώς. 3) à γείνω vel γείνομαι. Imp. Med. ἐγεινόμην. A. 1. ἐγεινάμην, ἐγείνω, (*jon.* γεινάμην, γείναο & ἐγείναο) ἐγείνατο; Inf. γείνασθαι; Part. γεινάμενος. 4) à γεννάω, *gigno*, *pario*, F. 1. Act. γεννήσω. A. 1. ἐγέννησα; Inf. γεννῆσαι. Perf. Ind. γεγέννηκα; Pass. γεγέννημαι. A. 1. ἐγεννήθην, &c. 5) à γάω, F. 1. Act. γάσω. Perf. Med. γέγαα; Inf. γεγαέναι, *Dor.* γεγαέμεν, *poët.* γεγάμεν; Part. γεγαώς, vel γεγώς.

4. Γινώσκω & γιγνώσκω, *cognosco*, habet 1) à γνόω F. 1. Med. γνώσομαι. Perf. Act. ἔγνωκα. Pass. ἔγνωσμαι. A. 1. ἐγνώσθην. F. 1. γνωσθήσομαι. 2) à γνῶμι, A. 2. Ind. Act. ἔγνων, hinc 3. *pl.* ἔγνωσαν; Imper. γνῶθι; Opt. γνοίην; Conj. γνῶ; Inf. γνῶναι; Part. γνούς.

Δ.

1. Δαίω, *scindo*, *divido*, habet 1) à se ipso F. 1. Act. δαίσω. Med. δαίσομαι, in prosa maximam partem δάσομαι. Perf. Pass. δέδαιμαι, hinc 3. *plur.* δέδαινται, & *jon.* δεδαίαται, divisi sunt. 2) à δάζω, F. 1. Act. δάσω. A. 1. ἔδασα. Perf. δέδακα: Pass. δέδασμαι. A. 1. ἐδάσθην. F. 1. δασθήσομαι. A. 1. Med. ἐδασάμην & ἐδασσάμην. Inf. δάσασθαι. 3) à δαΐζω, Imp. Pass. ἐδαϊζόμην, hinc 3. *sing.* ἐδαΐζετο, *dividebatur*; F. 1. Act. δαΐσω vel δαΐξω. A. 1. Inf. δαΐξαι. Perf. Part. Pass. δεδαϊγμένος.

2. Δαίω, *disco*, *scio*, habet 1) à δάω A. 2. Act. ἔδαον, & *poët.* δέδαον. Perf. Med. δέδαα; Part. δεδαώς, A. 2. Ind. Pass. ἐδάην; Inf. δαῆναι, *Dor.* δαήμεναι; Part. δαείς. 2) à δαέω, F. 1. Act. δαήσω: Med. δαήσομαι. Perf. Act. δεδάηκα; Pass. δεδάημαι, hinc Part. δεδαημένος.

3. Δαιω,

3. Δαίω, *convivium præbeo, epulor*, habet 1) à se ipso A. 1. Act. ἔδαισα, hinc Inf. δαῖσαι. A. 1. Med. ἐδαισάμην, hinc 3. *sing.* ἐδαίσατο; Conj. δαίσω. Part. δαισάμενος. 2) à δαίνυμι, Præs. Ind. Pass. δαίνυμαι, σαι, ται. &c. Imp. ἐδαινύμην, 3. *pl.* ἐδαίνυντο, *jon.* δαίνυντο. Præs. Imper. δαίνυθι, & per *Apoc.* δαίνυ; Inf. δαίνυσθαι, *epulari, commessari.*

4. Δαίω, *uro, comburo*, habet à se ipso Perf. Med. δέδηα; Plusq. ἐδεδήειν, *jon.* δεδήειν.

5. Δάκνω, *mordeo*, habet à δάκω vel δήκω, F. 1. Act. δήξω: Med. δήξομαι. A. 1. Act. ἔδηξα. Perf. δέδηχα: Pass. δέδηγμαι. A. 1. ἐδήχθην. F. 2. Act. δακῶ. A. 2. ἔδακον, hinc 3. *sing.* ἔδακε, *jon.* δάκε. Inf. δακεῖν, *jon.* δακέειν; Part. δακών.

6. Δάμνω, *domo, subigo*, habet 1) à δάμω F. 2. Act. δαμῶ. A. 2. ἔδαμον: Pass. ἐδάμην; Opt. δαμείην; Inf. δαμῆναι; *Dor.* δαμήμεναι; Part. δαμείς. 2) à δαμάω vel δαμάζω, Act. F. 1. δαμάσω. A. 1. ἐδάμασα, & *Poët.* ἐδάμασσα; Inf. δαμάσαι. Perf. Pass. δεδάμασμαι. 3) à δμάω, Act. Fut. 1. δμήσω. Perf. δέδμηκα: Pass. δέδμημαι. A. 1. ἐδμήθην, hinc 3. *pl.* ἐδμήθησαν, *Bœot.* ἐδμῆθεν & δμῆθεν, *Dor.* δμᾶθεν; Imper. δμήθητι; Part. δμηθείς, εῖσα. 4) à δαμνάω, Act. F. 1. δαμνήσω. 5) à δάμνημι, Præs. Opt. Pass. δαμναίμην, & *Dor.* δαμναίμαν, αιο. &c.

7. Δαρθάνω, *dormio*, habet à δαρθέω, F. 1. Med. δαρθήσομαι. Perf. Act. δεδάρθηκα. F. 2. δαρθῶ. A. 2. ἔδαρθον, *Poët.* ἔδραθον: Pass. ἐδάρθην: A. 2. Inf. Act. δαρθεῖν.

8. Δείδω, *timeo*, habet à se Act. F. 1. δείσω. A. 1. ἔδεισα, *poët.* ἔδδεισα. Perf. δέδεικα: Med. δέδοικα, hinc 1. *pl.* δεδοίκαμεν: per *sync.* δέδοιγμεν, est autem δέδοικα Euphoniæ gratiâ pro δέδοιδα, hinc *jon.* δέδια, (in *plur.* δεδίαμεν, δεδίατε, & per *sync.* δέδιμεν, δέδιτε) *poët.* δείδια; Imper. δέδιε & pro hoc δέδιθι, vel δείδιθι ad instar Præsentis à δέδιμι; Part. δεδιώς. Plusq. Med. ἐδεδίειν, in *plur.* ἐδεδίειμεν, ἐδεδίεισαν, per *sync.* ἐδείδιμεν, ἐδείδισαν.

9. Δέομαι, *indigeo, rogo*, habet 1) à se ipso Imp. ἐδεόμην, hinc 3. *sing.* ἐδέετο sine contractione, *rogabat*, at ἐδεῖτο, *indigebat*: sic & in præsenti δέεται, *rogat*, δεῖται, *indiget*. Inf. Præs. δεῖσθαι; Part. δεόμενος. 2) à δεέομαι, F. 1. Med. δεήσομαι. Perf. Pass. δεδέημαι. A. 1. ἐδεήθην; Imper. δεήθητι, & in *plur.* δεήθητε, *orate.*

10. Δέω,

10. Δέω, *ligo*, *vincio*, habet 1) à se ipso F. 1. Act. δέσω & δήσω; F. 1. Med. δήσομαι. A. 1. Act. ἔδησα. Perf. Pass. δέδεμαι (& δέδεσμαι, unde δεσμὸς) A. 1. ἐδέθην. F. 1. δεδήσομαι. 2) à δίδημι, Imp. ἐδίδην; Inf. διδέναι; Part. διδείς.

11. Διδάσκω, *doceo*, habet 1) à se ipso Imp. ἐδίδασκον. 2) à διδάχω, F. 1. διδάξω. A. 1. ἐδίδαξα. Perf. δεδίδαχα: Pass. δεδίδαγμαι. A. 1. ἐδιδάχθην. 3) à διδασκέω F. 1. Act. διδασκήσω. A. 1. Inf. διδασκῆσαι.

12. Διδράσκω, *fugio*, *facio*, *ministro*, habet 1) à se ipso Imp. ἐδίδρασκον. 2) à δράω vel διδράω F. 1. Act. δράσω, δρήσω vel διδράσω. A. 1. ἔδρασα per *syncopen* ἔδρα, hinc Comp. ἀπέδρα, *aufugi*. Perf. Act. δέδρακα: Pass. δέδραμαι; Part. δεδραμένος. 3) à δίδρημι vel δρῆμι, A. 2. ἔδρην, *Dor*. ἔδραν, hinc *Comp*. ἀπέδραν; Opt. δραίην, *Comp*. ἀποδραίην; Inf. δρᾶναι, *Comp*. ἀποδρᾶναι; Part. δρὰς, *Comp*. ἀποδράς.

13. Δοκέω, *appareo*, *videor*, *existimo*, habet 1) à se ipso Imp. ἐδόκεον *contr*. ἐδόκουν. F. 1. δοκήσω. A. 1. ἐδόκησα. Perf. δεδόκηκα: Pass. δεδόκημαι. 2) à δόκω, Act. F. 1. δόξω. A. 1. ἔδοξα. Perf. δέδοχα: Pass. δέδογμαι; Inf. δεδόχθαι.

14. Δύναμαι, δύνασαι & δύνη, δύναται, *possum*, *valeo*, quasi à δύνημι, habet 1) à se ipso Imp. Med. ἐδυνάμην, *Att*. ἠδυνάμην; Opt. δυναίμην; Conj. δύνωμαι; Inf. δύνασθαι; Part. δυνάμενος. 2) à δυνάομαι, F. 1. Med. δυνήσομαι. Perf. Pass. δεδύνημαι. A. 1. ἐδυνήθην, *Att*. ἠδυνήθην; Opt. δυνηθείην; Conj. δυνηθῶ. 3) à δυνάζομαι, A. 1. Pass. ἐδυνάσθην. Inf. δυνασθῆναι.

E.

1. Εἴδω, *scio*, *video*, habet 1) à se ipso F. 1. Act. εἴσω: Med. εἴσομαι & ἴσομαι. A. 1. Act. εἶσα: Med. εἰσάμην, *Att*. ἐεισάμην. A. 2. Act. εἶδον, & ἴδον, *jon*. ἴδεσκον; Imper. ἴδε, *Att*. ἰδὲ, Opt. ἴδοιμι; Conj. ἴδω; Inf. ἰδεῖν, *jon*. ἰδέμεν, *Dor*. ἰδεν, *Aeol*. ἴδην, item *Dor*. ἰδέμεναι, *Att*. per sync. ἴδμεναι; Part. ἰδὼν, ἰδοῦσα, (*Dor*. ἰδοῖσα) ἰδόν. Perf. Med. οἶδα, οἶδας, *Aeol*. οἴδασθα, per *sync*. οἶσθα. Plusq. εἴδειν. *Att*. ᾔδειν, in *pl*. ᾖσμεν, ᾖστε, ᾖσαν, pro ᾔδειμεν, &c. Perf. Pass. εἶσμαι. 2) ab εἰδέω F. 1. Act. εἰδήσω. Perf. εἴδηκα, per *sync*. εἶδα; Part. εἰδηκὼς, *jon*. εἰδακὼς, & *Att*. εἰδὼς, Inf. εἰδηκέναι. 3) ab εἴδημι Præs.

 Opt.

Opt. εἰδείην; Conj. εἰδῶ; Inf. εἰδέναι. 4) ab ἰδέω F. 1. Act. ἰδήσω, & Dor. ἰδησῶ.

2. Εἴκω, similis sum, cedo, habet à se F. 1. Act. εἴξω. A. 1. εἶξα, hinc 3. pl. εἶξαν & εἴξασι. Perf. εἶχα; Inf. εἰχέναι. Perf. Pass. Ind. εἶγμαι. Plusq. εἴγμην, hinc 3. sing. εἶκτο per dialysin ἔϊκτο, vel est 3. sing. Imp. Pass. pro εἴκετο. A. 2. Act. εἶκον, hinc 3. dual. εἰκέτην, per sync. εἴκτην, per dialys. ἐΐκτην. Perf. Med. εἶκα (aliis verò est A. 1. Bœotic. pro εἶξα) & οἶκα, Att. ἔοικα, hinc 1. pl. ἐοίκαμεν. Part. Med. εἰκὼς & Att. ἐοικὼς. Plusq. Med. εἴκειν, Att. ἐοίκειν & ᾠκειν, hinc 3. pl. ἐοίκεισαν, & ἐοίκεσαν.

3. Εἰργνύω vel εἴργνυμι, claudo, arceo, habet ab εἴργω F. 1. Act. εἴρξω. A. 1. εἶρξα. Perf. εἶρχα: Pass. εἶργμαι. A. 1. εἴρχθην. F. 1. εἰρχθήσομαι.

4. Ἐλαύνω, impello, habet 1) à se ipso Imp. Act. ἤλαυνον: Pass. ἠλαυνόμην. 2) ab ἐλάω Præs. Imper. ἔλα. F. 1. Ind. ἐλάσω. A. 1. ἤλασα, ἔλασα, & ἔλησα, & per sync. ἔλσα, hinc 3. pl. ἔλσαν; Inf. ἔλσαι; Part. ἔλσας. Perf. Ind. ἤλακα, Att. ἐλήλακα: Pass. ἤλαμαι, Att. ἐλήλαμαι & ἤλασμαι. A. 1. Pass. ἠλάθην, & ἠλάσθην. F. 2. Act. ἐλῶ.

7. Ἔλπω, spero, habet 1) à se ipso Perf. Med. ἦλπα. Attic. & jon. ἔολπα. (sicut ἔοργα pro ἦργα ab ἔργω) quod sæpe pro Præs. usurpatur. 2) ab ἐλπίζω, Imperf. Act. ἤλπιζον. F. 1. ἐλπίσω, Att. ἐλπιῶ. A. 1. ἤλπισα. Perf. ἤλπικα. Part. ἠλπικώς.

Ὁ μῦθος πρὸς τοὺς παρὰ λόγον, καὶ παρὰ καιρόν τι πράττοντας.

V. Λέων καὶ Ἀλώπηξ.

Λέων γηράσας, καὶ μὴ δυνάμενος διαρκέσαι αὐτῷ εἰς τροφὴν, ἔγνω δι' ἐπινοίας τι πρᾶξαι. Καὶ δὴ παραγενόμενος ἐν σπηλαίῳ τινὶ, καὶ κατακλεισθεὶς, προσεποιεῖτο νοσεῖν. Παραγενόμενα οὖν τὰ ζῶα ἐπισκέψεως χάριν, συλλαμβάνων κατήσθιεν αὐτά. Πολλῶν οὖν ζώων ἀναλωθέντων, ἀλώπηξ τὸ τέχνασμα τοῦτο γνοῦσα, παρεγίνετο πρὸς αὐτὸν, καὶ στᾶσα ἔξωθεν τοῦ σπηλαίου ἐπυνθάνετο, πῶς ἔχει· τοῦ δὲ εἰπόντος, κακῶς, καὶ τὴν αἰτίαν πυνθανομένου δι' ἣν οὐκ εἰσέρχεται, ἡ ἀλώπηξ ἔφη, ὅτι ὁρῶ ἴχνη πολλῶν εἰσιόντων, ὀλίγων δὲ ἐξιόντων.

Ἐπιμύθιον.

Ὁ μῦθος δηλοῖ, ὅτι οἱ φρόνιμοι τῶν ἀνθρώπων ἐκ τεκμηρίων προορώμενοι τοὺς κινδύνους ἐκφεύγουσιν.

I. Γεωργὸς, agricola; παῖς, puer; μέλλω, futurus ſum; καταλύω, diſſolvo; πεῖρα, experientia; ἐμὸς, meus; ἤδη, jam; ὑπ-ἐξ-ειμι, relinquo; ἄμπελος, vinea; ζητέω, quæro; οἰηθέντες, ab οἴομαι; θησαυρὸς, theſaurus; κατ-ορύσσω, fodio; ἀπο-βίωσις, mors; κατασκάπτω, defodio; περι-τυγχάνω, conſequor; πολλαπλάσιος, multiplus; καρπὸς, fructus; ἀνα-δίδωμι, reddo; κάματος, labor. II. μήπω, nondum; τύχη, fortuna; μὴν, tamen; κατα-θαῤῥέω, non reformido; διαλέγομαι, colloquor; συνήθεια, conſuetudo; φοβερὸς, formidabilis; εὐ-πρόσ-ιτος, acceſſu facilis. III. περιστερὰ, columba; διψάω, ſitio; πηγὴ, fons; παρα-σύρω, attraho; ῥεῦμα, defluxus; κλὼν, ramus; δένδρον, arbor; περι-αιρέω, aufero; ῥίπτω, dejicio; διασώζω, libero; ἰξευτὴς, auceps; κάλαμος, arundo; συν-τίθημι, compono; συλλαμβάνω, capio; εἶω, eo; αὐτίκα, continuò; φεύγω, fugio; εὐεργέτης, benè faciens; χάρις, grates. IV. ἁλιεὺς, piſcator; ἄπειρος, imperitus; αὐλὸς, tibia; δίκτυον, rete; θάλασσα, mare; πέτρα, lapis; νομίζω, exiſtimo; ἡδυφωνία, ſuavis cantus; ἰχθὺς, piſcis; ἐφ-άλλομαι, ſubſilire; διατείνομαι, proſequor continuè; ἀνύω, proficio; ἀμφίβληστρον, rete; ἀγρεύω, capio;

pio; πηδάω, ſalto; παύομαι, ceſſo; καιρὸς, opportunum tempus. V. γηράω, ſeneſco; διαρκεῖ, ſufficit; ἐπί-νοια, cogitatio; σπήλαιον, ſpelæum; κατα-κλείω, includo; προσ-ποιέομαι, ſimulo; νοσέω, ægroto; ἐπί-σκεψις, viſitatio; χά-ριν, ergò; κατ-εσθίω, comedo; ἀναλίσκω, conſumo; τέ-χνασμα, dolus; ἴχνος, veſtigium; εἰσίημι, intro; φρόνιμος ſapiens; τεκμήριον, ſignum prodromum.

OBSERVATIO.

Plura ad Analyſis exercitium ſpectantia addere, ſupervacaneum duxi; quandoquidem Græcè diſcentium labor in hac potiſſimùm claſſe in Græcis Novi Teſtamenti libris & fructuoſiùs & jucundiùs verſari poteſt. Commendantur pro initiis ritè capeſſendis *ſeptem priora S. Matthæi capita aut epiſtolæ D. Joannis:* illa magnâ vocum ubertate pollent; iſtæ ſtyli facilitate Tirones invitant. Adornata proinde eos in uſus eſt Catholica Novi Teſtamenti Græci editio, quæ præter cetera modum hìc obſervandum ſuppeditabit.

A. M. D. G.

R. P.

R.P. PETRI CANISII

SOCIETATIS JESU

THEOLOGI

CATECHISMUS

ADDITIS

EX S. SCRIPTURA ET SS. PP.

NOTIS ILLUSTRATUS.

CUM GRATIA ET PRIVILEGIO

SACRAE CAESAREAE MAJESTATIS.

MANNHEMII,

EX TYPOGRAPHEJO ELECTORALI AULICO

APUD NICOLAUM PIERRON. 1752.

IHS

CAPUT I.
DE FIDE ET SYMBOLO FIDEI.

Quis dicendus est Christianus, atque Catholicus?

Act. 11. Qui Baptismatis Sacramento initiatus, JEsu Christi veri Dei atque hominis salutarem doctrinam in ejus Ecclesia profitetur; neque sectis vel opinionibus ullis ab Ecclesia Catholica alienis adhæret.

Quibus de rebus primùm docendi sunt Christiani atque Catholici?

Cor. 13. De Fide, Spe, Charitate, Sacramentis, & officiis Justitiæ Christianæ.

Quid est Fides?

Eph. 2. Donum DEI ac lumen, quo illustratus homo firmiter
Hebr. 11. assentitur omnibus, quæ DEUS revelavit, & nobis per Ecclesiam credenda proposuit, sive scripta illa sint, sive non sint.

Quæ summa est fidei seu omnium credendorum?

Symbolum Apostolorum in duodecim distinctum articulos.

Qui sunt illi duodecim articuli?

Hi videlicet:

Primus.

Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ.

Secundus.

Et in JEsum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum.

Tertius.

Qui conceptus est de Spiritu sancto; natus ex Maria Virgine.

Quartus.

Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus.

Quin-

Quintus.

Descendit ad inferos, tertiâ die resurrexit à mortuis.

Sextus.

Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.

Septimus.

Inde venturus est judicare vivos & mortuos.

Octavus.

Credo in Spiritum sanctum.

Nonus.

Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem.

Decimus.

Remissionem peccatorum.

Undecimus.

Carnis Resurrectionem.

Duodecimus.

Et vitam æternam, Amen.

Quid sibi vult primus symboli articulus?

Credo in Deum Patrem.

Ostendit primam in Deitate personam, Patrem scilicet cœlestem & æternum, cui nihil factu impossibile sit vel difficile, qui cœlum & terram, visibilia simul & invisibilia cuncta ex nihilo produxit, & producta usque conservat, & gubernat summâ bonitate & sapientiâ.

Gen. 3. Psal. 145. Joan. 3.

Quid verò secundus articulus?

Et in JEsum Christum Filium ejus.

Commonstrat secundam in Deitate personam, JEsum Christum scilicet, Filium Dei naturalem, unicum illum ab æterno genitum, & Patri consubstantialem, Dominum ac Redemptorem nostrum, ùt qui nos perditos liberavit.

Psal. 2. & 109. Matth. 16. Luc. 1. Act. 10. Coloss. 1. Hebr. 1.

Quid porrò tertius?

Qui conceptus est de Spiritu sancto.

Mysterium proponit Dominicæ Incarnationis, quia idem Dei Filius de cœlis descendens humanam naturam assumpsit, sed modo singulari prorsus, ùt qui conceptus fuit sinè patre ex virtute Spiritûs sancti, & natus ex Maria Virgine illibatâ.

Isai. 7. Matth. 1. Luc. 1. Joan. 1. Philip. 2. Hebr. 1.

Quid verò quartus?

Passus sub Pontio Pilato.

Isai. 53. Mysterium tractat redemptionis humanæ: nam idem
Matth. 20. verus DEI Filius secundùm humanam illam naturam as-
& 27. sumptam extrema verè passus est pro nobis, & pecca-
Joan. 1. toribus omnibus redimendis. Unde licèt agnus esset sinè
& 19. macula, tamen sub Pontio Præside in crucem suffixus, in cruce mortuus, & deinde sepultus fuit.

Quid autem quintus?

Descendit ad inferos.

Luc. 24. Mysterium resurrectionis Christi complectitur, qui
1. Cor. 15. secundùm animam quidem Patres è limbo liberaturus des-
Ephes. 4. cendit: tertio verò post mortem die, resumpto corpore,
1. Petr. 3. vi propriâ factus est redivivus.

Quid sextus Articulus?

Ascendit ad cœlos.

Marc. 16. Mysterium affert gloriosæ ascensionis Christi, ùt qui
Luc. 24. post expletum redemptionis nostræ opus ad Patrem
Act. 1. transivit ex hoc mundo, & cœlos suâ virtute Trium-
Ephes. 4. Phil. 2. phator ascendit, atque in ipsâ æterni Patris gloriâ super
Hebr. 1. omnia est collocatus.

Quid septimus?

Inde venturus est judicare vivos & mortuos.

Psal. 96. Demonstrat extremum judicii diem; quando Christus
Matth. 16. humanâ in carne visibilis rursus de cœlo descendet, ac
24. & 25. tremendum aget judicem omnium proborum ac impro-
1. Cor. 5. borum, & reddet unicuique secundùm opera ejus.

Quid verò octavus?

Credo in Spiritum sanctum.

Joan. 14. Exhibet tertiam in Trinitate Personam, Spiritum
& 16. sanctum, qui ex Patre Filióque procedens, unus, ve-
1. Joan. 5. rus, æternúsque DEUS est, & regnat cum Patre & Fi-
Conc. lio, & proinde cum utroque simul adoratur, & con-
Constanti- glorificatur.
nop. II. & Flor.

Quid

Quid nonus articulus?

Sanctam Ecclesiam Catholicam.

De Ecclesiâ docet, quatuor nobis esse credenda: Primùm, Ecclesiam esse unam, nimirum in uno Spiritu Christi JESU, in unâ fide, fideíque & Sacramentorum doctrinâ, in uno Capite ac Rectore universalis Ecclesiæ, Vicario Christi scilicet ac divi Petri successore. Secundò, hanc ipsam sanctam esse, quia tum à Christo Capite & Sponso suo, cui per fidem & Sacramenta conjungitur, sanctificatur: tum à Spiritu Sancto perpetuò gubernatur. Tertiò, eandem esse Catholicam seu universalem, quia toto orbe diffusa Christi fideles omnes omnium temporum comprehendit. Quartò & postremò, in hac ipsa Ecclesia communionem esse Sanctorum, puta non eorum solùm, qui in terris credentes peregrinantur, verùm etiam, qui carnis mortalitate exuti, vel regnant in cœlo, vel illic regnaturi in igne purgatorio suorum peccatorum sordibus expiantur. Qui quidem veluti unius corporis membra se invicem juvant mutuis officiis, meritis, orationibus, & sacrosancti Missæ sacrificii, Sacramentorúmque Ecclesiæ virtute participant.

I. Cant. 6. Ephes. 4.
II. Ephes. 5. 1. Cor. 6. 2. Cor. 6.
III. Matth. 16. & 28. Marc. 16. Joan. 14.
IV. Psal. 118. Luc. 24. Act. 1. Rom. 12. 1. Cor. 12. Ephes. 4.

Quid porrò decimus?

Remissionem peccatorum.

Offert præsentem Dei gratiam peccatoribus omnibus, ne quis de veniâ peccatorum suorum consequendâ unquam desperet, modò in Ecclesiâ perseveret Catholicâ, & ritè ejusdem Sacramentis utatur.

Ezech. 18. Luc. 24. Joan. 20. Actor. 2.

Quid autem undecimus?

Carnis resurrectionem.

Mortuos omnes ad vitam excitandos asserit, & novissimum judicii diem confirmat: nam ante Christi tribunal in carne redivivi omnes apparebimus, ut recipiat unusquisque, prout gessit in suo corpore, sive bonum sive malum.

Dan. 12. Job. 19. Joan. 5. 1. Cor. 15.

Quid demum postremus?

Et vitam æternam.

Fidei & virtutis Christianæ præmium beatam immortalitatem ostendit, ut certò sciamus, post hanc vitam superesse aliam, longè diversam veréque securam, bea-

Matth. 19. & 25. Rom. 2.

tam ac sempiternam, quæ credentibus & obtemperantibus à Christo destinata sit.

Quæ est summa omnium symboli articulorum?

Corde & ore confiteor Dominum Deum, quo nihil aut majus aut sapientius, aut melius potest excogitari, cum & unum in essentiâ seu naturâ divinâ, & trinum
1. Joan. 4. & 5. in personis esse, utpote Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, ita ut hi tres unum sint, unus, verus, æternus, immensus & incomprehensibilis DEUS; ex quo, per quem, & in quo sunt omnia. Pater est Conditor universorum: Filius Redemptor hominum: Spiritus sanctus Ecclesiæ, seu Christi fidelium Sanctificator & Rector. Igitur huic sanctissimæ & individuæ Trinitati respondent Symboli tres partes præcipuæ: Prima, quæ de creatione est, Patri: Secunda, quæ de redemptione, Filio: Tertia, quæ de sanctificatione, Spiritui sancto accommodatur.

Quid est Ecclesia?

Matth. 16. Joan. 12. 1.Cor. 12. 1. Petr. 5. Est omnium Christi fidem atque doctrinam profitentium congregatio, quæ sub uno & summo post Christum capite & pastore in terris gubernatur.

Qui ab Ecclesiâ prorsus alieni sunt?

Primùm Judæi & infideles omnes, atque à fide apostatæ: deinde hæretici, ii scilicet, qui cùm baptizati sint, contra Catholicam fidem cum pertinacia tuentur errorem. Præterea Schismatici, qui à pace & unitate Catholicâ ipsi se segregant. Postremò, qui à communione Sanctorum, & participatione Sacramentorum, & ab Ecclesiæ suffragiis, divinísque officiis per Ecclesiasticam potestatem legitimè excluduntur; unde & excommunicati dicuntur, qui omnes à Christi corpore, quod est Ecclesia, sejuncti & alieni sunt, proindéque spiritualis vitæ ac salutis expertes manent, Satanæ mortíque perpetuæ, nisi resipiscant, obnoxii. Ac vitandi quidem illi omnes Catholicis, sed inprimis hæretici & schismatici non minùs quàm pestes quædam exitiales fugiendi ac execrandi sunt.

Quæ demum est simplex, brevis & recta fidei regula, quâ Catholici ab hæreticis discernuntur?

Ea est Christi fidem, atque Ecclesiæ authoritatem in-
Matth. 18. tegram profiteri, illúdque ratum ac fixum tenere oportere,

tere, quod Ecclesiæ Catholicæ Pastores atque Doctores credendum definierint. Cæterùm, si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi, inquit Christus ipse, sicut ethnicus & publicanus: non enim habebit DEum patrem, qui Ecclesiam noluerit habere matrem.

CAPUT II.

DE SPE ET ORATIONE DOMINICA.

Quid est Spes?

VIrtus est divinitus infusa, per quam certâ cum fidu- Rom. 5.
ciâ nostræ salutis & æternæ vitæ bona exspectantur. & 8.
1. Petr. 1.

Undè modum rectè sperandi & petendi discimus?

Ex oratione Dominicâ, quam Christus ipse Dominus Matth. 6.
& Magister noster ore suo sacrosancto tradidit & præ- Luc. 11.
scripsit.

Recita per partes orationem Dominicam.

Prima petitio.

Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum.

Secunda.

Adveniat regnum tuum.

Tertia.

Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terrâ.

Quarta.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

Quinta.

Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

Sexta.

Et ne nos inducas in tentationem.

Septima.

Sed libera nos à malo, Amen.

Quid sibi vult initium hujus orationis?

Pater noster, qui es in cœlis.

Præfatiuncula est, quæ nos memores reddit summi Rom. 8.

Gal. 4. Eph. 1. beneficii, quo DEUS Pater per Christum nos sibi in filios adoptivos, & hæredes cooptavit. Atque hoc dulci Patris nomine provocamur, cùm ad redamandum, tum ad precandum magnâ cum fiduciâ.

Quid explicat prima petitio?

Sanctificetur nomen tuum.

Matth. 5. 1. Cor. 10. 1. Petr. 1. Proborum filiorum justum & liberale desiderium; hi petunt semper & ubique in sese aliisque promoveri cognitionem, timorem, honorem, amorem & cultum æternæ Majestatis, & quidquid demum ad summi optimíque patris gloriam spectat.

Quid secundâ petitione agimus?

Adveniat regnum tuum.

Sap. 5. Matth. 6. & 8. Coloss. 1. Petimus gloriam regni cœlestis, æternæque felicitatis nobis donari, ut citò cum Christo in sempiternum regnemus.

Quid tertiâ?

Fiat voluntas tua.

Luc. 22. Act. 21. Hebr. 13. Petimus divinæ gratiæ nobis opem adesse, ut patris voluntatem in terra, sicut beati omnes in cœlo faciunt, sincerè, alacriter & constanter adimpleamus.

Quid quartâ?

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

Psal. 144. Prov. 10. & 30. Matth. 4. & 6. Joan. 6. Petimus suppeditari nobis, quæ ad vitam, sive corporis, sive animæ fovendam & sustentandam spectant, ut victum & vestitum, verbum DEI, & Ecclesiæ Sacramenta.

Quid quintâ?

Et dimitte nobis debita nostra.

Matth. 6. & 18. Marc. 11. Petimus veniam ac remissionem peccatorum, parati vicissim remittere, quod in nos alii peccaverint.

Quid penultimâ?

Et ne nos inducas in tentationem.

Matth. 26. 1. Joan. 2. Coloss. 3. 1. Petr. 5. 2. Petr. 2. Petimus in hac tantâ vitæ imbecillitate divinâ virtute fulciri, atque adversùs Mundum, Carnem, Dæmonémque defendi, ne quocunque modo tentationi succumbentes peccato consentiamus.

Quid septimâ & postremâ petitione?

Sed libera nos à malo.

Petimus DEI benignitatem, quâ ipse nos liberet & vindicet à miseriâ tum corporis, tum animæ, sive in hac vitâ, quoad saluti nostræ congruit, sive in futurâ. Et additur *Amen*, hoc est: fiat sive fiet, ut spem desideriúmque monstremus accipiendi ea, quæ septem his petitionibus continentur. Psal. 49. & 33. 2. Cor. 1. 1. Joan. 5.

Quæ summa est priorum orationis hujus petitionum?

Priores quatuor ostendunt, quæ hìc bona sperare ac petere debeamus: inter quæ primum ac summum est Divinæ Majestatis honor & gloria: proximum nostra felicitas; huic accedit DEO debita obedientia: Postremum est corporis animæque sustentatio necessaria. Hæc summatim continentur prioribus quatuor.

Quæ summa est reliquarum petitionum?

Tres posteriores continent mala, quæ deprecari debeamus: ùt sunt peccata, quæ nobis DEI regnum præcludunt: tum tentationes, quæ, nisi ope divinâ protegamur, suâ vi ad peccandum nos pertrahunt: ac postremò hujus ac futuræ vitæ calamitates. Docet igitur Dominica precatio simul & bona petere, & mala deprecari.

Quomodo salutationem Angelicam recitas Virgini Matri?

Ave Maria gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui JESUS. Sancta Maria Mater DEI ora pro nobis peccatoribus nunc & in horâ mortis nostræ, Amen. Luc. 1. Chrysost. in Liturg. Aug. Serm. 2. de Annunc.

Unde hic modus Deiparam Virginem salutandi profluxit?

Primùm ab exemplo Angeli Gabrielis, & sanctæ Elisabethæ; deinde ex usu ipso, & consensu Ecclesiæ Catholicæ. Ambros. epist. 81. Hieron. in Helvid.

Quem verò fructum adfert hæc salutatio?

Sacrosanctæ Virginis, & Dominicæ incarnationis gratam, & æquè salutarem nobis refricat memoriam; ac prætereà monet, ut gratiosæ Virginis favorem, atque apud DEUM intercessionem nobis conciliemus. Athanas. in Serm. super Evang. de sanctiss. Deipara.

Quid discimus ex hac salutatione?

Eximias dotes ac laudes incomparabilis Virginis, ùt quòd Fulgent. Serm. de laud. Mariæ ex p[...] tu Salva[...]

quòd DEI donis ac virtutibus ampliſſimis referta, quòd eadem Virgo & Mater, quòd inter omnes omnium temporum mulieres benedicta, quòd Regis Regum Chriſti DEI & Domini noſtri parens, ac proinde inventrix gratiæ, ac genitrix vitæ nobis extitit.

CAPUT III.
DE CHARITATE ET DECALOGO.

Quid eſt Charitas?

Matth. 22. Luc. 10. INfuſa à DEO virtus, quâ DEUS propter ſe diligitur, proximus autem propter DEUM.

Quot ſunt Charitatis præcepta?

Deut. 6. Matth. 22. Duo principalia: Diliges Dominum DEum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex totis viribus tuis: hoc eſt primum & maximum mandatum; ſecundum verò ſimile huic: Diliges proximum tuum ſicut teipſum. In his præceptis univerſa Lex pendet, & Prophetæ.

Quo indicio ſe prodit Charitas erga Deum?

1. Joan. 5. Si ejus obſerves mandata. Hæc eſt enim charitas DEI, ut mandata ejus cuſtodiamus, & mandata ejus gravia non ſunt. Joan. 14. Et Chriſtus ipſe docet: qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt, qui diligit me.

Quomodo ſe prodit & agnoſcitur charitas erga proximum?

1. Cor. 13. Phil. 2. Charitas patiens eſt, benigna eſt, charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati; omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet.

Cur præcepta Decalogi decem proponuntur?

Etſi duo ſint charitatis præcepta, in quibus plenitudo Legis verſatur, tamen præcepta Decalogi idcirco adjiciuntur, ut perſpicuè magìs omnes intelligant, quæ ad charitatem tum DEO, tum proximo exhibendam pertinent.

Qua

Quæ sunt præcepta Decalogi?

Primum.

Ego sum Dominus DEUS tuus: Non habebis Deos alienos coram me: non facies tibi sculptile, ut adores illud. Exod. 20. Deut. 5. Matth. 5. & 19.

Secundum.

Non assumes nomen Domini DEI tui in vanum: nec enim insontem habebit Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini DEI sui frustra.

Tertium.

Memento, ut diem Sabbati sanctifices.

Quartum.

Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus DEUS tuus dabit tibi. Luc. 18. Marc. 10.

Quintum.

Non occides.

Sextum.

Non mœchaberis.

Septimum.

Non furtum facies.

Octavum.

Non loquêris contra proximum tuum falsum testimonium.

Nonum.

Non concupisces uxorem proximi tui. Rom. 2. & 13.

Decimum.

Non domum, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, & universa, quæ illius sunt.

Quid sibi vult primum præceptum?

Non habebis Deos alienos.

Prohibet ac damnat idololatriam, seu cultum falsorum Deorum, artem magicam, vel divinatoriam, observationes superstitiosas, omnem denique cultum impium. E diverso autem requirit, ut unum Deum optimum, maximum credamus, colamus & invocemus. Exod. 22. Deut. 4. & 6. Eccles. 34.

Licétne Sanctos colere & invocare?

Licet, non ad eum quidem modum, quo jubemur DEUM colere & invocare, tanquam creatorem, & redemptorem, & largitorem bonorum omnium: at longè inferiore gradu, nimirum veluti dilectissimos DEI amicos, Tob. 12. Dan. 10. 2. Machab. 15. Apoc. 8. Chryso hom. 6

ad popul. Antioch. Damaſc. l. 4. Orthod. fid. c. 16.

cos, noſtróſque apud ipſum interceſſores & Patronos.

Huicne præcepto adverſatur uſus imaginum Chriſti, ac Sanctorum?

Athan. Serm. 4. contra Arian. Conc. Nic. II. Act. 6. Conc. Trid. Seſſ. 25.

Nequaquam; quia præcepto huic: non facies tibi ſculptile, cauſa mox additur: ut adores illud; videlicet ethnicorum more, qui falſorum Deorum ſtatuunt ſimulacra, & idola ſua impiè colunt: nos autem in imaginibus Chriſtum & Sanctos, quos repræſentant, pio à majoribus tradito more veneramur.

Quid ſecundum prohibet?

Non aſſumes nomen Dei tui in vanum.

Lev. 19. Eccl. 23. Matth. 5.

Vetat abuſum divini nominis & irreverentiam, quæ committitur à perjuris, blaſphemis, per Deum, Sanctos, vel creaturam aliquam, abſque gravi cauſâ, veritate, ac reverentiâ jurantibus.

Quid imperat tertium præceptum?

Memento, ut diem Sabbati ſanctifices?

Exod. 20. Deuter. 5. Levit. 23. Hieron. in c. 4. ad Galat.

Vult Sabbatum ſeu diem feſtum in Eccleſiâ piis operibus celebrari, quod fit adeundo Templum & audiendo Miſſam. Laborare autem hoc tempore, & occupationibus deditum eſſe ſervilibus, planè interdicit.

Quid injungit quartum?

Honora patrem & matrem.

Deut. 5. Epheſ. 6. Coloſſ. 3. 1. Petr. 2.

Ut his, qui ſecundùm DEUM vitæ noſtræ ſunt authores, reverentiam, obedientiam, opémque præſtemus, ac omni demum officii genere illis ipſis ſatisfaciamus. Deinde jubet, ut magiſtratus cùm civiles, tum Eccleſiaſticos parentum & majorum loco habeamus, illorum dicto lubentes pareamus, & revereamur poteſtatem, atque authoritatem.

Quâ ratione poteſtatem & authoritatem Eccleſiaſticam reverebimur?

Luc. 22. Actor. 15. & 16. 2. Theſſ. 2. 1. Cor. 11. 1. Theſſ. 4. Irenæus l. 4. adv. hæres. c. 43.

Videlicet ſi ſacris & œcumenicis Conciliis, ſi receptis Apoſtolorum ac Patrum inſtitutis ac decretis, ſi probatis majorum conſuetudinibus, denique ſi ſummis Eccleſiæ Paſtoribus ac Pontificibus tribuerimus, quam ſingularem illis debemus, obſervantiam, obedientiámque. Ubi vel maximè peccant, qui cultum divinum, & ſanctiones, cæremoniáſque Eccleſiaſticas convellunt atque

que contemerant; tum qui Synodis & Pontificibus obtrectant, ac in Sacerdotum jura & templa involant, sacra profanantes.

Quid sibi vult quintum præceptum?

Non occides.

Prohibet vim externam, cædem, & injuriam omnem, quæ corpori & vitæ proximi adferri possit. Adhæc iram, odium, rancorem, indignationem, & quosvis affectus ad proximi læsionem quovis modo spectantes excludit, & penitus resecat.

Gen. 9. Levit. 19. Matth. 5.

Quid vetat sextum?

Non mæchaberis.

Fornicationem, adulterium, & obscœnos illegitimósque concubitus, tum quidquid honestati, verecundiæ, & ingenuo pudori adversatur. Nam & qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo.

Matth. 5. 1. Cor. 6. Ephes. 5.

Quid præcepto septimo cavetur?

Non furtum facies.

Omnis rei alienæ illicita contrectatio & usurpatio: ùt sit in furto, rapinâ, usurâ, lucris injustis, dolis malis, & iniquis contractibus: demum quibusvis commutationibus, & distributionibus, quibus Christiana charitas læditur, & proximus circumvenitur.

Levit. 19. Matth. 5. Luc. 6. Actor. 8. Rom. 13.

Quid in octavo agitur?

Non loquêris contra proximum tuum falsum testimonium.

Interdicitur testimonium falsum, mendacium, perjurium, & omnis linguæ contra proximum abusus: ùt est in susurronibus, detractoribus, maledicis, adulatoribus, mendacibus ac perjuris.

Levit. 19. Exod. 23. Coloss. 3. Ephes. 4.

Quid postrema duo præcepta?

Non concupisces uxorem, nec rem proximi.

Vetant concupiscentiam uxoris, ac rei alienæ: quoniam quod alienum est, haud solùm injustè, & pro libidine nostra occupare non licet; sed ne voluntate quidem ad illud appetendum ferri debemus, ita ut nostris rebus

Deut. 5. Matth. 5. Rom. 13. Psalm. 62.

bus contenti, absque omni invidia, æmulatione, & cupiditate vivamus.

Quæ summa, quisve finis præceptorum Decalogi?

Exod. 32. & 34. Matth. 19. Luc. 10. Rom. 2.

Nimirum, ut Deus & proximus sincerè diligantur: cujus rei symbolum fuit in duas tabulas Decalogi à Deo facta distinctio. In priore quidem tabula tria docentur, quæ ad charitatem Dei; in secunda verò septem, quæ ad dilectionem proximi spectant, explicantur.

Quâ ratione præcepta primæ tabulæ Charitatem DEI edocent?

Ezech. 11. Malach. 1. Matth. 4. & 11.

Quoniam tollunt & prohibent vitia cultui, honoríque Dei maximè contraria, idololatriam, apostasiam, hæresim, perjurium, superstitiones: admonent autem verum purúmque Dei cultum corde, ore, ac opere fideliter exhibendum esse: quod ubi fit; utique solus verus Deus cultu latriæ colitur & adoratur.

Quomodo præcepta secundæ tabulæ Charitatem proximi explicant?

Matth. 7. Joan. 12. & 15.

Eo ipso, quòd nostrum erga proximum officium ordine complectuntur: videlicet, ut non solùm majores honoremus, sed etiam opere, verbis ac voluntate prodesse omnibus, & nocere nemini studeamus, sive corpus proximi, sive persona juncta conjugio, sive bona fortunæ considerentur.

Quæ summa est præceptorum de proximo diligendo?

Tob. 4. Luc. 6.

Hæc ipsa nimirum: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: omnia verò, quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc est enim lex & Prophetæ.

Suntne præter Decalogum alia præcepta?

Matth. 18. & 23. Luc. 10. Joan. 20.

Sunt utique, nec solùm utiliter illa, verùm etiam necessariò observanda, præsertim Ecclesiæ præcepta, cui velut sanctissimæ Matri, Sponsæque Christi aures & mentes præbere Catholici filii omnes debemus.

Quot sunt præcepta Ecclesiæ?

Præcipuè quinque numerantur.

Primum.

Conc. Lugdun. Can. 1. de Consecrat. D. 3.

Statutos Ecclesiæ festos dies celebrato.

Secun-

Secundum.

Sacrum missæ officium diebus festis reverenter audito. Conc. Agathense can. 47.

Tertium.

Indicta certis diebus jejunia, & à quibusdam cibis abstinentiam observato. Can. Apost 68. Ignat. Epist. ad Philippenses.

Quartum.

Peccata tua Sacerdoti proprio, aut alteri cum ejus facultate singulis annis confitetor. Conc. Later IV. Can. 21.

Quintum.

Sacrosanctam Eucharistiam, ùt minimùm semel in anno, idque circa festum Paschæ sumito. Conc. Trid. Sess. 13. Can. 9.

Quem fructum adfert horum observatio præceptorum?

Hæc atque id genus alia Ecclesiæ tum instituta, tum præcepta, primùm fidem, humilitatem & obedientiam Christianam exercent: deinde cultum divinum, honestam disciplinam, & publicam tranquillitatem alunt, conservant & ornant, eóque mirificè conferunt, ut decenter & ordine cuncta in Ecclesia peragantur, præterquàm quòd æternam vitam meremur, si illa ex charitate observemus. 1. Cor. 14. Gal. 2. Philipp. 4.

CAPUT IV.

DE SACRAMENTIS.

Quid est Sacramentum?

Est invisibilis gratiæ signum visibile, ad nostram sanctificationem divinitus institutum: aliud est enim, quod in Sacramento videmus, aliud quod in eo accipimus: signum videmus externum; occultam verò & spiritualem gratiam, quæ res dicitur Sacramenti, accipimus. Augustin. l. 10. de civit. Dei c. 5. Ambros. l. 4. de Sacram. c. 4.

Quot sunt Sacramenta?

Septem, quæ à Christo Domino instituta, ab Apostolis tradita, & in Ecclesia Catholica semper conservata ad nos usque pervenerunt: Sunt autem hæc: Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, Matrimonium. Conc. Florent. in doctr. de Sacram. Conc. Trid. Sess. 7. can. 4.

Quare Sacramenta veneranda, & summo in pretio habenda sunt?

Conc. Trid. Sess. 7. can. 1. & 7. 8.

Primùm quidem, quia à Deo & Christo Domino in lege nova instituta: deinde quia gratiam DEI nobis necessariam, eámque uberrimam non modò significant, verùm etiam ceu vasa quædam sacra divini Spiritûs continent, & ritè suscipientibus conferunt; ad hæc quoniam adversùs peccatum præstantissima sunt remedia, seu divina medicamenta nostri Samaritani: postremò, quia bonis gratiam habentibus eam ipsam conservant, augent & amplificant.

Cur Sacramentis ceremoniæ solemnes & Ecclesiasticæ adhibentur?

Conc. Trid. Sess. 7. can. 13. Origen. hom. 5. & 12. in Numeros. Dionys. Areop. de Eccl. Hierarch c. 1. 2. 3. 4. 5. & 6. Aug. l. 3. de doctr. Christian. c 9.

Multis profectò & gravibus de causis: Primùm, ut Sacramentorum administrationem spectantes admoneantur, nihil hìc profanum, sed arcana quædam & divinis plena mysteriis geri, quæ singularem reverentiam exigant. Deinde, ut ad Sacramenta ipsa accedentibus cultum promoveant interiorem, quem Deus præcipuè postulat, & cujus veluti signa, testimonia & exercitia sunt ceremoniæ. Prætereà, ut Sacramenta ministrantes majore cum dignitate & fructu munus suum obeant, dum veteris Ecclesiæ institutis, sanctorúmque Patrum vestigiis fideliter inhærent: Constat etenim hujusmodi ceremonias plerasque inde à temporibus Apostolorum per continuam successionem ad nos usque in Ecclesia perseverâsse. His demum retinetur honesta religiosáque disciplina; his fovetur publica tranquillitas, quæ sæpè rituum externorum aut immutatione, aut innovatione graviter interturbatur.

Quid est Baptismus?

Matth. 28. Joan. 3. ad Tit. 3. Conc. Trid. Sess. 6. cap. 4.

Primum maximéque necessarium legis novæ Sacramentum, quod semel in aqua confertur, quo spiritualiter renascimur, & peccatorum plenâ remissione perceptâ in filios Dei adoptamur, hæredésque vitæ cælestis adscribimur.

Quid est onfirmatio?

Actor. 8. & 19. Conc. Flor. & Trid. Sess. 7. can. 1. de confirm.

Est baptizatis collatum ab Episcopo Sacramentum, in quo per sanctum Chrisma & verba sacrosancta confertur gratia, & robur Spiritûs additur, tum ad firmiter credendum, tum ad nomen Domini, quando sic est opus, liberè confitendum.

Quot

Quot sunt præcipua de Eucharistia doctrinæ capita scitu necessaria?

Quinque: Primum est ejus veritas. Alterum est panis & vini in Christi Corpus & Sanguinem conversio. Tertium adoratio debita. Quartum ejus oblatio. Quintum & postremum ejusdem Sacramenti sumptio.

Quæ est veritas Sacramenti Eucharistiæ?

Nimirum hæc: Christum verum DEUM ac hominem verè ac integrè in hoc Sacramento contineri, & nobis adesse, ubi sacerdos ritè ordinatus panem & vinum verbis illis arcanis, & à Christo traditis consecrârit. Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Joan. 6. 1. Cor. 10. & 11.

Quæ fit conversio per verba illa, quibus hoc Sacramentum Sacerdos consecrat?

Ea, ut per ipsa verba, operante Christo, panis & vinum in Corpus & Sanguinem Dominicum convertantur, ac transubstantientur, atque ita panis & vinum esse desinant in Eucharistia. Conc. Later. IV. cap. 1. Flor. & Trid. Sess. 13. cap. 4.

Quæ Sacramento huic debetur adoratio?

Eadem sanè, quæ Christo Domino ac æterno DEO debetur; quippe quem illic præsentem agnoscimus: ideóque religioso cùm corporis tum animi cultu, ùt par est, hoc Sacramentum supplices veneramur. Ambr. l. 4. de Sacram. c. 4. Aug. in Psalm. 91.

Quare censetur hoc Sacramentum oblatio?

Quia est legis novæ Sacrificium, oblatio munda cruentis legis Judaicæ sacrificiis incruenta succedens, quæ pro vivis ac defunctis Christi fidelibus in missa offertur ac celebratur. Unde fit, ut Eucharistia non solùm à fideli populo sumatur; sed etiam pro peccatis à Sacerdotibus ad Dominicæ passionis ac mortis continuam commemorationem quotidie immoletur, sempérque oblata fuerit in Ecclesia DEI. Malach. 1. Psalm. 109. Luc. 22. Hebr. 7. Conc. Nicæn. l. can. 14. Dionys. Areop. de Eccl. Hierarch. c. 3.

Quid in Sacramenti hujus sumptione servandum?

Quod fides & authoritas sanctæ matris Ecclesiæ docet, videlicet Christiano laico sat esse, sub una specie panis totum Christum accipere: & ex hac sumptione consequi, ut qui dignè accesserit, ingentem DEI gratiam, Joan. 6. Conc. Constantiens. Sess. 13. Conc.

 tiam,

Trid. Seff. 13. cap. 3. tiam, ac æternam quoque vitam obtineat: qui verus ac integer Sacramenti hujus fructus exiftit; eóque fit efficacior, quò fæpiùs facra & falutaris illa communio dignè iteratur.

Quid eft pœnitentia?

Joan. 20. Matth. 15. Eft fecunda poft naufragium tabula, & neceffarium relapfis Sacramentum, in quo remiffio peccatorum & à reis petitur, & à Sacerdotibus tribuitur.

Conc. Flor. & Trid. Seff. 14. cap. 3. & can. 4. Pfal. 50. Act. 19. Jacob. 5. Matth. 3. Luc. 3. Act. 26.

Quot funt partes & actiones pœnitentiæ?

Tres: contritio vel dolor animi peccata fua deteftantis, & ad vitam meliorem afpirantis: Confeffio, feu peccatorum fuorum coram facerdote facta explicatio: Satisfactio denique, feu vindicta punitióque criminum de fe ipfo fumpta, ad præftandos fructus dignos pœnitentiæ.

Quid eft extrema Unctio?

Jac. 5. Conc. Flor. & Trid. Seff. 14. Eft Sacramentum, quo ægroti per oleum facrum & verba Chrifti in magnis morbi moleftiis relevantur, ut feliciùs ex hoc mundo migrent, & corpora etiam, fi ita expedit, fanitati reftituantur.

Matth. 10. Luc. 9. Joan. 20. Act. 13. 1. Tim. 4. ad Tit. 1. Hebr. 5.

Quid eft Ordo?

Eft Sacramentum, quo Sacerdotibus aliísque miniftris Ecclefiæ poteftas confertur ad Ecclefiaftica munia ritè decentérque obeunda.

Quid poftremò eft Matrimonium?

Gen. 2. Matth. 19. 1. Cor. 7. Ephef. 5. Eft Sacramentum, quo vir & mulier legitimè contrahentes individuam vitæ focietatem ineunt, gratiâque divinâ donantur, tum ut foboles honeftè & Chriftianè fufcipiatur ac educetur: tum ut fœdæ libidinis & incontinentiæ peccatum evitetur.

Eftne inter Sacramenta difcrimen?

Conc. Flor. & Trid. Seff. 7. can. 9. & Seff. 21. cap. 4. Apoc. 2. Eft fanè: Baptifmus enim, Confirmatio & Ordo femel collata nunquam iterantur, ficut cætera: Item Baptifmus neceffariò fufcipitur ab omnibus, Euchariftia à ratione utentibus, & à relápfis Pœnitentia. Arbitrarium eft autem uti reliquis, modò nullum contemnas, aut, cùm illud fumendi tempus eft, negligas.

CAPUT

CAPUT V.
DE OFFICIIS JUSTITIAE CHRISTIANAE.

Quot ſunt officia juſtitiæ Chriſtianæ?

HÆc duo: Declina à malo, ſive peccato, & fac bonum, ſive officium Juſtitiæ. Pſal. 36. Iſai. 1. 1. Joan. 3.

Quî poteſt homo cavere peccatum, & bonum facere, ſeu præſtare Juſtitiam?

Non id per ſe quidem, ſed Chriſti gratiâ ac ſpiritu instructus Chriſtianus poteſt ac debet, quantum hujus quidem vitæ ſtatus admittit, juſtè vivere & legem implere. Eccl. 15. Phil. 2. 2. Cor. 3. Rom. 8.

Quotuplex eſt peccatum?

Duplex: Originale & Actuale.

Quid eſt Originale?

Quod ab ortu nobis congenitum, per Baptiſmum in Chriſto condonatur. Rom. 5. & 6. 1. Cor. 6.

Quid eſt Actuale?

Dictum, factum vel concupitum contra vel præter legem Dei, aut Eccleſiæ. Aug. l. 22. cont. Fauſt. c. 27.

Quotuplex eſt Actuale?

Duplex: Mortale, ſic dictum, quia mortem animæ præſentem adfert; anima enim quæ peccaverit, ipſa morietur: & Veniale, ùt cui venia facilè tribuitur, & ſinè quo ne juſti quidem vivunt. Sap. 1. Matth. 5. Joan. 19. Gal. 5. Apoc. 21. Eccl. 7. Prov. 24. Jacob. 3.

Quibus gradibus ad peccatum deducimur?

His tribus: ſuggeſtione, delectatione, conſenſu, ſeu deliberatâ voluntate peccandi. 1. Tim. 6. Jacob. 1.

Qui ſunt ſupremi gradus peccantium?

Eorum, qui ſcientes ac prudentes ex mera peccant malitia, qui etiam de peccato ipſo gloriantur, & qui bene monentibus obſtrepunt, ac ſalutaria conſilia prorſus contemnunt.

Quare peccatum fugiendum?

Sap. 14. & 16. Ezech. 18. 1. Cor. 6. Apoc. 21.

Quia Dominum Deum offendit, summum bonum eripit, & summum adfert malum peccanti, dum divinam tollit fruitionem nunquam recuperandam, & pœnas ærumnásque homini accersit sempiternas.

Quæ dicuntur peccata capitalia?

Illa, ex quibus velùti capitibus & fontibus omnia alia peccata proficiscuntur.

Eccl. 10. 1. Cor. 6. Sap. 2. Eph. 4. Matth. 7. & 25.

Quot sunt peccata capitalia?

Septem: Superbia, Avaritia, Luxuria, Invidia, Gula, Ira, Acedia.

Quâ ratione vitari & vinci hæc peccata possunt?

Si JEsu Christi gratiæ cooperemur, peccatorum damna & pericula considerantes, & virtutes septem his peccatis contrarias exercentes.

Quæ virtutes peccatis capitalibus adversantur?

Hæ septem; Humilitas, Largitas, Castitas, Benignitas, Temperantia, Patientia, Devotio seu sedula pietas.

Quæ peccata in Spiritum sanctum committi dicuntur?

Matth. 12. Marc. 3. Luc. 12.

Ea, quæ suâ malitiâ sic divinam excludunt gratiam, ut neque in hoc sæculo, nisi ægrè admodùm, neque in futuro remittantur.

Quot sunt peccata in Spiritum sanctum?

Act. 7. Eph. 4.

Sex: Præsumptio de misericordia Dei, vel de impunitate peccati, Desperatio, agnitæ veritatis Impugnatio, fraternæ charitatis Invidentia, Obstinatio, & Impœnitentia.

Quæ peccata in cœlum clamare dicuntur?

Isai. 5.

Quæ per se vehementer abominanda sunt, & apertè humanæ charitatis jura violant; unde vindictam clamare perhibentur, & horrendis sæpè modis in hac vita divinitus vindicantur.

Quot sunt peccata in cœlum clamantia?

Gen. 4. & 18. Exod. 22. Deut. 24. Jac. 5.

Hæc quatuor: Homicidium voluntarium, peccatum Sodomiticum, oppressio pauperum, viduarum atque pupillorum; demum merces operariorum defraudata.

Quæ

Quæ peccata dicuntur aliena?

Ea, quæ ab aliis quidem committuntur, sed nobis interim authoribus, vel quoquo modo adjutoribus, aut saltem non impedientibus, ut idcirco nobis etiam imputentur. Psal. 18. Ephes. 5. 1. Tim. 5.

Quot modis aliena peccata nobis imputantur?

Novem his modis: Consilio, jussione, consensu, irritatione, laudatione seu adulatione, reticentiâ culpæ alienæ, conniventiâ vel indulgentiâ, rei alienæ participatione, vel pravâ facti alieni defensione. Rom. 1.

Quæ dicuntur opera carnis?

Ea, quæ homines secundùm carnem viventes, & à Dei filiis spiritualibus degenerantes committere solent.

Quæ sunt opera carnis?

Paulus ea recenset in hunc modum: Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt: Fornicatio, Immunditia, Impudicitia, Luxuria, Idolorum servitus, Veneficia, Inimicitiæ, Contentiones, Æmulationes, Iræ, Rixæ, Dissensiones, Sectæ, Invidiæ, Homicidia, Ebrietates, Comessationes, & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Gal. 5.

Estne satìs Christiano malum fugere, & à peccato declinare? Psal. 36.

Nequaquam, sed præthereà bonum agere, & virtutes exercere necesse est; alioqui scienti bonum, & non facienti peccatum est illi. Rom. 2. & 12. Matth. 3. Jacob. 2. & 4.

Quid boni faciendum est Christiano?

In genere quidem, quicquid boni lex naturalis divina vel humana præcipit vel ostendit: in specie verò pro sua quisque vocatione præstare officium, & acceptæ Dei gratiæ cooperari cum gratiarum actione debet: Omnis enim arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Matth. 5. Coloss. 1. 1. Petr. 2. 2. Petr. 1. Matth. 7.

Quæ sunt præcipua bonorum operum genera?

Ea, quibus sobriè, justè, piéque vivitur in hoc sæculo; & per quæ itidem justi magìs magísque justificantur, & sancti indies sanctificantur. Tit. 2.

Quotuplicia ſunt hæc bonorum operum genera?

Tob. 12. Triplicia: utpote Jejunium, Eleemoſyna ſeu Miſericordia, & Oratio, de quibus ita legimus: Bona eſt Oratio cum Jejunio & Eleemoſyna.

Quis eſt fructus bonorum operum?

Matth. 6. & 25. Joan. 5. Dan. 4. 1. Cor. 3. Habent ea promiſſionem ac mercedem hujus & æternæ vitæ, Deum placant, gratiam conſervant & augent: Denique Chriſtiani hominis vocationem certam faciunt atque conſummant.

Quid eſt jejunium?

Joël. 2. Pſal. 34. Matth. 17. 2. Cor. 6. Gal. 5. Eſt certis diebus juxta morem & præſcriptum Eccleſiæ carnibus abſtinere, & ſaltem unicâ cibi refectione in die contentum vivere frugaliùs: Sed ſi generatim hoc nomen accipias, jejunium eſt corporis quædam caſtigatio piè ſuſcepta, ut vel caro ſpiritui ſubjiciatur, vel obedientia exerceatur, vel Dei gratia impetretur.

Quid eſt Oratio?

Eccl. 35. Luc. 11. & 18. Marci 11. Jacob. 5. Eſt mentis in Deum elevatio, per quam vel mala deprecamur, vel bona nobis aliiſque petimus, vel Deo benedicimus.

Quid eſt Eleemoſyna ſeu Miſericordia?

Luc. 6. Matth. 5. & 10. Eſt beneficium, quo alterius miſeriæ ex commiſerationis affectu ſubvenimus.

Quotuplex genus eſt Eleemoſynæ ſeu Miſericordiæ?

Duplex: alia quippe ſunt opera miſericordiæ corporalia; alia verò ſpiritualia: quoniam vel ad corporalem, vel ad ſpiritualem miſeriam proximi ſublevandam ſpectant.

Quot ſunt opera miſericordiæ corporalia?

Matth. 25. Tob. 2. & 12. Septem: Eſurientes paſcere, potum dare ſitientibus, operire nudos, captivos redimere, ægrotos inviſere, hoſpitio peregrinos ſuſcipere, mortuos ſepelire.

Quot ſunt opera miſericordiæ ſpiritualia?

Dan. 12. Gal. 6. 1. Tim. 4. & 5. Jacob. 5. Matth. 5. 1. Theſſal. 5. Sunt & ipſa ſeptem; utì: peccantes corrigere, ignorantes docere, dubitantibus rectè conſulere, pro ſalute proximi Deum orare, conſolari mœſtos, ferre patienter injurias, offenſam remittere.

Quæ

Quæ ſunt virtutes omnium præcipuæ?

Poſt Theologicas quidem illas, de quibus dictum eſt, Fidem, Spem, Charitatem, præcipuæ ſunt Cardinales, quæ Chriſtianos cum primis decent.

Quæ dicuntur Cardinales virtutes?

Quæ tanquam fontes aliarum & cardines omnem honeſtæ vitæ rationem continent. Ambroſ. l. 1. offic. c. 25.

Quot ſunt virtutes Cardinales?

Quatuor: Prudentia, Juſtitia, Temperantia, Fortitudo: quibus in Chriſto conſequitur homo, ut providè, juſtè, temperatè ac fortiter in omni vita degat, ac placeat Deo. Sap. 8. Tit. 2.

Quæ dicuntur dona Spiritûs ſancti?

Septem illa, quæ ſuper Chriſtum requieviſſe Propheta teſtatur, & quæ ab ipſo, ceu fonte omnis gratiæ, in alios derivantur: Ut donum ſapientiæ, donum intellectûs, conſilii, ſcientiæ, fortitudinis, pietatis, ac timoris Domini. Iſai. 11. Joan. 1. 1. Joan. 4.

Quænam illa, quæ fructus Spiritûs vocantur?

Ea, quæ pii ſecundùm ſpiritum viventes operantur, & per quæ ſpirituales à carnalibus dignoſcuntur. Rom. 8. Gal. 6.

Qui ſunt fructus Spiritûs?

A Paulo Apoſtolo ſic enumerantur: charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas. Gal. 5. Tit. 3. 2. Cor. 6. Coloſſ. 3.

Quæ dicuntur beatitudines Evangelicæ?

Illæ, propter quas in Evangelio etiam hi, qui miſeri prorſus ac infelices videntur, beati ac felices pronuntiantur.

Quot ſunt Evangelicæ beatitudines?

Octo, quas ita Chriſtus in monte tradidit. Matth. 5. Luc. 6.

Prima.

Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.

Secunda.

Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram.

Tertia.

Beati, qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.

Quarta.

Quarta.

Beati, qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.

Quinta.

Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.

Sexta.

Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.

Septima.

Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.

Octava.

Beati, qui perſecutionem patiuntur propter Juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.

Quæ dicuntur Evangelica conſilia?

Videlicet quæ per Evangelium non tanquam ad ſalutem neceſſaria, ſed veluti ſuſcipientibus magis expedita atque utilia, à Chriſto non præcipiente quidem, ſed conſulente proponuntur.

Quot ſunt Evangelica conſilia?

Matth. 19. Principalia tria ſunt, nimirum: paupertas voluntaria,
1. Cor. 7. caſtitas perpetua, & obedientia integra.
Matth. 16.

Quæ hominis noviſſima dicuntur?

Eccl. 7. Ea, quæ homini ad extremum accidunt, ùt: Mors,
Heb. 9. Judicium, infernus, & cœleſtis gloria. De quibus ita
Matth. 25. docet Sapiens: In omnibus operibus tuis memorare no-
Joan. 5. viſſima tua, & in æternum non peccabis.

FINIS.

Bayerische StaatsBibliothek

Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Goldhagen, Hermann, / Alvares, Manuel, / Gretser, Jacob,

Institutiones linguae Latinae et Graecae pro suprema grammatices ad normam Emmanuelis Alvari et Jacobi Gretseri Soc. Jesu e praestantissimis utriusque linguae scriptoribus in usum scholarum provinciae S.J. ad Rhenum superiorem nova et utili methodo ad tersissimae Latinitatis exercitium adornatae cum accuratis observationibus in praecipuas Latini sermonis

Mannhemii 1752

Augsburg, Staats- und Stadtbibliothek -- Spw 3150
urn:nbn:de:bvb:12-bsb11281554-1
VD18 14560151-001